11. 1. 14

Digitized by Google

JOH. ALPHONSI TURRETTINI
in Eccleſia & Academia Genevenſi PASTORIS,
S. Theologiæ & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ
PROFESSORIS,

ORATIONES ACADEMICÆ.

Quibus multa, ad Scientiarum incrementum, Chriſtianæ Veritatis illuſtrationem, Pietatis commendationem, Pacémque Chriſtianorum, pertinentia continentur.



GENEVÆ,
Typis BARRILLOT & FILII.

M. DCC. XXXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX ORATIONUM.

Orationes Inaugurales duæ.

I. Oratio prima Inauguralis, de SACRARUM ANTIQUITATUM USU MULTIPLICI ATQUE PRÆSTANTIA; dicta in Academia Genevenſi, XIX. Maii MDCXCVII. quô die Auctor recèns erectam, ſibique publicâ auctoritate demandatam HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ Profeſſionem auſpicaretur.

II. Oratio ſecunda Inauguralis, de THEOLOGO VERITATIS ET PACIS STUDIOSO; dicta Kalend. Decemb. MDCCV. quô die Auctor, in locum Viri Venerandi LUDOVICI TRONCHINI, in Domino piè defuncti, ſubrogatus, publicam S. THEOLOGIÆ Profeſſionem adiret.

Orationes Rectorales decem.

III. Oratio tertia, Panegyrica, in obitum GULIELMI III. MAGNÆ BRITANNIÆ REGIS; dicta ſtatis Academiæ Genevenſis Solemnibus, die XV. Maii MDCCII.

IV. Oratio quarta, de SÆCULO XVII. ERUDITO, ET HODIERNIS LITERARUM PERICULIS; dicta ſtatis Academiæ Genevenſis Solemnibus, die XIV. Mai. MDCCIII.

V. Oratio quinta, de STUDIIS EMENDANDIS ET PROMOVENDIS; dicta ſtatis Academiæ Genevenſis Solemnibus, die XIX. Maii MDCCIV.

VI. Oratio ſexta, de SCIENTIARUM VANITATE ET PRÆSTANTIA; dicta ſtatis Academiæ Genevenſis Solemnibus, die XVIII. Maii MDCCV.

VII. Oratio ſeptima, de ERUDITIONIS ET PIETATIS NEXU; dicta ſtatis Academiæ Genevenſis Solemnibus, die XVII. Maii MDCCVI.

Digitized by Google

VIII. Oratio octava, de COMPONENDIS PROTESTANTIUM DISSIDIIS; dicta ſtatis Academiæ Genevenſis Solemnibus, die XIII. Jun. MDCCVII.

Accedunt, de PACE PROTESTANTIUM ECCLESIASTICA,

I. Epiſtola Paſtorum & Profeſſorum Genevenſium ad Sereniſſimum BORUSSIÆ REGEM.

II. Sereniſſimi BORUSSIÆ REGIS ad Epiſtolam illam Reſponſum.

III. Viri Illuſtriſſimi COMITIS A METTERNICH, Sereniſſimi BORUSSIÆ REGIS Miniſtri Status, Ejúſque ad Helvetios Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii, Epiſtola ad Paſtores & Profeſſores Genevenſes, cùm Reſponſum Regium ad ipſos tranſmitteret.

IX. Oratio nona, de VARIIS CHRISTIANÆ DOCTRINÆ FATIS; dicta ſtatis Academiæ Genevenſis Solemnibus, die XIV. Maii MDCCVIII.

X. Oratio decima, de AFFECTIBUS A VERI STUDIO ABDUCENTIBUS; dicta ſtatis Academiæ Genevenſis Solemnibus, die XIII. Maii MDCCIX.

XI. Oratio undecima, ſeu, VOTUM PRO PACE EUROPÆ; fuſum ſtatis Academiæ Genevenſis Solemnibus, die XII. Maii MDCCX.

XII. Oratio duodecima, de ADULTERATI CHRITIANISMI CAUSSIS ET REMEDIIS; dicta ſtatis Academiæ Genevenſis Solemnibus, die XVIII. Maii MDCCXI.

Accedit Laus duorum eximiorum Reipublicæ Genevenſis Civium; putà, Viri Ampliſſimi JOHANNIS DE NORMANDIE, Primarii Reip. Genev. Conſulis, defuncti 19. Mart. MDCCXI. nec non Viri Illuſtriſſimi, EZECHIELIS SPANHEMII, Lib. Baronis, Sereniſſimi Boruſſiæ Regis Miniſtri Status, Ejúſque nuper ad Potentiſſimam Magnæ Britanniæ Reginam Legati Extraordinarii, defuncti 14/25 Novemb. MDCCX.

ORATIO

ORATIO PRIMA
INAUGURALIS
DE
SACRARUM ANTIQUITATUM
USU MULTIPLICI ATQUE PRÆSTANTIA.

Dicta eſt in ACADEMIA GENEVENSI, A. D. XIII. Kal. Jun. M. DC. XVII. Quô die Auctor recèns erectam, ſibíque Publicâ Auctoritate demandatam HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ Profeſſionem auſpicaretur.

Digitized by Google

Digitized by Google

REIPUBLICÆ
ECCLESIÆ
ACADEMIÆ
PATRIÆ
S.

Digitized by Google

Euseb. Hiſtor. Eccleſiaſt. Lib. V. in Proœmio.
Latinè, interprete *Valeſio.*

Ac cæteri quidem Hiſtoriarum Scriptores, nihil aliud ferè monumentis ſuìs prodiderunt, quàm bellicas victorias, & erecta de hoſtibus victis tropæa; Ducum res præclarè geſtas; fortia militum facta; qui pro patria, pro liberis, ac fortunis ſuis, manus ſuas ſanguine & infinita hoſtium cæde commaculaverant. At nos, qui ſacræ cujuſdam ac divinæ Reipublicæ hiſtoriam narramus, pacatiſſima quædam bella pro ſpiritali pace ſuſcepta, eoſque qui in hujuſmodi bellis pro veritate ac religione potiùs quàm pro patria ac liberis fortiter decertârunt, immortalibus literarum monumentis mandabimus: Athletarum pro pietate pugnantium conſtantiam, & in perferendis multiplicibus tormentis fortitudinem, tropæa adverſus dæmones ſtatuta, partas ex inviſibilibus hoſtibus victorias, coronas denique ad perpetuam poſteritatis memoriam prædicantes.

ORATIO

Digitized by Google

ORATIO PRIMA
INAUGURALIS
DE
SACRARUM
ANTIQUITATUM
USU MULTIPLICI
ATQUE PRÆSTANTIA.

QUod in Euchariſticis Sacris faciendis Vetus Eccleſia uſurpavit, illud, & rerum agendarum , & dicendi eſſe initium decet. SURSUM *igitur* CORDA *tollentes, Te ſupplici voce compellamus ,*

Terrarum Cœliſque ſator, qui tempus ab ævo Boeth. Conſ. Phil. Lib. III. metr. 9.

Digitized by Google

Ire jubes, ſtabiliſque manens das cuncta moveri;

Te, inquam, ſupplici rogamus voce, ut, propter Chriſtum factus propitius, aurâ tui jucundâ favoris incœpto huic noſtro adſpires; Utque, dum varias Eccleſiæ Tuæ his in terris vices narrabimus, dum ſtupenda Tuæ bonitatis in eâ condendâ facta exponemus, dum vigilem Tuæ Providentiæ in eâ tuendâ curam mirabimur, digna nobis tantis argumentis, & nunc, & in poſterum, contingat oratio; Credátque omnis noſter labor, & ad Nominis Tui gloriam, & ad Eccleſiæ Tuæ commodum, & ad Academiæ iſtius decus, & ad noſtrî omnium ſalutem. Annue votis, ÆTERNE DEUS, *per Chriſtum Dominum noſtrum, Unigenitum Tuum, nuncupatis.*

Viri Ampliſſimi, CONSULES, PRÆTOR URBANE, EXCONSULES, SENATORES, *Prudentiſſimi, Integerrimi, Spectatiſſimi*,

RECTOR *Athenæi hujus Magnifice*,

Eccleſiæ PASTORES, *Academiæ* PROFESSORES, *Vigilantiſſimi, Celeberrimi*,

HOSPITES, *non Stemmatum magis pompâ, quàm Literarum amore inſignes*,

DOC-

Digitized by Google

Doctores, *quos vel Legum peritia, vel Apollinea Ars nobilitat,*

Auditores, *quotquot adeſtis, Præſtantiſſimi, Humaniſſimi,*

Vóſque tandem, Muſis dicati, & ad magna ſurgentes **Juvenes**,

Novum Munus, & in hoc Lycéo ante hodiernum diem inauditum, ſingulari verò Patrum Patriæ indulgentiâ nobis commiſſum, ſuſcepturi ſurgimus. Quòd ſi autem in more poſitum ſit, inſtitutóque Majorum, ut etiam vulgatæ Artes, atque longo uſu firmatæ, ab iis qui illas ſunt profeſſuri, frequentibus Comitiis laudentur, quantò majus, novam apud nos Artem, & à communi Studiorum tramite ad hunc uſque diem remotam, meritis laudibus efferre, omnibúſque Muſarum alumnis in ipſo limine commendare, operæ pretium erit? Sic veſtro inſtituto, Proceres Ampliſſimi, ſua conſtabit, non æquitas modò, ſed &, dicere auſim, neceſſitas. Sic veſtræ Sapientiæ, Viri Theologi, quàm feliciter noſtra hæc Studia ancillatura ſint, patebit. Sic ad veſtras Leges, Jure-Consulti, quantùm ſubſidii ex his Literis perventurum ſit, palàm fiet. Sic vobis omnibus, cujuſcumque Ordinis atque Studii Auditores, quibus & cordi eſt Chriſtiana Fides, & in deliciis vera Eruditio, quantum uſum, quantam voluptatem, quantum etiam decus, Sacræ Antiquitates ſecum ferant, evadet manifeſtum. Favete modò linguis animíſque, qui dicturis nobis veſtrâ frequentiâ tam impenſè jam favetis.

A *Religione* ut ordiamur, quæ curæ eſt pars maxima noſtræ, tanta, Auditores, eam inter, & Hiſtoriam Eccleſiaſticam, intercedit cognatio, ut non tam duæ Diſciplinæ, mu- *Uſus Sacr. Antiquitatum in* Religione.

tuam

tuam ſibi miniſtrantes opem, quàm unius ejuſdémque partés, ac velut rami, dici mereantur. Pars certè Sacræ Antiquitatis, Veteri Novóque Fœdere contenta, Religionem ipſam conſtituit. Pars, ſi differt à Religione, tamen, & ad eam firmandam, & ad Sacros Codices exponendos illuſtrandóſque, & ad Controverſias Chriſtiani Orbis dirimendas, & ad morum denique atque vitæ inſtitutionem, non utilis duntaxat, ſed & apprimè neceſſaria eſt.

I. *ad probandam Religionis veritatem.*

JUVEN. Sat. XIV. ℣. 102.

Firmandæ primùm Religioni dum Antiquitates Sacras dico inſervire, & eam, AUDITORES, Religionem intelligo, quam à Natura omnes docentur, & eam quam *arcano condidit Moſes volumine*, & eam imprimis quam de ſinu Patris ſtatutô tempore protulit Chriſtus. Naturalis *ſemina introrſùm hærere*,

BOETH. Conſ.Philoſ. Lib. III. metr. II.

Quæ excitentur ventilante doctrinâ,

quis dubitet, qui adtenderit ad Sacram Gentium Univerſarum, quà diſtenditur Orbis, Hiſtoriam? Quis dubitet, qui obſervaverit *teſtimonium* illud *Populorum*, in omnibus aliis, ſive placitis, ſive inſtitutis, diſcrepantium, *in una hac re*, ait *Lactantius*, agnitione Numinis & Cultu, *minimè diſſidentium?* Moſaïcam, & Hiſtoriam, & Religionem, quid magis commendat, quàm mira illa, & Mundi conditi, & Humani Generis de ſtatu lapſi, & Diluvii Noachici, & antiquarum Revelationum, apud omnes ferè Ethnicorum, ſive Hiſtoricos, ſive Legumlatores, ſive Philoſophos, occurrentia paſſim veſtigia; Quô quidem factum, ut eos omnes *de Prophetarum fonte potâſſe*, ſicque *ingenii ſitim rigâſſe*, nec abs re, adſerat *Tertullianus*. Moſaïcis rursùs Mundi Natalibus, quid plus confert auctoritatis, quàm omnium, quotquot ſuppetunt, Hiſtoriæ Monumentorum, potiſſimùm verò Sacrorum, ut Templorum, Statuarum, Inſcriptionum, Feſtorum, aliorúmque omnis generis, ultra terminos à Moſe poſitos non adſurgentium, conſpiratio? Imprimis verò Chriſtiana Fides, unde validiùs confirmabitur, quàm ex Hiſtoricis argumentis? Ex mirâ putà Chriſtiani nominis, inter tot hoſtes, propagatione; ex Prophetarum Vati-

LACTANT. Inſtit. Lib. I. cap. 2.

Vid. GROTIUS de Verit. Relig. Chriſt. Lib. I.

TERTUL. Apolog. cap. 47.

Digitized by Google

Vaticiniis, Evangelii ævô adimpletis; ex Chriſti ipſius de Gente Judaïca, aliiſque multis rebus, Oraculis, ipſo eventu comprobatis; ex Librorum Novi Inſtrumenti, primis Chriſtianis laudatorum, minimè dubia Antiquitate; imò & ex Adverſariorum, ut Proconſulis *Plinii*, *Alexandri* Imperatoris, *Ammiani* Hiſtorici, aliorúmque non paucorum, pro Fide noſtra teſtimoniis?

Vultis Atheos, vultis Deïſtas, vultis omnes Chriſto adverſantes, ad ſaniorem mentem revocare? Præſto ſunt noſtræ Antiquitates. Præſto ſunt ipſa, tam cita, tam lata, Chriſtianæ rei incrementa. Nam, quòd tot Gentes, támque diſſitæ, tam nullis allectæ illecebris, tam multis contrà obſtaculis preſſæ, & à patriis Sacris abductæ ſint, & Chriſto Regi colla ſubjecerint, id ſine Deo, ſine Miraculis, evenire neutiquam potuit: Et, ſi eveniſſe ſupponatur, id ipſum eſt, teſte Chryſoſtomô, * *Miraculorum longè maximum:* Quod etiam Dantes, Italus Poëta, patrio ſermone ſic expreſſit;

Se'l Mondo ſi rivolſe al Chriſtianeſmo, Dante Paradis. Cant. XXIV.
Diſs' io, ſenza Miracoli, queſt' uno
E' tàl che gl' altri non ſono il centeſmo.

Vultis Ethnicorum Sacra impugnare? Non Philoſophorum argumenta, non Satyrarum ſarcaſmos, in ea quæ vel *naſcuntur in hortis*, vel *é ficulno trunco* conflantur, vel à brutis non diſtant, Numina, adhibere neceſſe erit. Una ſufficiet, eáque ſimplex, iſtiuſmodi Sacrorum narratio; Quæ, & tam ſtultos prodet errores, & tam fœdos barbaróſque ritus, & tam pugnantes ſecum ſententias, & tam evidentem támque ſtupendam Veteris Hiſtoriæ depravationem, ut *Monſtrum horrendum, informe, ingens*, atque Humani generis dedecus, Religio illa poſſit nuncupari. Juven. Satyr. XV. Horat. Lib. I. Sat. VIII.

* Εἰ σημείων χωρὶς ἔπεισαν, πολλῷ μεῖζον τὸ θαῦμα φαίνεται. Chryſoſt. in 1. Cor. 1. Homil. 6. *Quiſquis adhuc prodigia, ut credat, inquiris, magnum eſt ipſe prodigium, qui mundo credente non credit. Verùm hoc ideò dicunt, ut nec tunc illa Miracula facta fuiſſe credantur. Unde ergo tanta fide Chriſtus undequaque cantatur in Cœlum ſublatus? Unde temporibus eruditis, & omne quod fieri non poteſt reſpuentibus, ſine ullis miraculis nimiùm mirabiliter incredibilia credidit mundus?* Auguſtin. De Civit. Dei, Lib. XXII. cap. 8.

Vultis Muhammedanæ impietatis fundamenta ſubruere? Annales duntaxat Eccleſiaſticos replicate. Videte, quis Muhammed fuerit, quô ingeniô, quibus moribus; quibus artibus uſus, quibus auxiliis munitus, quibus diſcipulis ſtipatus, quàm *opportunos* denique, tum ob fractas Imperii vires, tum ob ſciſſam in partes Eccleſiam, tum ob perditos ejus ævi mores, *tranſitus rerum* nactus fuerit: Et, his omnibus ritè expenſis, qui pro viro eum Divino habebit, næ ille volens ſcienſque falletur.

Vultis Moſaïcam Legem antiquatam contra incredulos Judæos adſerere? Sacri etiam id agent Annales; quibus, & vetera Vaticinia complementum jampridem ſortita, & impoſſibilis, poſt tot mutationes, ejus quem expectant Meſſiæ adventus, & miſera gens pœnis ultricibus, per ſeptendecim Sæcula, damnata, Sole ipſo clariùs patebunt.

2. ad Sacrum Codicem explanandum & illuſtrandum.

Verùm, AUDITORES, ut ad firmandam contra tot hoſtes Chriſtianam Fidem, ita etiam ad Sacros Codices explanandos illuſtrandóſque, noſtræ Antiquitates plurimùm conferunt. Ac ſanè, quis perſonas, quis loca, quis tempora, quis circumſtantias omnes eventuum, in paginis ſacris contentorum, niſi adhibitis quotquot ſuppetunt, vel Judaïcarum rerum, vel Chriſtianæ Vetuſtatis monumentis, pernoſcat? Quis Chriſti in Phariſæos & Sadducæos conciones, vel planè intelligat, vel, ut par eſt, admiretur, niſi qui utriuſque illius Sectæ, quæ fuerint dogmta, quæ inſtituta, qui mores, noverit? Quis Scriptorum Apoſtolicorum, & ſcopum adtingere, & adſequi ſenſum valeat, niſi qui genium illius temporis, niſi qui errores jam tum naſcentes, niſi qui mores tum obtinentes, quantùm licet, perveſtigaverit? Quis innumeras loquendi formulas, vel ad regionis ſitum, vel ad receptas conſuetudines, vel ad rerum ſtatum alludentes, niſi per Hiſtoriam Sacram elucidet? Quis Baptiſmales Ritus, Quis Euchariſtiæ Solemnia, niſi collata cum Judæorum, ſive in admittendis Proſelytis, ſive in Sacrificiis epulô claudendis, Cæremoniis enarret? Quis voces παλιγγενεσίας, καινοῦ ἀνθρώπου, καινῆς κτίσεως, pluréſque ſimiles, niſi ex receptis circa Proſelytos, vocibus arceſſat? Quis pœnæ illos gradus, à Chriſto memoratos, quibus ἔνοχοι τῇ κρίσει,

ἔνοχοι

Digitized by Google

ἔνοχοι τῷ συνεδρίῳ, ἔνοχοι εἰς γέενναν πυρός, qui maledicunt fratribus dicuntur, niſi alludendo ad capitalia Judæorum Tribunalia, exponat? Quis vexato illi atque obſcuro *ὑπὲρ τῶν νεκρῶν* Baptiſmo, niſi, vel ex Baptiſmo *vicario*, quô Cerinthiani & Marcionitæ uſi dicuntur, vel ex Baptiſmo *Clinicorum*, Antiquis, ut notum eſt, familiari, vel ex Baptiſmo poſt Confeſſionem *Reſurrectionis Mortuorum* ſuſcepto, vel ex Baptiſmo *ſuper tumulis* Martyrum celebrato, vel ex *ablutione* Mortuorum, Veteribus etiam ſolemni, vel ex ſimilibus quibuſdam Primitivæ Eccleſiæ uſibus, ſi non perfectam atque omnimodam, certè aliquam lucem largiatur? Quis Munera Eccleſiaſtica, quis Ordinationum modos, quis Anathematum fulmina, imò quis totam, quanta quanta fuit, Apoſtolicæ Eccleſiæ praxim, niſi vocatis in ſubſidium, tum Judaïcæ Synagogæ, tum Chriſtianorum Veterum Ritibus, perſpecta habuerit? Verbô, ſi in Sacris Libris exponendis, multi facti ſunt totô hôc Sæculô, atque etiamnum fiunt progreſſus, cui alii magis auxilio, quàm Antiquitatum Sacrarum peritiæ, accepti referendi ſunt?

Mat. V. 22.

1. Cor. XV. 29.

Atque hinc, Auditores, planum etiam fit, quàm magna ſit harum Literarum in Controverſiis Chriſtiani Orbis dirimendis utilitas; Sive de Doctrina lis moveatur, ſive de Cultu, ſive de Regimine; Sive cum Pontificiis confligandum ſit, ſive cum aliis quibuslibet hoſtibus. Non quòd Veteres, in errorem pronos, ſecum invicem ſæpe pugnantes, imò ſibi ipſis non raro adverſos, Judices in his cauſis velimus; ſed quòd tamen, Errorum natales, Superſtitionum incrementa, Tyrannidíſque gradus obſervare, non levis ſit emolumemti; & quòd imprimis falſam Eccleſiam, ad Veteres ſemper provocantem, déque illorum ſuffragiis, injuriâ licèt, gloriantem, propriis armis confodere juvet. Quantus verò hic differendi campus, quanta rerum ſeges occurreret, ſi per ſingula liceret ire? Quid non dici poſſet, exempli cauſâ, de Sacris Imaginibus, per tria Sæcula non ignotis ſolùm, ſed & acerrimè damnatis, eò uſque ut Hermogeni hæretico, *quòd licitè pingeret*, vitio verteretur; Inde paulatim, cùm ornatûs causâ, tum recordationis

3. ad Controverſias Chriſtianorum elucidandas.

Tertul. contr. Hermog. cap. 1.

tionis ergò, introductis; Mox, quæ plebis eſt conſuetudo, aliquo paſſim honore affectis; Et octavô tandem nonôque Sæculis, inter ipſos armorum ſtrepitus, atque mutuas Conciliorum ſecum invicem pugnantium diras, Cultum Anathematis pœnâ ſancitum, nec apud omnes tamen, adeptis? Quid non dici poſſet de Corporis Chriſti in Euchariſtiæ Sacris præſentia; Per ſeptem Sæcula, ut clarè liquet, à Chriſtianis minimè creditâ; Ex prutitu Myſteriorum, atque incautis Concionatorum loquutionibus ſenſim ortâ; Sub VIII. demùm Sæculi finem, & in ipſâ quidem causâ Imaginum, publicè primum prolatâ; A *Paſchaſio*, Sæculô IX., ſi vel ipſi Sirmondo fides, accuratè primùm explicatâ; Mox infinitis ultrò citróque concertationibus agitatâ; Contra *Berengarium*, Sæculo XI. pluribus quidem in Conciliis, ſed variantibus formulis, aſſertâ; Tandemque Sæculô XIII. cum novo nomine *Tranſſubſtantiationis*, in Lateranenſi Concilio ſancitâ? Quid imprimis dici non poſſet de Supremâ illâ, & plus quàm humanâ, Romani Epiſcopi Auctoritate, quæ à minimis orta initiis, nec aliis primùm incluſa finibus, quàm qui omnibus Epiſcopis erant, mox, ſuadente Urbis Majeſtate, ſavente Sedis Imperialis Conſtantinopolim tranſlatione, juvantibus Imperatorum mutuis inter ſe rixis, promoventibus Barbararum gentium per totum Imperium irruptionibus, impellentibus Pontificum ipſorum, cùm leoninis, tum vulpinis artibus, ad faſtigium ſummum perducta eſt? Quid, inquam, de his, cæteriſque omnibus, dici non poſſet Controverſiis, ſi Veritatis omnes triumphos, per Antiquitates Sacras aſſertos, enumerare hîc loci vacaret?

Concil. Nicen. II. Act. VI. Conc. Tom. VII. col. 450. SIRMOND. in vit. Paſchaſ. ejus operibus præfixâ. Conc. Later. IV. ſub Innoc. III. An. 1215.

Hoc unum addo; Methodum illam, quâ Controverſiæ Chriſtiani Orbis ad Hiſtoriæ fidem exiguntur, non contra eos modò utilem, qui à Veterum pendent arbitrio, illóſque ad ſe invitos trahunt, ſed & ad veri indagationem apprimè eſſe opportunam. Etenim, dum pugna de rebus ſacris datâ operâ inſtituitur, atque paſſis, ut ita dicam, vexillis dimicatur, tunc quiſque partium ſtudiis addictus, victoriam quærit, non veritatem; Tunc

ἐπέων πολὺς νομὸς ἔνθα καὶ ἔνθα,
Ὁπποῖόν κ' εἴπησθα ἔπος, τοῖόν κ' ἐπακούσαις.

Hom. Iliad. Y.

Tunc, ut de ſui ævi hæreticis querebatur *Prudentius*,

Fidem minutis diſſecant ambagibus,
Ut quiſque linguâ eſt nequior:
Solvunt ligantque quæſtionum vincula
Per Syllogiſmos plectiles.

Prudent. Præf. ad Apotheoſ.

Neque ulla eſt tam potens ratio, cujus ponderi rationes aliæ, utut futiles, non opponantur. At cùm hiſtoricè res peragitur, cùm, poſthabitô certandi ſtudiô, in facta ſolùm dictáque inquiritur, tunc, & affectus magis ſedati, & amplectendo vero aptior mens; Tunc res ipſæ, oculis quaſi ſubjectæ fidelibus, aſſenſum invitis etiam imperant; Sicque vetera novis componendo,

Dudum quod atra texit erroris nubes,
Lucebit ipſô perſpicacius Phœbô.

Boeth. Conſ. Lib. III. Metr. 11.

Quod experientiâ quidem comprobatum, non Parentum duntaxat memoriâ, ſed & hâc ipsâ ætate vidimus; Quippe multi ex Adverſariis faventia nobis plurima fateri, imò & multi ad partes noſtras, ejuratis erroribus, tranſire, ab Antiquitatibus Sacris coacti ſunt.

4. ad mores documentis & exemplis informandos.

Porrò, Auditores, ut non alius eſt Religionis totius finis, præterquàm mores ad pietatem & virtutes omnes informare, ita multa ſunt, ad finem illum, in Monumentis Sacris ſubſidia. Vis Documenta? Præſtantia exſtant, quibus omnis officii ratio dilucidè explicetur. Quæris Exempla? Eximia habes, quibus ad virtutes omnes accendaris. Vis invictam fortitutidem? Habes in Martyribus, ab ipſis Ethnicis, ab ipſo *Plinio*, non ſine ſtupore memoratam. Vis effuſam in afflictos atque pauperes benignitatem? Habes ab ipſo *Luciano*, à *Juliano* ipſo commendatam. Vis intemeratam probitatem? Habes qualem non audeat invidis calumnia morſibus appetere: *Bonus vir Cajus Seius; Tantùm quòd Chriſtianus.* Vis diſciplinam in ipſos Reges atque Imperatores exercitam? En *Theodoſium* Magnum, ad *Ambroſii* pedes provolutum, dubiúmque facien-

Plin. Epiſt. Lib. X. Ep. 97.
Lucia. de mort. Pereg. Julia. Epiſt. ad Arſac. ap. Sozo L. V. c. 16.
Tertull. Apolog. cap. III.
Theodor. Lib. V. c. 18.

cientem, utrùm majorem Præſulis conſtantia, an Principis pietas, laudem mereretur. Vis Principum in ſopiendis Theologorum rixis prudentiam? En *Conſtantinum*, libellos omnes, ab Epiſcopis ſibi oblatos, ac mutuarum querelarum conſcios, nunquam ſatis laudando exemplo, nunquam imitando ſatis, cremantem. Vis prudentem juxtà ac piam in rebus mediis moderationem? En ſaluberrimum *Ambroſii* monitum, qui ſe *Sabbatho Romæ jejunare, Mediolani non jejunare, & ad quamcunque Eccleſiam iretur, ejus morem ſervandum eſſe*, Auguſtino auctor erat; Quod quidem, *tanquam cæleſte oraculum*, à ſe ſuſceptum docet *Auguſtinus*. Vis viciſſim damnanda Exempla, quæ, tum innatâ deformitate, tum ſubſequutis incommodis, à vitio deterreant? Nimia, proh dolor! ſeſe offerunt, & in omni quidem vitiorum genere. Vis fraternarum irarum incendia? Tanta habes, *ut nullas infeſtas hominibus beſtias, ut ſunt ſibi ferales plerique Chriſtianorum*, Ammianus Ethnicus diſertè adſerat. Vis de nihili rebus contentiones? Habes de die Paſchatis, de Ordinatione Cæciliani, de Origenis mortui famâ, de tribus Capitulis, de clauſulâ *Filióque*, de Cuculli Franciſcani forma, de bonorum quæ Franciſcani poſſident proprietate, déque innumeris rebus ejuſmodi, tam acres, tam longas pugnas, quàm ſi de Fidei ſumma actum eſſet. Vis Virorum aliàs Sanctorum atque Doctorum mutua convitia? Tot tantáque vel unus *Hieronymus*, mox in *Ruffinum*, mox in *Vigilantium*, mox in *Jovinianum*, mox in *Johannem* Hieroſolymitanum, alióſque eximios Viros effundit, ut eorum

οὐδ' ἂν νηῦς ἑκατόζυγος ἄχθος ἄροιτο.

Quæ omnia, ut rerum præſentium fidam utplurimùm exhibent imaginem, ita etiam adtentè legentibus maximo poſſunt eſſe documento.

Verùm, AUDITORES, ne in Sacris uſibus noſtra videantur terminari Studia, reliqui etiam, ſi plenè non licet, breviter ſaltem ſunt perluſtrandi. Vos igitur, Vos hic appello, HUMANARUM INTERPRETES LEGUM, fructúſque pariter Vobis uberrimos ex Antiquitatibus noſtris ſpondeo: Sive Canonico Juri

Sozom. Lib. I. cap. 17.

Auguſtin. Epiſt. 118. ad Januar.

AMM. MARCELL. Lib. XXII. §. 5.

Hom. Iliad. Y.

Uſus Sacr. Antiquitatum in Ju- RISPRUDENTIA.

Juri incumbatis, quod totum eſt Eccleſiæ, totum Pontificum; ſive Civili operam detis, quod, & à Chriſtianis collectum Principibus, & de Sacris multa continet: Sive ſit Legum ſenſus eruendus, in quibus multa, cùm ad Imperii, tum ad Eccleſiæ ſtatum alludunt; ſive ſint illarum momenta pendenda, quæ ab auctore, tempore, occaſione, colligi poſſunt: Sive *Theodoſii* Codicem legatis, in quo de *Fide Catholica*, de *Epiſcopis*, *Eccleſiis*, *Clericis*, de *Monachis*, de *Hæreticis*, de *Baptiſmi iteratione*, aliiſque rebus Eccleſiaſticis, totô Librô decimô ſextô; ſive *Juſtiniani* Codicem tractetis, in quo de *Summa Trinitate*, de *Sacroſanctis Eccleſiis*, de *Epiſcopis & Clericis*, de *Epiſcopali audientiâ*, aliiſque ſacris argumentis, totô primô Librô agitur: Sive Jura Principum in Sacris juſtis terminis ſint definienda, quæ ex Principum Chriſtianorum priſcis temporibus dictis factiſque non temerè illuſtrantur; ſive Jura à Sacerdotibus uſurpata ſint explodenda, quæ, ſi ad originem ipſam adſcendas, & uſurpationum gradus obſerves, pleniſſimè refelluntur: Sive denique, hîc loci præſertim, Conſtitutiones quædam intricatæ, & ab Eccleſia primitùs ortæ, ab origine ſint enarrandæ. Quæ omnia ſi minùs poſſint, Forenſium rerum Studioſos, Remque olim publicam geſturos, ad Sacra hæc noſtra invitare, moveant ſaltem, & *Jacobi Lectii*, & *Franciſci Hotomani*, & *Gothofredi* utriúſque, aliorúmque Magnorum Virorum, utrâque laude præcellentium, nunquam moritura inter nos nomina.

Nexus Sacr. Antiquitatum cum Literis Humanioribus.

Quòd ſi verò ad Vos etiam, qui Humaniores excolitis Literas, ſi, inquam, ad Vos quoque noſtra Studia ſuô quôdam jure pertinere dico, nihil aſſero quod ipſa rerum non ſuadeat natura. Quippe tanta eſt Exoticas inter atque Sacras Literas cognatio, tantus inter Civilem & Eccleſiaſticam Vetuſtatem nexus, ut illius dici peritus nequeat, qui in iſta ſit peregrinus. Rurſùs, dum varias Eccleſiæ vices, varium ſtatum animo luſtramus, varia ſimul menti obverſatur Humaniorum Literarum ſors; Quæ ubi primùm miſerè collapſæ in Chriſtiano Orbe jacuerunt, collapſa ſimul fuit Religio, & in atram barba-

barbariem verſa; Aſt ubi primùm reviviſcere, atque movere lacertos cœperunt, tum ad Sacra quoque repurganda atque inſtauranda via munita eſt. Certè, ſi qui Literarum ſtudiis hoc in Lycéo eminuerunt, ut *Scaliger*, *Caſaubonus*, *Morus*, *Clericus* uterque (ne inclytum hodiéque, tum Politicis Muneribus, tum Doctrinæ ſplendore, *Spanhemium* commemorem) omnes Vetuſtati Sacræ incumbere, cámque, cùm in docendo, tum in ſcribendo illuſtrare, inter primas curas poſuerunt.

Uſus Sacr. Antiquitatum in PHILOSOPHICIS.

Nec Vos etiam hic præterire, qui PHILOSOPHICA exercetis OTIA, aut debeo, aut poſſum. Nec enim varia, cùm Platonicæ, tum Ariſtotelicæ Scholæ fortuna, vobis ignoranda eſt; Nec utramque poteſtis nôſſe, niſi ſimul Chriſti Doctrinam, mox Platonis purpurâ indutam, mox Scholaſticis ſpinis hirſutam; de Sæculo in Sæculum luſtretis. Ut jam mittam, non alibi clariùs humanum ingenium cognoſci poſſe, quæ ſtudii Philoſophici nobiliſſima hauddubiè eſt pars, quàm in hiſce Antiquitatibus.

Sacr. Antiquitatum cognitio MEDICIS *non indigna.*

Imò nec Vos hic indictos volo, qui præſtantiſſimæ SANANDORUM CORPORUM ARTI invigilatis. Etſi enim videtur remota à veſtris curis noſtra Diſciplina, tamen non malè convenire ſuadent tot in Arte veſtra Principum Virorum, doctæ circa Antiquitates, cùm profanas, tum ſacras, vigiliæ. Adhæc, ſi ipſa medendi Ars, experimentorum, aut à ſe ipſo, aut ab aliis factorum memoriâ, tota olim comprehenſa fuit, (Unde ægrotos in foro expoſitos, uniuſcujuſque ſimilia paſſi conſiliis uſuros, & *Herodotus*, & *Strabo* referunt) quidni etiamnum ab Experimentis, in Hiſtoria utrâque ſparſis, fructus aliqui obtinerentur? Et, ſi vel hoc unum obſervetis, veſtræ Artis Nobilitatem, & conceſſos ipſi honores, non in Monumentis modò Civilibus, ſed & in Annalibus Eccleſiæ exſtare, ſanè horarum quarundam, in iis volvendis abſumtarum, vos pœnitere nequaquam debet.

Herod. Lib. I. p. 91. Henr. Steph. Strab. Lib. III. p. 107. Caſaub.

Lucian. Lib. de ſcrib. Hiſtor.

Ex quibus omnibus liquet, AUDITORES, id quod primum in omni Hiſtoria requirebat Lucianus, nempe τὸ χρήσιμον, *utile*, id in Hiſtoria Eccleſiaſtica, quôcunque modô illa ſpectetur, & ad quæ

quæ Studia cunque referatur, abundè occurrere. Verùm ne triſtem credatis, atque moroſam hanc utilitatem. Quinimò, dulce hîc utili immixtum; & ita quidem, ut licèt magni multipliceſque proferantur uſus, major tamen adhuc ſuavitas voluptáſque eſſe videatur. Suas, fateor, ſuas habent ſpinas Eccleſiaſticæ Antiquitates, ſive Doctrinæ Temporum ἄλυτα, ſive ἀδήλων χρόνων caliginem, ſive deflendam Monumentorum primis optimíſque temporibus inopiam, ſive craſſam Hiſtoricorum inſequutis Sæculis barbariem, ſive veritatem partium ſtudiis utplurimùm violatam, ſive denique multitudinem expendendorum propè infinitam, animo penſitemus. Verùm, quæ eſt, Auditores, quæ ſuas non habeat cruces Diſciplina? Quæ eſt vice versâ, quæ tot tantáſque, quantas Hiſtoria Eccleſiaſtica, effundat amœnitates? Diſciplinæ quædam, ut *Mathematicæ*, non pulchritudine magis alliciunt, quàm difficultate deterrent. Quædam, qualis *Metaphyſica*, tantum ingenii acumen poſtulant, ut eò pauci valeant aſſurgere. Illa ipſa Scientiarum Princeps ac Regina *Theologia*, etſi momento ſuo ſe commendat, tamen ob rerum altitudinem, & aſperas quibus eam Scholæ involvunt loquutiones, ſalebroſa nonnihil videtur. Hîc, ſi pauca quæ attigi demas, nihil occurrit niſi planum, nihil quod ullius captum ſuperet, imò nihil quod magnam requirat animi contentionem, quódque etiam non poſſit ingenio, ſeverioribus fatigato Muſis, ſuavem relaxationem creare. Delectant omnia longè petita, omnia à nobis, ſive temporum, ſive locorum ſpatiis ſejuncta.

Sacr. Antiquitatum Studia a Jucunditate *commendantur.*

Ales Phaſiacis petita Colchis,
Atque Afræ volucres placent palato,
Quòd non ſunt faciles. Petron. Satyr.

Ecquæ igitur major voluptas, quàm omnia, non à Chriſto tantùm, ſed & ab ipſis Mundi primordiis, Sæcula emetiri, & quicquid in ſingulis, vel creditum, vel factum, vel dictum, circa rem omnium maximam, nôſſe? Juvat, & fumoſos Majorum vultus, & exeſos Principum nummos, & croſa ævi dentibus ſaxa, curioſis oculis luſtrare. Ecquæ igitur major delectatio, quàm noſ-

Digitized by Google

tros in Fide Anteceſſores, ſummos in Republica Chriſtiana Principes, quicquid denique ex ruderibus piæ Vetuſtatis ad nos tranſmiſſum, ſi non oculis, aſt animo cernere? Placet illa peragrare loca, quæ Viri Magni, tum commorando, tum rebus geſtis, nobilitârunt. *Hic Speuſippus, hic Xenocrates, hic auditor ejus Polemo*, gaudio perfuſus exclamabat *Tullius*, dum in Academiæ ſpatiis ambularet. Ecquæ igitur major ſuavitas, quàm omnibus, qui unquam vixerunt, in Antiquitate Sacra Heroïbus, comites quaſi ſemper adeſſe; illorum ſermonibus, Conventibus, Præliis, cunctis tandem geſtis dictiſque, præſentes intereſſe; neque modò dicere, Hic ſcripſit *Hieronymus*, hic *Auguſtinus* diſputavit, hic tonuit *Nazianzenus*, hic *Chryſoſtomus* corda demulſit; Hic *Arius* damnatus, hic *Pelagius*, hic *Eutyches*; ſed & quæ à Patribus illis edita, quæ in Hæreticos iſtos ſancita, nota atque perſpecta habere? Quanta porrò rerum multitudo, quanta eventuum varietas, mentem hic afficit atque recreat? Mox Eccleſia in obſcuro latens: Mox ut Civitas ſupra montem poſita. Mox perſecutionibus creſcens, Martyriis coronata,

Cicer. de Finib. Lib. V. init.

Matt. V. 14.

Duris ut ilex tonſa bipennibus,
Per damna, per cædes, ab ipſo
Ducit opes animúmque ferro.

Horat. Carm. Lib. IV. Od. 4.

Mox, poſtquam ad Principes Chriſtianos venit, *potentiâ quidem ac divitiis major, ſed virtutibus minor facta*, ut verbis utar *Hieronymi*; Quippe paſſa eſt

Hieron. in vit. Malchi.

Longæ pacis mala, & ſævior armis
Luxuria incubuit.

Juven. Sat. VI.

Mox *Virgo integra atque incorrupta*, ut Eccleſiam Apoſtolicam apud *Euſebium* vocat *Hegeſippus*: Mox *per fraudem falſorum Doctorum, atque exortam impii erroris conſpirationem* violata, ut idem Auctor vetuſtus habet. Mox calicibus contenta ligneis, ſed aureis, ut ſcitè dictum, ornata Sacerdotibus: Mox calices quidem aureos nacta, ſed Antiſtites ex adverſo ligneos. Quas omnes vices obſervare, quos Errorum fontes aperire, quas Corruptionum cauſas rimari, ſimúlque noſtræ Veritatis cum

Euſeb. Hiſt. Eccl. Lib. III. cap. 32.

Conc. Tribur. Can. 18. Tom. IX. Conc. Lab. p. 451.

Digitized by Google

cum Antiqua conſenſum retegere, parem cum fructu voluptatem habet.

Sacr. Antiquitatum Studia commendantur a Dignitate.

Cæterùm, Auditores, ne quicquam deſit, quod ad hæc Studia commendanda faciat, iis ut nihil eſt utilius, ſi emolumentum quæris, nihil ſuavius, ſi oblectationem, ita nihil eſſe nobilius, nihil in majori pretio habendum, omnes æqui rerum Judices fatentur. Certè, ſi ab ævo magni facta eſt, apud gentes omnes Scientiis excultas, Antiquitatis cujuſvis noritia, ſi eâ ſeſe vulgo exemerunt præſtantiſſima quælibet ingenia, ſi ex ea mutuati ſunt, & ubertatem Oratores, & prudentiam Politici, & ornamentum omnes Docti, imò & novum decus ipſi Reges, quanto, quanto debent in pretio, apud omnes Chriſtianos eſſe, Sacræ Vetuſtatis theſauri? Quanta hinc, Sacris Oratoribus, dicendorum copia? Quanta hinc, Politicam Artem profeſſis, prudentiæ Chriſtianæ adjumenta? Quantus hinc, & Doctis omnibus, & omnibus Chriſtianis, honos? Imò quanta hinc, Viris Principibus, quámque ipsâ purpurâ ſplendidior, gloria? Sic mentis, ut ita dicam, capacitas dilatatur. Sic ad omnes ætates, omnes regiones, omnes gentes, extenditur. Sic quicquid utilis dictum, quicquid laudandi factum, quicquid eximii atque miri viſum, in Eccleſiæ procuratione, arctis ejus terminis includitur. Sic ſupra vulgares uſus, ſupra præſentia inſtituta, ſupra receptas opiniones, ſupra *negotioſas ſcrupuloſitates* (Tertullianeæ voci parcite) ſupra obſcuram atque rixoſam Antiquitatis ignarorum ſuperbiam, generoſo impetu extollitur. Sic ad ſolidam Eruditionem, ad æquam Moderationem, ad Prudentiæ laudem, ad Gloriæ culmen, deducitur. Quid multis? Cùm in omni ætate, tum præcipuè hôc noſtrô Sæculô, magno in pretio habita ſunt, atque à Viris Eruditis aſſiduis curis exculta hæc Studia. Hinc tot, & in Anglia, quô non aliud eſt doctius cœlum, & in Gallia, & in Belgio, & in Germania, & in Italia, & in noſtra denique Helvetia, non eminuerunt modò hactenus, ſed & eminent adhuc Viri Summi, qui hanc Provinciam ornantes, ſibi immortale nomen, Eccleſiæ maximum emolumentum, Reique publicæ Li-

 tera-

Digitized by Google

Plato in Timæo. terariæ eximium decus pepererunt. Verbô, ut Græcos *ſemper pueros* Ægyptius ille Sacerdos dicebat, quòd Vetuſtatis eſſent ignari, ſic Viris Doctis vix annumerantur, quicunque Sacrâ Antiquitate mentem non illuſtrârunt; Et é contrario, quò quis majores in his Literis facit progreſſus, eò magis ſe *tollit humo*, ac *per virûm volitat ora.*

CONCLUSIO. Quæ cùm ita ſint, nemo, AUDITORES, demandati nobis Muneris præſtantiam, nemo Ampliſſimorum Procerum, illud inſtitutum volentium, ſapientiam, in controverſiam vocare poteſt. Sic eſt, VIRI PRINCIPES, quòd inter veſtras pro Athenæo noſtro curas, Sacris quoque Antiquitatibus locum hic eſſe Vobis placuerit, id ab iis omnibus qui veræ doctrinæ ſenſu planè non deſtituuntur, non poteſt non dignum præconiô, dignum immortali laude cenſeri. Utinam verò, utinam is eſſem, qui deſiderio hac in parte veſtro, qui veſtræ ſpei facerem ſatis. Utinam, & ætas, & valetudo, & ea imprimis, quæ me tam arcto coërcuit ſpatio natura, eam eruditionis penum, eam dicendi ubertatem, eam ingenii vim conceſſiſſet, quam tantum Munus requirit! Etenim, dum immenſam revolvo Diſciplinæ hujus amplitudinem, quæ non unius Gentis monumenta, non unius Sæculi memoriam, ſed omnium retrò Sæculorum Eccleſiarúmque res geſtas continet; Dum hanc, inquam, Sylvam intueor, & quid valeant recuſentque humeri apud meipſum expendo, me tanto oneri longè imparem non poſſum non profiteri. Tamen, cùm apud Vos tantùm valuerinr, & Majorum meorum merita, & ſingularis erga me ipſum voluntatis veſtræ propenſio, & aliqua etiam, quæ veſtra eſt bonitas, de me immerito licèt exſpectatio; cùm hæc, dico, apud Vos tantùm valuerint, ut hunc mihi honorem decernere, hanc mihi Spartam aſſignare, non ſitis dedignati, dabo operam, ut, ſi multa deſint, deeſſe verò plurima confiteor, diligentia ſaltem ac aſſiduitas à me nunquam deſideretur; útque, ſi is non ſim hodierno die, non eſſe autem ingenuè agnoſco, certè aliquando is fiam, quem me hoc in gradu decet eſſe. Interim Veſtrorum, PATRES CONSCRIPTI, tan-

Digitized by Google

tantorum in me beneficiorum, dum hac ſuperabo anima, nunquam me capiet oblivio. Quòd mihi Studiis operam danti animum ſubinde addideritis, quòd profectus meos quantuloſcunque æqui boníque conſulueritis, quòd in Venerandum Paſtorum Cœtum me cooptatum volueritis, quòd præſertim Sacris hiſce Studiis me præfectum decreveritis, atque ſolennia hæc Auſpicia præſentiâ Veſtrâ decoraveritis, ea omnia, nec in ingratum, nec in immemorem collata eſſe, ipſis factis Vobis conſtabit. Semper me deditum Vobis, ſemper ſtudiis Veſtris obſequentem, ſemper veſtræ Reipublicæ, veſtræ Eccleſiæ, veſtræ Academiæ, hoc quicquid eſt virium, quicquid eſt ingenii, quicquid eſt otii, quicquid eſt vitæ, devoventem, ſemper denique, ut Vos Civitati, & Civitatem Vobis, diutiſſimè ſervet Rerum Arbiter, votis allaborantem, atque ad Veterum Synodorum exemplum, Imperatoribus ſic acclamantium, *Multis annis Imperatorem, Orthodoxum Imperatorem multis annis*, ita me quoque, *Multis annis Proceres, Proceres Chriſtianos multis annis, Literarum Patronos, Fidei Cuſtodes multis annis*, nunquam non ingeminantem, ſuprema occupabit dies.

Et Vobis etiam, Viri Venerandi, Divinæ Legis Fidi Interpretes, Athenæi hujus ſplendida Sydera, Vobis, quòd me in ſinu veſtro, à rudibus uſque Studiorum primordiis, benignè foveritis, Vobis quòd me, tum Documentis, tum Exemplis, tum Hortatibus, literis vacantem juveritis, Vobis quòd me tam ſerenâ fronte adnexum Cœtui veſtro videritis, Vobis imprimis quòd meo huic Muneri calculos veſtros adjeceritis, mihíque tam faciles hodierno die præbere aures dignati ſitis, gratias, ſi non quantas debeo, at quantas poſſum maximas, ago. Hoc unum interim eſt quod poſtulem, quô beneficia tanta cumulentur; ut, cùm immenſi laboris opus, viréſque meas longè ſuperans, humeris meis fuerit impoſitum, concedatis, ut Vobis Magiſtris, Vobis adjutoribus ſemper utar, neque veſtram mihi hac in parte opem, veſtram peritiam, veſtra conſilia, quò dignus hoc Munere fiam, denegetis. Certè id poſſum aſſeverare, atque conceptis verbis ſpondere,

 mihi,

mihi, ſi alia plurima deſint, nec animi docilitatem, nec amorem veritatis, nec in diſcendo induſtriam, nec in docendo fidem, defuturam; Neque alium mihi, cùm in omni Studio, tum in hoc præſertim, finem futurum, quàm Veritatis illuſtrationem, Pietatis augmentum, atque antiquæ morum Diſciplinæ, per tot retrò Sæcula collapſæ, priſtinum in ſtatum reſtitutionem. Quæ bona, ut Vos quoque veſtris curis magis ac magis promoveatis, Vobis & longos annos, & proſperam valetudinem, & largam Divini Spiritûs copiam, ab eo cui ſervimus, adprecor.

Denique, & Vos etiam ſaluto, VIRI OMNIUM ORDINUM PRÆSTANTISSIMI, quódque Inauguralem hunc Sermonem frequentiâ Veſtrâ ornare, patuláſque dicenti aures commodare volueritis, in beneficii maximi loco repono. Quòd ſi porrò Veſtrûm aliqui, hæc in poſterum Sacra frequentare, híſce Studiis invigilare, in animum induxerint, iis omnem noſtram operam, induſtriam, curam pollicemur; Atque, ſi minùs peritum ducem, fidum ſaltem Studiorum comitem, habituros in nobis ſpondemus.

QUOD ſupereſt, ut à Te, O DEUS, *noſtra initium cepit Oratio, in Te etiam deſinat oportet. Redde igitur, redde tranquillos Eccleſiæ Tuæ laboranti dies: Sed ea imprimis redde tempora, quibus* * non magna loquebantur *Chriſtiani*, ſed faciebant; *neque* in dictis, ſed in factis, *Pietatis ſita erat ſumma. Da Eccleſiæ noſtræ, da Reipublicæ, da Academiæ, pacem, ſecuritatem, ſplendorem. Docentes confirma. Diſcentes adjuva. Cúmque hæc à nobis ſuſcepta Studia Nomini Tuo ſacra velimus, fac ea ad Gloriam Tuam redundent.* DIXI.

* *Non eloquimur magna, ſed vivimus.* MINUT. FEL. Οὐκ ἐν λόγοις, ἀλλ' ἐν ἔργοις, τὰ τῆς ὑμετέρας θεοσεβείας πράγματα. JUSTIN. MART.

ORATIO

ORATIO SECUNDA
INAUGURALIS
DE
THEOLOGO
VERITATIS ET PACIS
STUDIOSO.

Dicta eſt Kalend. Decembr. An. MDCCV. Quô die Auctor, in locum Viri Venerandi, LUDOVICI TRONCHINI, in Domino piè defuncti, ſubrogatus, publicam S. THEOLOGIÆ Profeſſionem adiret.

Digitized by Google

DULCISSIMÆ. PATRIÆ. ALMÆ.
GENEVENSIUM. CIVITATI.
REIPUBLICÆ. ECCLESIÆ.
ACADEMIÆ. UT. LABORES. SUOS.
OMNES. ITA. ET. HAS. PROFESSIONIS.
THEOLOGICÆ. PRIMITIAS.
OFFERT. AC. SUSPENDIT.
JOH. ALPH. TURRETTINUS.

Digitized by Google

ORATIO SECUNDA
INAUGURALIS
DE
THEOLOGO
VERITATIS ET PACIS
STUDIOSO.

Precatio habita ante Orationem.

CLEMENTISSIME DEUS, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui Eccleſiam, Unigeniti tui ſanguine redemptam, Paſtorum & Doctorum miniſterio cogis ac informas, nobis coram Te hîc proſtratis, & opem tuam, hoc Muneris aditu, depoſcentibus, propitius adeſto. Tot delicta à nobis admiſſa, & ira tua

Digitized by Google

accendendæ apta, ne in conſpectum tuum veniant; Ea, propter Chriſtum Dominum noſtrum, qui ſe victimam piacularem pro nobis obtulit, condona: Nóſque in gratiam receptos, Spiritûs tui luce ac virtute ita dirige, ut quæcunque, ſive in præſentia, ſive in poſterum dicturi ſumus, ad Verbi tui normam exigantur, ad Nominis tui gloriam tendant, ſicque grata Tibi & accepta ſint. O Pater
Pſ. CXIX. 18. *Luminum, ſine cujus lumine meræ ſumus tenebræ, retege oculos noſtros, ut contemplemur mirabilia tuæ Legis. O largitor boni omnis doni, qui ſapientiam*
Jacob. I. 5. 17. *petentibus Te largiturum ſpopondiſti, cœleſtem hanc ſapientiam ex alto nobis concede, quâ Evangelii tui veritatem, & dignoſcamus ipſi, & fideliter cuſtodiamus, & aliis, ut par eſt, tradamus. Ne patiaris, ô Deus, ut quicquam à nobis detur, niſi*
1. Cor. XI. 23. *quod à Te acceptum fuerit. Ne patiaris ut proprios ſenſus Scripturis tuis inferamus, ſed ut contrà proprios ſenſus ex Scripturis tuis emendemus.*
Auguſtin. *Sint caſtæ deliciæ noſtræ Scripturæ tuæ ſanctæ; nec fallamur in eis, nec fallamus ex eis. Dum verò ſacrum hoc ſemen Auditorum animis infundimus,*
1. Cor. III. 7. *Tu ipſe, ô Pater, da incrementum. Fac ut ſalutaris hæc Doctrina altas ac perennaturas in nobis omnibus agat radices. Fac ut nos, non doctiores tantùm, ſed meliores efficiat; Ita ut, non verbis dun-*

Digitized by Google

duntaxat, non habitu, non externa ſpecie, ſed intimis animi affectibus, ac virtutum omnium praxi, pietate, caritate, manſuetudine, modeſtia, Chriſti ſummi noſtri Doctoris diſcipulos nos comprobemus: Donec, ex terreſtri hac Schola, in cœleſte Sacrarium tranſlati, ea quæ fide apprehendimus coràm cernamus, perfectæque neque unquam deſituræ felicitatis compotes fiamus. Hæc Te rogamus in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Amen.

Proceres Ampliſſimi, Patriæ Patres,

Eccleſiæ Paſtores, Academiæ Profeſſores, Reverendi & Celeberrimi,

Auditores, ſive Natalium ſplendore, ſive Doctoratûs titulis, ſive Muneribus, ſive dotibus quibuſcunque conſpicui,

Voſque, ſacri Deo Juvenes, Theologiæ cæterarumque Artium Candidati lectiſſimi,

ETSI vereor ne turpe ſit ex hoc loco dicere incipientem timere, ubi præſertim de re dicendum eſt, quæ ſua ſe dignitate ac momento omnibus commendat, cúmque apud eos ſermo eſt habendus, quorum facilitas ac benevolentia non ſemel perſpecta eſt, tamen fateor me in præſentia, dum ſacræ hujus Ædis limina ſubeo, dum hunc ſuggeſtum conſcendo, méque ad dicendum accingo, graviſſimo percelli metu, totúmque con-

contremiſcere. Cùm enim ſemper in dicendo timidus à natura comparatus ſim, neque multùm mihi tribuere, ſed me meo pede metiri ſoleam, tum hîc potentiſſimæ metuendi cauſſæ, & vel audaciſſimo cuique metum facilè injecturæ, concurrere omnes videntur. Enimverò quamcunque in partem oculos conjicio, ſive ad novi Muneris mihi commiſſi gravitatem, ſive ad raras ac ſupra me poſitas, quæ in eo requiruntur, dotes, ſive ad Eccleſiæ & Scholæ noſtræ, quæ defæcatæ Religionis velut arx quædam ac propugnaculum, *Italiam contra Tiberinaque oſtia*, cenſetur, toto Orbe celebritatem, ſive ad ſummorum Virorum, qui in ea docuerunt, famam, ſive in primis ad magni Viri, cujus in locum, eheu quàm diſpar! ſubrogatus ſum, dotes ac merita, ſive ad altiſſima THEOLOGIÆ capita, ad quæ vel invito aſſurgendum erit, ſive ad denſiſſimas ANTIQUITATIS ECCLESIASTICÆ tenebras, quæ ut jam hactenus per novem annos, ita nunc porrò erunt depellendæ, ſive ad corpuſculi perpetuis morbis fracti ac exhauſti debilitatem, ſive ad ingenii tot tantiſque rebus longè imparis tenuitatem, dum ad hæc, inquam, oculos circumfero, equidem his omnibus ita afficior, percellor, commoveor, ut mens ſtupeat, corpus vacillet, turbentur cogitationes, ipſaque vox faucibus hærere propemodùm videatur. Neque ſanè ad tantum onus me ambitu ullo adſpiraſſe, ſed id præter exſpectationem, imò præter votum mihi obtigiſſe, utpote qui valentioribus humeris illud impoſitum ſeriò optabam, iis abundè perſpectum eſt, qui me penitiſſimè nôrunt, & harum rerum pars magna fuêre.

Verùm enimverò, AUDITORES, cùm ita Numini viſum fuerit, &, unanimi, tum Ampliſſimi Ordinis, tum Venerabilis Collegii conſenſu, hæc mihi Provincia ſit demandata, jactaque, ut aiunt, ſit alea, neque retrocedere ampliùs liceat, ſequar equidem quò me trahunt fata, & vocanti Deo parebo: Atque in id totus incumbam, ut ne commiſſi officii partibus ullâ meâ culpâ deeſſe videar; utque, ſi non pro voto, ſaltem pro exiguis quæ ſuppetunt viribus, & propriæ conſcientiæ, &

Aca-

Academiæ utilitati, & Studioſorum commodo, & publicæ expectationi, faciam ſatis. Certè, id poſſum affirmare, & hac ſolenni luce ſpondere, mihi, ſi alia plurima deſint, juſtum ſaltem ac legitimum, in hoc Munere obeundo, propoſitum neutiquam deeſſe; & ſi minùs eruditione, acumine, facundia, valeam, duas ſaltem animi dotes, in eo qui Theologiam docet apprimè requiſitas, *Veritatis* dico & *Pacis* ſtudium, in me ſemper repertum iri; ſive, ut Pauli verbis utar, Epiſtolæ ad Epheſios cap. IV. ℣. 15. me ex eorum ſemper fore numero, qui ἀληθεύοντες ἐν ἀγάπῃ. Quod quidem cùm ſeriò apud me ſtatuam, in eóque ſtudiorum omnium, conſiliorum, conatuum, caput ac ſummam collocem, ita non aliud argumentum inauguralis hujus Sermonis, præter duas illas, tum Chriſtiani viri, tum in primis Theologi, dotes, eligendum cenſui. O Tu, Veritatis & Pacis Deus, qui te ipſam Veritatem, Caritatem ipſam nuncupas, adeò utramque habes in pretio, de virtutibus illis dicenti propitius adſpira; ſed eas potiſſimùm, tum dicturis nobis, tum auditaris omnibus inſculpe; ita ut, cùm in aliis rebus, tum in Religionis præſertim negotio, utriuſque amore ac ſtudio ſemper ducamur. AMEN.

Antequàm verò ad rem accedamus, placet Apoſtolici ſermonis ſeriem, dictô Epiſtolæ ad Epheſios locô, hîc breviter repræſentare; ſiquidem nobilis hæc pericope ad hodiernam celebritatem, noſtrumque inſtitutum, apprimè facit. Ergo, initio Epheſ. IV. ℣. 1.
hujus capitis, Paulus Epheſios, cùm ad alia officia, tum in primis ad concordiam, & quæ concordiæ adminicula ſunt, ℣. 2. 3.
modeſtiam, manſuetudinem, tolerantiam hortatur. Quem in finem, & Eccleſiam unum corpus eſſe, & uno ſpiritu regi, ℣. 4. 5. 6.
& ad unius hæreditatis ſpem aſſurgere, & unum eſſe Dominum, unam fidem, unum baptiſma, unum Deum & Patrem omnium, in mentem ipſis revocat. Verùm, cùm paci nihil magis obſtet, quàm ſi quorundam dotes ac munera invido ab aliis oculo cernantur, monet Apoſtolus χαρίσματα omnia, Mu- ℣. 7.
nera omnia Eccleſiaſtica, alia aliis majora, non aliud quàm

Chriſti

Chriſti dona eſſe, quæ quidem pro lubitu ſuis largitur; Unde
nec propriis donis inflari, nec alienis invidere par eſt, ſed
omnia ad datoris ſcopum & gloriam potiùs referre. Quòd
autem hæc omnia à Chriſto procederent, confirmat Apoſtolus
℣. 8. adductô locô Pſ. LXVIII. quô, ſub figura Arcæ, in montem
Sion cum pompa tranſlatæ, triumphalis Chriſti Adſcenſio, &
ſecuturæ largitiones prænuntiabantur. Quænam verò largitio-
nes? Scilicet Munera Eccleſiaſtica, & dotes eis adjunctæ; Dum
℣. 11. *alios dedit Apoſtolos*, *Prophetas*, *Evangeliſtas*, quæ quidem
Munera erant extra ordinem, & primis illis temporibus pro-
pria, *alios Paſtores & Doctores*, quarum functionum perpetuus
uſus in Eccleſia eſſe debuit. Et quem in finem dedit hæc
℣. 12. Munera? Nempe ad Eccleſiæ conſtitutionem, quam *coag-
mentationem Sanctorum*, *opus Miniſterii*, *ædificationem corporis
Chriſti*, vocat Apoſtolus. Et uſque quò perdurare debuit
℣. 13. Munerum illorum uſus? Nimirum, donec nos omnes, quo-
rum adhuc diſpar eſt fides & cognitio, *unitatem* ac perfec-
tionem hoc reſpectu adtigerimus, Chriſtuſque in nobis for-
mandus *viri perfecti ætatem* vel *ſtaturam* adeptus fuerit;
quod nonniſi in futuro ſæculo continget. Mox, ut Munerum
illorum uſum ulteriùs confirmet, monet jam tum falſos Doc-
tores, ſive Gnoſticos, ſive alios ſimiles, Chriſtianorum ſimpli-
citati ac fidei inſidias paràſſe; adverſus quas proinde Fideles,
℣. 14. Paſtorum ac Doctorum miniſterio, muniendi erant: *Ne ſimus*,
inquit, *tanquam pueri*, qui ſe facilè à quovis decipi patiuntur;
ne, inſtar fluctuum, vel naviculæ, *ad omnem* falſæ *Doctrinæ
ventum huc illuc impellamur*; unô verbô, ne à falſis doctori-
bus, qui *verſipelli aſtutia*, variiſque *artibus ad fallendum aptis*,
errores ſuos obtrudere tentant, nobis fucum fieri ſinamus. Et
hæc quidem pericula vitanda: Contrà verò quid agere opor-
℣. 15. tuit? Nempe ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ, ſicque *creſcere* ac *adoleſcere*, tan-
quam corpus cujus *Chriſtus eſt caput*. Quid autem propriè de-
ſignet, illud ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ, non eadem eſt omnium ſententia.
Quidam exponunt *ſincerè diligere*, *in caritate exercenda verum
ac ſincerum ſe præſtare.* Sic *Grotius*, aliique. Verùm tota
capi-

Digitized by Google

capitis ſeries, & ea potiſſimùm quæ proximè antecedunt, de *veritatis*, hoc eſt, veræ doctrinæ ſtudio, cum caritate conjungendo, hîc agi ſuadent? Nam illis falſæ *Doctrinæ ventis*, illis *errorum offuciis*, illis *artibus veteratoriis*, *ad fallendum comparatis*, de quibus verſu ſuperiori, quid opponit Apoſtolus? Nempe τὸ ἀληθεύειν, *veritatem ſectandam*, *veritati adhærendum eſſe*: At cùm falſi illi Doctores diſſidia etiam ac jurgia in Eccleſiis ſererent, ideò τῷ ἀληθεύειν addit Apoſtolus ἐν ἀγάπῃ, ita veritatem ſectandam, ut *caritatis* quoque recordemur, ut *in caritate* ſimul ambulemus. Et hæc quidem eſt longè aptiſſima hujus loci interpretatio. Enimverò ſunt hæc duo maxima circa Doctrinam Chriſtianam officia. Veritate conſtat fides; Caritate obedientia penè abſolvitur. Veritas intellectum ornat; Caritas voluntatem perficit. Veritate illuſtramur ipſi; Caritate alii cum aliis conjungimur. Per Veritatem, à falſorum Doctorum erroribus; Per Caritatem à jurgiis & ſchiſmate nobis cavemus. Utraque igitur finis eſt Miniſterii ſacri; Utraque Chriſtianæ inſtitutionis ſummam abſolvit; Per utramque formatur & coaleſcit corpus Eccleſiæ; Per utramque in Chriſto tanquam capite adoleſcimus. Verùm de Paulino loco plus ſatis. Ad rem ipſam jam accedamus; Et primùm, quanta fide Veritas ſectanda ſit, deinde, quàm arcto fœdere ei Caritas ſit adjungenda, reſpectu Theologi ſpeciatim, probatum demus.

I. De Veritatis Studio.

I. Et de Veritate quidem, Auditores, vix opus eſt ut quidquam dicamus, ſiquidem ejus præſtantia, ejuſque ſectandæ neceſſitas, apud omnes eſt in confeſſo. Certè, ipſâ naturâ duce, nos veri ſtudio trahi & accendi, imò & ipſos errores, nonniſi veri ſpecie indutos, mentis aſſenſum extorquere, nemo eſt qui, ſi in ſe deſcendat, ſenſu proprio non convincatur. Unde Veritatem naturale quoddam mentis pabulum eſſe, illâ nos paſci, recreari, exornari, erigi, contrà labi, errare, ac decipi, rem turpiſſimam ducendam eſſe, ipſi Ethnicorum Sapientes produnt. Jam quicquid pravi, quicquid culpabi-

pabilis, quicquid turbidi, quicquid inquieti, quicquid denique triſtis ac miſeri, hominum vita in ſe continet, id omne à veri ignoratione atque erroribus ortum ducere, contrà verò ad bona omnia, honeſtatem, juſtitiam, pacem, quietem, felicitatem, nonniſi Veritatis auxilio tutum nobis aditum patere, apud eos qui in rem adtentè introſpexerint, abundè conſtat.

Quòd ſi verò tanto in pretio Veritas omnis habenda eſt, quantò magis ea Veritas, quæ eſt omnium maxima, quæque reliquis & dignitate & momento longè antecellit? Si, quæ nonniſi res vulgares tradit, tamen habet quo mentem alliciat, quantò magis ea Veritas, quæ res longè maximas docet, quæ de Deo & Divinis agit, quæ, & rectum de Numine ſenſum, & verum ejus Cultum præcipit, quæ miſeriarum noſtrarum originem & earundem remedium monſtrat, quæ, à Deo ipſo profecta, nos ad Deum pariter ducit? Si, quæ nonniſi vanæ cuidam diſcendi cupidini paſcendæ apta eſt, quantò magis quæ intellectum divina quadam luce perfundit, voluntatem dirigit, affectus frænat, noſque Dei ſimiles ac Deo dignos effingit? Si, quæ non ultra perituræ hujus & caducæ vitæ terminos utilitatem ſuam extendit, quantò magis ea quæ communem mortalitatis legem ſupergreſſa, interminatam animi & corporis beatitatem poſt ſe trahit? Quanto illa ſtudio ſectanda, quanto labore redimenda, quanta fide cuſtodienda eſt?

Verùm, AUDITORES, cùm de Theologo ejuſque officiis ſpeciatim agatur, dicamus eum in duobus præſertim ἀληθεύειν oportere; In *diſcendo* nempe ac *docendo*; ſibi primùm, deinde & aliis; ſtatim ut Diſcipulum, mox ut Præceptorem.

I. Enimverò, ut eum *Diſcentem* primo loco intueamur, quis neget ei Veritatem ſummo ſtudio addiſcendam eſſe, qui eam aliis ſit traditurus? Etenim, quomodo alios ducat, qui ſit ipſe viæ ignarus? Quomodo alios illuſtret, cujus oculis lux non af-
Matt. XV. 14. fulſerit? Quomodo alios paſcat, qui pabulo ipſe deficiat? Quo-
Matt. V. 13. modo alios ditet, qui in penuria ipſe verſetur? Sanè, *ſi cæ-*
Matt. VI. 23. *cus ſit cæcorum ductor, utrique in foveam decident.* Et, *ſi*
ſal ſit inſipidum, quo tandem ſalietur? Et, *ſi lumen quod in*
te

te eſt, ſunt tenebræ, quantæ tenebræ illæ futuræ ſunt?

Diſcat igitur, diſcat Veritatem, qui aliquando ſit doctūrus. Sed ut eam, in tanta errorum, quibus humanum genus circumfunditur, caligine, ritè diſcernere valeat, his cautionibus utatur oportet. *Regulæ investigandæ Veritatis.*

1. Primò quidem humanam omnem auctoritatem procul eſſe jubeat; Nulli mortalium ſe mancipet; In nullius verba juret; ſed uni Deo, tum in conſcientia, tum in Scripturis loquenti, ita fidem omnem accommodet, ut omnia hominum placita ad hanc fallere & falli neſciam Verbi Divini normam expendat. Quod quidem præceptum, ut olim à Moſe, à Prophetis, à Chriſto ipſo, à Paulo denique & Johanne, prægnantiſſimis verbis ſancitum eſt, ita & ab iis ipſis Eccleſiæ Veteris Doctoribus, quorum hodie auctoritati nimio plus tribuitur, non ſemel eſt confirmatum. Sic Augustinus, *Ego*, inquit, *ſolis iis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſimè credam; Alios autem ita lego, ut quantàlibet ſanctitate doctrinâque præpolleant, non ideò verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi, vel per illos autores Canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non abhorreat, perſuadere potuerunt.* (Auguſtin. Epiſt. 19. ad Hieron.)

2. Secundò, quiſquis ſeriò veritati diſcendæ incumbit, præconceptis opinionibus, nullâ exceptâ, nuntium mittat. Eum nec moveant quæ puer didicit, nec quæ in Patria obtinent, nec quæ ſuffragiorum numero, antiquitate, ſplendore, potiſſimùm commendantur; Ea omnia ad rectæ rationis & Verbi Divini libram appendat; Memor ſcilicet, *Veritati nihil præſcribere, non ſpatia temporum, non privilegia regionum, non patrocinia perſonarum*, prout ſcitè Tertullianus. (Tertull. de virg. vel. cap. 1.) Enimverò, ſi præjudicatis opinionibus agere liceat, ſanè Turca Muhammedis ſordibus, & Paganus Idolorum cultui, cur ſe ſubducat, cauſſam non habet; Quod quiſque acceperit infans, ad quam quiſque opinionem velut tempeſtate delatus fuerit, illud ipſi veritas erit: Quô quid abſurdius, & Veritati magis injurium, proferri poteſt?

3. Tertiò, ut præconceptis opinionibus nuntium mittere, ita & affectuum vinculis

ac repagulis mentem exſolvere, Veritatis candidatus neceſſe habet. Nihil igitur privati commodi, nihil gloriæ, nihil famæ, nihil amicitiæ, nihil iræ, nihil invidiæ, nihil zelotypiæ, apud eum ratio valeat. His ſiquidem velut nebulis cœleſtis
4. veritas tegitur, & mentis aciem fugit. Porrò, his remotis obſtaculis, aliud quartò obſervandum eſt; ut ſcilicet Veritas attentè ac diligenter exquiratur; ut auxilia omnia, ſive ex Linguarum peritia, ſive ex Hiſtoriæ receſſibus, ſive ex Philoſophiæ adytis, ſive aliunde emergentia, ſedulò adhibeantur; ut rationes omnes ultrò citróque æqua lance ponderentur, denique nihil omittatur, unde veritas ulla ratione exſculpi queat. Equidem fateor eas veritates, quæ ad Salutis ſummam faciunt, planas eſſe ac faciles, quantùm Fidelium vulgo ſufficit; At eorum qui docent reſpectu, longè aliter ſe rem habere certiſſimum eſt: Cùm enim ad rerum principia aſſurgere, obſcuris lucem inferre, pugnare viſa conciliare, vetera novis componere, veris falſa revincere, denique de altiſſimis Diſciplinæ ſacræ apicibus diſſerere teneantur, ſanè incredibili diligentia, nec vulgari induſtria iis opus eſt. Unde GREGORIUS NAZIANZENUS, cui Theologo nomen inditum, *Non eſt cujuſvis*, inquit, *de Deo diſſerere*; *Non cujuſvis ſanè. Non adeò vilis ac protrita ea res eſt*, *nec eorum qui adhuc humi ſerpunt*: *ſed hoc eorum eſt munus*, *qui accuratè explorati ſunt*, *& con-*
5. *templando longè proceſſerunt.* At verò, quod quintò ſtatuimus, ſingulari præſertim modeſtia in rebus ſacris inveſtigandis ac tractandis opus eſt; Ut ne ad ea quæ nos ſuperant, temerario auſu aſſurgamus; Ut ne illa ſcrutemur, quæ mirari potiùs decet; ſed ut humanæ imbecillitatis & caliginis memores, in iis quæ Deus revelat placidè acquieſcamus, cæterorum autem ignorantiam ingenuè profiteamur. Unde idem ille Gregorius, eum Theologum impensè laudat, *ὅστις μετρίως περὶ θεοῦ φθέγγεται, καὶ τὰ μὲν εἰπεῖν οἶδε, τὰ δὲ κατέχειν, τῶν δὲ ὁμολογεῖν τὴν ἄγνοιαν*, *qui ſobriè ac modeſtè de Deo loquitur*, *& quædam effari novit*, *quædam premere*, *quorundam etiam ignorantiam fateri*: Quibus quidem aureum ſubjungit, neque ſatis unquam Theologis inculcandum

Gregor. Nazianz. Orat. 33.

Gregor. Nazianz. Orat. 26.

præ-

præceptum, μελέτα μὲν τὰ θεῖα, ἀλλ' εἴσω τῶν ὅρων μένων. *Meditare quidem res divinas, ſed intra limites te contine.* Egregiè dicta; ſed quæ qui proferunt, præcipiunt, inculcant, utinam iis ſemper ipſo facto obſequerentur. Denique, ultima, ſed & 6.
præcipua, in Veritate diſcenda, regula, hæc eſt, ut animo pio ac devoto id fiat: Enimvero tam ſancta myſteria nonniſi purgatâ mente puriſque manibus attrectanda ſunt. Τῆλε φεύγετε, ὅσοι ἀλιτροί. Ἑκὰς, ἑκὰς ἔστε, βέβηλοι.

Scio incapacem te ſacramenti, impie, Prudent.
Non poſſe cæcis mentibus myſterium
Haurire noſtrum; Nil diurnum nox capit.

Ac re verâ, ſi quis non pius Diſciplinæ noſtræ ſe addicat, ab ejus genio, ab ejus indole, immane quantùm aberrabit. Neque mirum; Qui enim cæcus de coloribus judicium ferat? Senſu conſtant, maximam partem, Theoſophiæ noſtræ arcana; Hoc qui ſenſu, vel afflatu potiùs divino deſtituitur, ad ſpiritualia & cœleſtia planè cæcutit, nec niſi leviſſimam quandam eorum umbram poteſt apprehendere. Unde eximiè Paulus Apoſtolus, 1. Cor. II. 14.
ψυχικὸς ἄνθρωπος, inquit, *Homo animalis*, homo terrenus, homo Deo vacuus, *non capit ea quæ ſunt Spiritûs Dei; ſunt enim ei ſtultitia; neque poteſt ea cognoſcere, ſiquidem ſpiritualiter dijudicantur.* Unde & Pſaltes, *Arcanum Jehovæ timentibus eum*; Pſ. XXV. 14.
Et Chriſtus Dominus noſter, *Si quis voluerit ejus qui me miſit voluntatem exſequi*, γνώσεται περὶ τῆς διδαχῆς, *cognoſcet de doctrina, utrùm ſit à Deo, an ex me ipſo loquar.* Joh. VII. 17.

II. Et hoc quidem pacto, Auditores, ſe Veritatis diſcipulum Theologus præſtare debet. Ubi verò ad *docendum* accedit, non minori affectu, non minori diligentia, non minori fide, debet ἀληθεύειν. Hac nimirùm luce colluſtratus, eam quaquaversùm diffundere, hunc veritatis theſaurum nactus, ex eo vetera & nova, quibus diteſcant diſcipuli, & Regnum Chriſti promoveatur, expromere debet. Verum, ut tradendæ Veritatis modus meliùs innoteſcat, eum etiam ſequentibus Regulis *Regulæ tradendæ Veritatis.*
comprehendi poſſe cenſemus. Primò quidem cœleſtis Veritas 1.
purè ac ſincerè tradenda eſt; ita ut nihil humani, nihil peregrini

1. Cor. XI. 23. grini immiſceatur; atque, ut Paulus de ſe aſſerit, nihil auditoribus *detur*, niſi *quod à Domino acceptum fuerit*: Cujus quidem regulæ ſi nunquam Theologos oblivio cepiſſet, tot humanis inventis, tot peregrinis dogmatibus, ex Platonis Academia, vel Ariſtotelis ſchola propagatis, Chriſtianæ fidei

2. ſimplicitas non fuiſſet violata. Secundò cœleſtis Doctrina modo *plano*, *facili*, ac *populari* tradenda eſt; non Ariſtotelis, non Thomæ, non Scoti, ſed Spiritûs S. ſermone; quem qui docendo minùs aptum cenſet, & barbaras Scholæ locutiones anteponendas judicat, næ ille Deo Scripturæ auctori, ejúſque ſapientiæ, nimium quantum eſt injurius. Adde quòd, peregrinis vocibus Theologiæ Chriſtianæ admixtis, fieri non poteſt quin res peregrinæ eâdem operâ ei aſſuantur, prout ex-

1. Petr. IV. 11. perimento plus ſatis conſtat. Igitur, dum loquitur Theolo-

3. gus, *loquatur ut eloquia Dei*. Tertiò, non nudè tantùm Veritas proponenda eſt, ſed *ſolidis argumentis* aſſerenda & confirmanda. Fuit nimirum gravis calumnia Paganorum in Chriſtianos, quòd Chriſti Schola ψιλὴν πίστιν doceat, quæ ab inepta ac puerili credulitate nihil diſtet: Quo quid falſius fingi potuerit, & Chriſtianæ Religionis indoli magis adverſum, non equidem video. Nam illa quidem credere nos jubet; ſed temerè & ſine cauſſa credere, neutiquam jubet. Contrà verò, Doctrinam Chriſtianam potentiſſimis argumentis, invictiſſimis demonſtrationibus (quid enim fortius *demonſtratione Spiritûs & potentiæ?*) invictis, inquam, argumentis niti, ſeque conſcientiæ omnium approbare, omneſque ad explorandam ſui veritatem provocare, nemo niſi in rebus noſtris planè hoſpes ignorare poteſt. Quamobrem, omnia ſedulò expendere, veritates omnes rationibus munire, nihilque niſi ſolidè probatum in medium proferre, Theologi ἀληθεύοντος officium eſt. Ut

(Clem. Alex. Strom. lib. 2. Orig. cont. Celſ. Ruffin. in Symb. — 1. Cor. II. 4. 2. Cor. IV. 2. 1. Theſſ. V. 21.)

4. verò ſolidè veritatem aſſerere, ita & iſtam adverſus errores *fortiter defendere*, & ſartam tectam tueri debet. Sit igitur Theologus noſter, & ad veri διδασκαλίαν, & ad falſi ἔλεγχον, paratus. Geſtet ille, Judæorum inſtar Hieroſolyma inſtaurantium, alterâ quidem manu trullam, ſed & alterâ gladium;

(Tit. I. 9. Nehem. IV. 17.)

trul-

trullam, quâ ædificet; ſed & gladium, quô ingruentes hoſtes
operíque moleſtos confodiat. Quæ quidem Provincia hodier-
no die, in tanto errorum numero, tantáque errantium verſu-
tia ac ſubtilitate, vaſtiſſima & difficillima, ſed & ſummè ne-
ceſſaria eſt. Verùm & aliud præterea requiritur; Ut ſcilicèt
in his omnibus Theologus *prudenter* ſe gerat; Ut certa ab in- 5.
certis, utilia ab inutilibus, neceſſaria à non neceſſariis, accu-
ratè ſemper diſtinguat; Ut hominum, locorum, temporum,
omnium denique circumſtantiarum, ſedulò rationem habeat:
Nam Veritas quidem ſemper docenda, ſed non omnis ſemper
Veritas, ſed non apud quoſlibet, ſed non omni pariter tem-
pore. Denique, quod palmarium, ut piè diſcere Theologus, 6.
ſic & *piè* docere debet. Et hic quidem non poſſum non con-
queri (quidni enim liberè dicamus?) Theologiam, ut vulgò
traditur, non ſatis ad pietatem comparatam eſſe; animum
Deo plenum, ejuſque obſequio mancipatum non ſatis ſpirare;
caritatem, manſuetudinem, modeſtiam Chriſtianam, quæ qui-
dem ſunt primaria Diſciplinæ noſtræ capita, Juvenum animis
non ſatis infundere; ſed é contrario Doctrinam ſanctiſſimam, in
meras ſubtilitates, ad pietatem nihil attinentes, utplurimùm
converſam videri. Ab hoc igitur vitio ſibi Theologus noſter
cavebit. Dum docebit veritatem, ſemper cogitabit, eam eſſe
ἀλήθειαν τὴν κατ᾽ εὐσέβειαν, *veritatem quæ eſt ſecundùm pietatem*; Tit. I. 1.
Dum Myſteria explanabit, ſemper recordabitur *Myſteria pieta-* 1. Tim. VI. 3.
tis eſſe. Huc omnia trahet, omnia referet; Quodque opti- 1. Tim. III. 16.
mum docendi genus, non dictis ſolùm, ſed factis, non doc-
trinâ ſolùm, ſed exemplô, Diſciplinæ noſtræ efficaciam & ſanc-
titatem demonſtrabit.

II. At verò, inter virtutes omnes, quibus Pietas Chriſtia- II.
na conſtat, nulla rarior in Theologis, ſed nulla tamen iis aliiſ- De Caritate
que à Chriſto Domino magis commendata, quàm ea quæ Ve- Veritati ad-
ritati ab Apoſtolo noſtro adjungitur, dum ἀληθεύειν jubet ἐν ἀγάπῃ, jungenda.
hoc eſt, ita Veritatem ſectari, ut *in Caritate* ſimul ambulemus,
ut Veritatis perpetua ac indivulſa comes ſit *Caritas*.

Hoc

Hoc verò loco, AUDITORES, ut in Divinæ illius virtutis, ut in fraterni illius Amoris, quem ſuis tam ſeriò commendat Chriſtus, officia omnia & laudes excurram, à me hauddubiè non exſpectatis. Hoc unum dicam, quòd ſi omnes homines, unius naturæ ligati vinculo, ſi ex hominibus præſertim Chriſtiani, quorum hanc eſſe primariam legem, quorum hanc eſſe teſſeram & characterem Chriſtus voluit, ſanè ex Chriſtianis præcipuè Theologi, qui ſe Dei pacis Miniſtros dicunt, qui Evangelium pacis promulgant, qui filios pacis informant, qui nonniſi verba pacis & caritatis in ore habent, ad hanc pacem, ad hanc Caritatem, ſtrictiori quodam modo adiguntur. Unde inter Viri Dei dotes, eum non debere eſſe

1. Tim. III. 5. Tit. I. 7. 2. Tim. II. 24. 25.

percuſſorem, non *iracundum*, non *pugnacem*, ἀλλ' ἐπιεικῆ, ἤπιον, ἄμαχον, ſed *moderatum*, *manſuetum*, *à pugnis alienum*, ἐν πραότητι παιδεύοντα τοὺς ἀντιδιατιθεμένους, *in lenitate adverſarios erudientem*, non uno loco præſcribit Paulus.

Verùm, quod apprimè obſervandum eſt, hujúſque eſt loci proprium, ea eſt Veritatis cum Caritate copulatio, quam hoc loco commendat Paulus, dum ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ *veritatem in caritate*, vel *cum caritate*, *ſectari* jubet. Etenim id innuit, duo hæc nunquam ſejungenda; nec Caritatem ſine Veritate, nec Veritatem ſine Caritate; neque ullam Caritatis praxim, quæ Veritatis diſpendio conſtet, nec viciſſim Veritatis ſtudium, quod Caritati adverſetur, admittenda à nobis eſſe.

I. *Nulla Caritas ſine Veritate.*

I. Primò igitur *nulla Caritas ſine Veritate* eſſe debet; nulla Caritas quæ veritati ſit injuria, nulla Caritas quæ in veritatem nos peccare faciat, nulla Caritas quæ erroribus exitialibus, & Cultui à Deo prohibito, nos adhærere, vel favere, vel ullo modo connivere cogat; Quippe hæc non Caritas, ſed erroris confœderatio & conſpiratio dicenda eſt. *Volumus & nos pacem*, inquiebat HIERONYMUS; *Et non ſolùm volumus, ſed & rogamus*; *ſed pacem Chriſti*, *pacem veram*, *pacem in qua non ſit bellum involutum*. Alioquin, *optabilius eſſe bellum*, *pace quæ à Deo nos ſejungat*, ſcitè docet NAZIANZENUS. Quam quidem in legem, duos ſummos Viros, alterum penultimo, alte-

Hieron. Epiſt. 62. ad Theophil.

Greg. Nazianz. Orat. 21.

alterum noviſſimo Sæculo florentes, Erasmum dico & Paulum Sarpium, non leviter peccâſſe conſtat; Qui, licèt, pro ſumma qua pollebant ingenii ſagacitate, eruditione omnis generis, ac Literarum Sacrarum peritia, intolerandos Papatûs errores abundè agnoſcerent, imò & vividè non rarò perſtringerent, tamen præpoſtera quadam caritate, veriùs dicam timiditate & carnali prudentia, *veritatem*, ut cum Paulo loquar, *in injuſtitia detinuerunt*, & in Babylonicæ meretricis gremio ad mortem uſque permanſerunt. Apàge, apage talem Caritatem, quâ veritas opprobrio afficitur, quâ conſcientia ſauciatur, quâ errantes magis magiſque in erroribus confirmantur, piis verò ſcandalum creatur, quâ lux cum tenebris, Chriſtus cum Belial, Dei Templum cum Idolis conjungitur; quâ denique Regnum Chriſti diruitur potiùs quàm ædificatur.

Rom. I. 18.

2. Cor. VI. 14. 15. 16.

II. Verùm, ut Caritas ſine Veritate, ita *nec Veritas ſine Caritate*, Theologo ſuſcipienda eſt. Ipſa ſiquidem Veritas ad Caritatem per ſe ducit, eam præcipit, urget, commendat; Unde, qui in Caritatem peccat, is Veritatem, hoc eſt Evangelium, abnegare quoque dici poteſt. Rursùs, quis neſcit, miſsâ Caritate, contentionibus, jurgiis, ſtudiis partium in Religione, ſæpe veritatem ita obſcurari, ut à contendentium oculis fugiat? Juxta dictum illud vetus, quòd *nimiùm altercando veritas amittitur*. Denique, nec commodè tradi, nec utiliter defendi Veritas, ſine Caritate unquam poterit. Putant multi, ſe *acerbô zelô* veritati multùm prodeſſe. Imò eam deſtruunt, eam exoſam præſtant, ab ea arcent magis magiſque, nedum ad eam adducant, qui ab ea ſunt alieni. Vel ſi quid agunt, vim corpori faciunt, mens verò libera ac ſui juris ab eorum jugo ſemper ſe eximit; Quocirca, non religioſos, non veritatis aſſeclas, ſed hypocritas, ſed mendaces, ſed profanos non rarò ac Atheos, duro illo ac præpoſtero veritatis ſtudio efficiunt. Contrà verò, ſi manſueto animo, ſi amico, ſi pacifico, veritas proponatur, ſi non conviciis, non minis, non tormentis, non ſævitia, ſed inſtitutione, ſed rationibus, ſed amore res peragatur, quis non videt veritatem hoc pacto, & faciliùs, & certiùs, de ipſis animis triumphaturam?

II. Nulla Veritas ſine Caritate.

Jacob. III. 14.

 Atque

Atque huc facit exemplum Dei: Nam Deus quidem eſt
Oſe. XI. 4. prima Veritas, & Veritatem impensè amat; Sed quomodo ad
Veritatis agnitionem homines adducit? Nimirum *vinculis amo-*
Pſ. CX. 3. *ris*, prout loquitur Scriptura. Benefacit, ſuadet, hortatur;
ſed neminem ad ſe invitum trahit; vult עם נדבות *populum*
Joh. XVIII. 37. *ſpontaneum.* Huc facit etiam exemplum Chriſti; Nam Chriſ-
tus quidem eo fine venerat, *ut veritati teſtimonium perhiberet*,
Matt. XII. 19. prout ipſe aïebat Pilato. At quomodo id exſecutus eſt? *Non*
Matt. XI. 29. *litigavit, non clamavit, vocem ſuam in plateis exaudiri non*
paſſus eſt. Fuit *manſuetus & humilis corde.* Quid Apoſtoli?
Nonne in hoc etiam Domini ſui veſtigia preſſerunt? utpote
1. Cor. X. 4. qui, non carnalibus armis, ſed præconio, ſed ſuaſione, veri-
tatem diſſeminârunt. Denique nec alia purioris ævi, & vici-
Lactant. Inſtit. Lib. V. cap. 20. nioris Chriſto, mens fuit. Unde LACTANTIUS eximiè præ
cæteris; *Defendenda*, inquit, *religio, non occidendo, ſed monen-*
do; non ſævitia, ſed patientia; non ſcelere, ſed fide: Nam,
addit, *ſi ſanguine, ſi tormentis, ſi malo, religionem defendere velis, jam non defendetur illa, ſed polluetur atque violabitur. Nihil enim eſt tam voluntarium quàm religio, in qua ſi animus ſacrificantis averſus eſt, jam ſublata, jam nulla eſt.* Hæc Lactantius, quibus gemina apud alios purioris ævi Theologos paſſim leguntur. Scilicèt, ignota adhuc erant (atque utinam in perpetuum ignota manſiſſent) non jam dicam Circumcellionum, non Arianorum, non Muhammedis, ſed & illius Eccleſiæ, quæ Catholicam, Apoſtolicam, imò ſolam Chriſtianam ſe venditat, & truculenta conſilia, & atrociſſimæ lanienæ, & Bella Sacra à Cruceſignatis in miſeros Fideles geſta, & barbarum illud denique *Inquiſitionis* Officium, quô haud ſcio an quicquam iniquius gentes feriſſimæ unquam habuerint; illa, inquam, primis temporibus, Chriſtianis erant ignota; neque mitiſſima Diſciplina, quæ non ſævire, ſed pati docet, in belli facem, carnificinam, atque omnis crudelitatis magiſtram adhuc evaſerat.

Hoc ergo ſtet fixum ratúmque, nec Veritatem à Caritate, nec Caritatem à Veritate ullatenùs divellendam eſſe. Verùm in quo potiſſimùm ſeſe Theologi Caritas prodet? In omnibus,

AUDI-

Auditores; Etenim nullum eſt ejus munus, nullum officium, nullum ſtudium, quod, ut ad Veritatem tendere, ſic & Caritate temperari, regi, atque animari non debeat. Caritas aderit *in diſcendo*; ut ea ſcilicet potiſſimùm diſcat, non quæ ad vanam pompam faciant, ſed quæ ad uſum pertineant, ſed quæ ad Eccleſiæ ædificationem & commodum ſint profutura. Caritas aderit *in docendo*; ut nihil prætermittat, quò ſeſe utilem præſtet, omnibúſque officii partibus cum fructu defungatur. Caritas circa *Veritates*, ut eas pro viribus illuſtret, confirmet, diſſeminet. Caritas circa *Errores*, ut eos omni ope, ſed modis tamen legitimis refellat. Caritas circa *Errores leves*, ut eos potiùs ferat, donec opportunius tempus advenerit, quàm ut Eccleſiæ pax violetur. Caritas circa *Errores graves*, ut in iis damnandis, confutandis, evellendis, errantium tamen perſonæ parcat, eorúmque emendationi ac ſaluti ſemper conſulat. Caritas, *ubi pax viget*; ut ea foveatur aſſiduè & conſervetur. Caritas, *ubi ſunt diſſidia*; ut ea quàm citiſſimè, ſi modò fieri poſſit, componantur. Caritas erga *Diſcipulos*, in iis benè & gnaviter, ſed & amanter inſtituendis. Caritas erga *Collegas*, in iis nullo non cultu ac honore proſequendis. Caritas erga *Eccleſiam patriam*, ut quicquid in Scholis traditur, quicquid diſputatur, quicquid præcipitur, in ejus commodum ac uſum vertat. Caritas erga *Exteras Eccleſias*, ut earum ſcilicet concordia, non modò præpoſtera quadam moroſitate non impediatur, ſed Chriſtianâ ἐπιεικείᾳ, omnique officiorum genere promoveatur. Caritas erga *univerſos*, cujuſcunque ordinis aut gradûs, ut ad eos fide imbuendos, & ad ſalutem adducendos, tota Theologi induſtria ſe conferat. Ex quibus omnibus, quàm latè ſeſe Theologi caritas diffundat, abundè, ut quidem puto, perſpicitis.

Regulæ Caritatis cum Veritate conjungendæ.

Verùm, Auditores, cùm nihil ſit crebrius, quàm ut, Veritatis obtentu, in Caritatem Theologi peccent, placet hic iterùm Regulas quaſdam, huic præcavendo malo aptiſſimas, in medium adducere. Prima quidem Regula eſt Pauli, qui *ſapiendum ſobriè, neque ultra id quod ſcriptum eſt*, Chriſtianis iterùm

I. Rom. XII. 3. 1. Cor. IV. 6.

iterùm iterúmque edicit. Quæ quidem regula, ſi ad veritatem, prout vidimus, multùm conducit, ſanè non minùs ad concordiam ſpectat. Enimverò, ſi diſſidia omnia, quæ, inde à prima origine, Eccleſiam Chriſti turbarunt, ſpectemus, ſanè patebit ea ferè omnia non aliunde quàm à Doctorum intemperanti audacia, ac temerariis quæſtionibus, ortum duxiſſe; qui in arcana Dei penetrare, & quæ humanum captum ſuperant, ingenii ſui modulo adſtringere, imprudenter ſuſtinuerunt: Abſque quo fuiſſet, nec de altiſſimis Eſſentiæ Divinæ M ſteriis, nec de æternis ejus conſiliis, nec de modo quô Deus cogitat, nec de modo quô operatur, nec de innumeris rebus ejuſmodi, tanto æſtu pugnatum eſſet: ſed, juxta Moſis præceptum, à Siracide quoque inculcatum, occulta quidem Deo eſſent relicta, totuſque labor in revelatis opere implendis poſitus fuiſſet. Quam quidem in rem, non poſſum quin proferam, quæ, de Arianæ hæreſeos primordiis, ad *Alexandrum* & *Arium* ſcribebat CONSTANTINUS; *Nec interrogare*, inquit, *de hujuſmodi rebus principio decebat, nec interrogatum reſpondere. Tales enim quæſtiones*, addit, *quas nullius Legis neceſſitas præſcribit, ſed inutilis otii altercatio proponit, licèt ingenii exercendi cauſſâ inſtituantur, tamen intra mentis penetralia continere debemus, nec facilè in publicos conventus efferre; cùm nemo ſit, qui tantarum rerum tamque difficilium naturam, vel accuratè comprehendere, vel pro dignitate explicare queat.* Rectè ille, imò rectiſſimè.

Deuter. XXIX. 29. Eccleſiaſt. III. 22.

Euſeb. de Vit. Conſ. Lib. II. cap. 69.

2. Altera Regula, huic primæ affinis, hæc eſt, ut ſcilicèt variis quæſtionibus juſtum ſemper pretium ponamus, res certas à minùs certis, res utiles à minùs utilibus, res momentoſas à levibus, res neceſſarias à non neceſſariis, ſedulò diſtinguamus, neque de iis acriter pugnemus, quas liberæ, tum opinationi, tum obſervationi, Deus reliquit. Enimverò quinam nos ſumus, qui in Eccleſia Leges feramus, quas Chriſtus ipſe non poſuit? Quinam nos ſumus, qui eas quæſtiones ad Fidei ſummam pertinere velimus, quas ad Fidei ſummam pertinere Verbum Dei non pronuntiat? Quinam nos ſumus, qui ab iis rebus ſalutem æternam ſuſpendamus, à quibus eam Chriſtus non ſuſpendit?

Quinam

Digitized by Google

Quinam nos ſumus, qui à Chriſti communione arceamus, quos ab ea Chriſtus non arcet? Nonne *unus eſt Doctor*, nempe *Chriſtus?* cujus proinde definitionibus ac legibus ita ſtandum eſt, ut, qui ab eo non determinata determinare audeat, legéſque de iis ſancire, ac propterea alios damnare, is, uſurpati Chriſti dominii, & exercitæ in fratres tyrannidis, notam effugere non poſſit. Quò quidem ſpectant eximia illa Apoſtoli noſtri effata, *Tu quis es, qui alienum famulum condemnas? Is proprio Domino, aut ſtat, aut cadit.* Unde „qui in fide infirmi ſunt, eorum ferendam imbecillitatem, expectando donec & ipſis Deus veritatem „latentem aperiat, interim verò de quibus conſtat, retinenda à „nobis, & opere implenda eſſe, ſapientiſſimè & in rem Chriſtianam conſultiſſimè monet Apoſtolus.

Matt. XXIII. 8.

Rom. XIV. 4.

Philip. III. 15. 16.

Tertia Regula, priores confirmans, & ſummi quoque momenti, hæc eſto; Ut nimirùm Theologi ſe homines eſſe recordentur, adeóque errori obnoxios, ac proinde neminem eorum, cujuſcunque ſit gradûs, doctrinæ, ſamæ, dignitatis, imò & nullum eorum Cœtum, quantumvis venerabilem, *infaillibilitatis* privilegio ornatum eſſe. Ac re verâ primarius hic eſt Reformationis noſtræ articulus; quô ſtante ſtat, quô cadente cadit, tota Proteſtantium Eccleſia. Neque verò fictitiam illam non errandi prærogativam, vel Tiberino Pontifici, vel Conciliis, vel Eccleſiæ Patribus, abſtuliſſe multùm juvaret, ſi eam poſtmodùm aliis Theologis, vel Theologorum Conventibus, velut poſtliminio adſcriptam vellemus. At, inquies, quis hoc ſibi ſumit? Nemo diſertis verbis, fateor: Verùm ſi hoc ſemper Theologis, ſe errare poſſe, infixum maneret, quis non videt eos longè mitiùs in pleriſque ſe ſe geſturos? quis non videt eos propriis placitis tantâ pertinaciâ non adhæſuros? quis non videt, expendi ſua dogmata, eos non adeò ægrè laturos, ſed, quæcunque proponi poſſent, placidè ſemper audituros, imò & ſi quid melius occurreret, id ambabus ulnis amplexuros? Quô quidem factô, tum ad veritatem magis magiſque illuſtrandam, tum ad ſarciendam colendamque pacem, expeditiſſima via exiſteret. 3.

Quarta Regula, non minoris uſûs, hæc eſt, ut ne aliorum 4.

placita odioſè repræſentemus, ut ne inviſis titulis ac nominibus eos infamemus, ut ne remotis conſequentiis, ex eorum ſententia deductis, ab iis verò pernegatis, iis invidiam conflemus: Quæ quidem perpetuæ ſunt Controverſias tractantium artes, quæque, plus quàm quicquam aliud, Eccleſiæ paci adverſantur, ejuſque vulnera ac ſciſſuras immedicabiles reddunt: Sic, in infauſtis illis Controverſiis, quibus Proteſtantium Eccleſiæ ſcinduntur, quis neſcit alios Neſtorianorum, alios Eutychianorum, alios Manichæorum, alios Pelagianorum odioſis titulis notari? quis neſcit alios, quòd Deum peccati auctorem faciant, alios quòd Divinæ Gratiæ ſint hoſtes; alios, quòd peccatores excuſent, alios quòd ſuperbiam homini inſtillent, ab adverſa parte accuſari? Quæ tamen conſectaria horrent utrique ac abominantur, ac proinde iis adſcribi citra injuriam non poſſunt. Certè, ut id quod res eſt dicamus, nemo datâ operâ in errorem labitur; Nemo ut Chriſto injuriam faciat, nemo ut Dei ſanctitatem lædat, nemo ut ejus Gratiam labefactet, nemo ut peccatis portam aperiat, certum Theologiæ ſyſtema eligit. Igitur, quàm iniquæ ſunt ejuſmodi criminationes! quámque ſatius, de rebus omnibus, miſſis convitiis, miſſâ invidiâ, ex rebus ipſis judicium facere!

5. Porrò quintam Regulam adjicimus, quæ & ad pacem multùm conduceret; Ut ſcilicet quæſtiones de vocibus, à quæſtionibus quæ res ipſas ſpectant, accuratè diſtingueremus, neque de vocibus, ut ſæpiſſimè fit, cum ullo contenderemus. Ac re verâ, quiſquis æquo animo, cùm vetera, tum hodierna, de rebus ſacris diſſidia expendet, videbit acerbas ſæpiſſimè de meris vocibus lites moveri, dum de rerum ſumma planè convenit; Quemadmodum in variis capitibus, v. g. de Juſtificatione, fide, bonis operibus, aliiſque innumeris, vel mediocriter attentis patet.

6. At verò, AUDITORES, his omnibus Regulis hæc potiſſimùm adjungenda eſt, quam alio jam loco tradidimus; Ut nimirùm ſedatis affectibus, ac miſſis partium ſtudiis, Controverſiæ ſacræ tractentur. Etenim, hinc mali labes, & hæc eſt fundi noſtri

noſtri calamitas longè præcipua: Nam quis neſcit, quot leves ſcintillæ ingentia creârint incendia, non alio videlicet quàm humanorum affectuum flabello, ira, invidia, zelotypia, gloriæ cupidine, dominandi ſtudio, aliiſque ejuſmodi; Qui ſi affectus abfuiſſent, ſanè tam levium pugnarum ipſos auctores puduiſſet. Exempla prudens omitto, unaquâque Annalium Eccleſiæ paginâ reperienda.

Denique, Auditores, ut ad finem vergam, vultis Regulam omnium primam, omnium efficaciſſimam, quæque reliquas in ſe contineat? Illud iterabo quod ſæpe jam monui, neque unquam pigebit monere. Inſideat animo pietas; Inſideat ſanctitatis ſtudium; Inſideat, gloriæ Dei, atque hominum ſalutis, cupido; His vacet animus, his immoretur; Et inſanum contentionis ſtudium ex ſe ipſo facilè corruet. 7.

Et hæc quidem ſunt, Auditores, quæ de Theologo ejuſque officiis in præſentia proponenda duximus. Et hæc eadem, prout omnes nôſtis, in Viro illo venerando, cujus jacturam hodie dolemus, Ludovico Tronchino dico, hujus Eccleſiæ Paſtore, & S. Theologiæ Profeſſore Primario, qui & veri amantiſſimus, & moderatiſſimus Theologus fuit, abundè conſpecta ſunt. Cùm igitur in ejus locum, indignus licèt, ſim ſubrogatus, officii mei eſſe duco, priùs quàm finem dicendi faciam, brevem ejus ideam hîc tradere, non quidem aſſentandi ſtudio, non oratoriis pigmentis, (à quibus artibus ipſe abhorrebat, & nos quoque abhorremus) ſed nuda ac ſimplici veritatis expoſitione. Quod quidem officium, tum ipſa æquitas, ob magna ejus in Eccleſiam merita, tum Majorum conſuetudo, quibus hæc officia *Juſta* dicebantur, tum ipſa vox Apoſtoli, qui nos μνημονεύειν τῶν ἡγουμένων jubet, ut eorum fidem imitemur, tum denique gratus animus, ob ſingularem quô Vir ille magnus me proſequebatur affectum, ſuo quodam jure requirere videntur. Quod dum exſequar, magna ſpes me tenet, vos, per aliquot adhuc momenta, de Viro vobis cariſſimo dicentem, non illibenter audituros.

Hebr. XIII. 7.

Ergo,

Ergo, ut à Natalibus ordiar, lucem accepit Vir iſte magnus, 4. Decembris anni 1629. patre THEODORO TRONCHINO, hujus Academiæ Theologo doctiſſimo, & ex Patribus Dordracenis uno, matre *Theodora Rocca*, graviſſima matrona, quæ uxoris THEODORI BEZÆ neptis, in ejus ædibus educata fuerat. Imò, quod notâ non indignum, & Theodoro Tronchino, & Theodoræ ejus uxori, idem Beza ſuſceptor contigerat: Fauſto omine, oriturum ex hac copula, qui eximii illius neque unquam ſatis laudandi Theologi veſtigia feliciter premeret.

Ac re verâ, *Ludovicus* noſter, ex liberis octodecim fermè natu minimus, ſtatim ab ineunte ætate, non obſcura vividi ingenii & ad Literas nati indicia prodidit; Inferioris palæſtræ ſpatia, nunquam ſine laude, ſine laurea nunquam decurrens; Mox, ubi ſeveriores Muſas ſalutare datum eſt, Philoſophiam, Linguam Hebraïcam, ac denique Theologiam, animo diſcendi avido complexus. Neque ſolùm patrios Theologos, putà *Johannem Deodatum*, Biblicis operibus adeò clarùm, *Theodorum Tronchinum* parentem, Theologum ſolidiſſimum, *Antonium Legerum*, doctrina pariter ac zelo conſpicuum, cujus in Nato Eccleſiæ noſtræ & Academiæ magnum decus cernimus, & *Philippum Meſtrezatium*, Virum quoque meritiſſimum, cujus nomen & in Eccleſia & in Republica fauſti eſt ominis, non modò, inquam, hos Magiſtros habuit, ſed & celebrem illam trigam Theologorum Salmurienſium, *Ludovicum Cappellum*, *Moſem Amyraldum*, & *Joſuam Placeum*, quorum ad pedes inſtitutus, ſpeciatimque in *Amyraldi* ædibus moratus, magno deinceps Theologos illos in honore habuit, eorùmque principia in omnibus ferè ſecutus eſt.

His igitur adjumentis uſus, ad Sacrum Miniſterium non multò pòſt admiſſus eſt, menſe Julio anni 1651.; Moxque ad exteras oras profectus, per Galliam, Angliam, Belgium, & Germaniam, Viros doctos ac celebres, qui tum florebant, ſalutavit. Singula referre non vacat. Unum non poſſum omittere, quod ab ejus ore ſæpiùs audivi; Scilicet, cùm per quandam Urbem, cujus nomen ſileo, tranſiret, duos Theologiæ Pro-

Profeſſores adiit; à quorum altero humaniter quidem eſt exceptus; At verò alter, ubi audiit eum eſſe Genevenſem, adeóque Calvini aſſeclam, eum illicò caperatâ fronte ac torvis oculis intueri cœpit. Quæ quidem fuit occaſio Noſtro (prout ipſe ſæpiùs dicebat) ſerio apud ſe reputandi, quanta præconceptorum judiciorum ac ſtudii partium ſit fœditas, cùm tam rudes, inofficioſos, imò feros Literatos præſtent.

Ex itineribus redux, ad Eccleſiæ Lugdunenſis Miniſterium vocatus eſt. Quod quidem ad Munus, cùm à Paſtoribus Carentonienſibus, pro temporum illorum more, novo examini ſubjectus eſſet, eorum non tam approbationem quàm admirationem movit. Certè Vir ſummus, Joh. Dallæus, literis ad 18. Jul. 1654.
Parentem meum b. m. datis, ſcribebat, „Juvenem illum dotibus planè miris ornatum eſſe, & doctrinæ penu quæ ætatem „ſuperaret. Addebat, eum Concionem habuiſſe, quæ non ty„ronis ſpecimen, ſed Magiſtri Artis conſummatiſſimum opus vi„deretur, accedente voce, memoria, facilitate, tota denique „pronuntiatione, quales maximè exoptari poterant: Quibus qui„dem ſe in admirationem raptum, ſummaque omnia ab hoc Ju„vene ſperare.„ Neque ſolùm Vir ille magnus ita de Tronchino noſtro ſentiebat, ſed & Clariſſimi Viri, Capellus & Amyraldus, à quibus ad Cathedram Theologicam Salmurienſem invitatus eſt, menſe Martio anni 1657. poſt mortem Placei 18. Mart. 1657.
nempe, cúmque Capellus ſenio confectus, vix ampliùs docere poſſet. Exſtant etiamnum in Defuncti chartis magnorum illorum Virorum epiſtolæ, quibus quanti illum facerent, & quàm cupidè eum ſibi Collegam contingere exoptarent, prægnantiſſimis verbis teſtabantur.

Verum non paſſa eſt Divina Providentia, ut ſplendidum illud jubar natali ſolo auferretur. Etenim, poſt ſeptem annos in Eccleſia Lugdunenſi actos, tandem Novembri menſe anni 1661. ad Profeſſionem Theologicam, morte Doctiſſimi Legeri vacantem, vocatus eſt, & Clariſſimo Mestrezatio, meóque Parenti dulciſſimæ recordationis, ſuccenturiatus. Quantum verò Theologum in hac ſtatione ſeſe præſtiterit, quam accurata

eruditione, quàm ſubacto judicio, quàm perſpicuo ſed potenti eloquio, quàm omnibus denique in Theologo requiſitis inſtructus fuerit, nôſtis, REVERENDI in Chriſto FRATRES; Omnes quippe, pauciſſimis exceptis, eo præceptore uſi ſumus. Singulis immorari non licet. Præcipua tamen notabimus.

Et primò quidem, amplus ei fuit, & Theologo convenientiſſimus, *Eruditionis* apparatus. Cum enim memoria eſſet tenaciſſima, juveniſque literis aſſiduè vacâſſet, & ſtudia humanitatis, & Linguas Orientales, & Hiſtoriam, & Philoſophiam, & eam in primis quam docendam ſumpſerat Theologiam, apprimè callebat. Non erat quidem ex eorum numero, qui omnia legere volunt, immenſamque eruditionis ſæpe indigeſtæ molem corradunt; ſed quæ ſciebat, optimè ſciebat, & accuratiſſimè.

At, quæ dos ejus fuit præcipua, *Judicio* pollebat eximio, & ad Scientias aptiſſimo. Nihil auctoritati, omnia rationi dabat. Neque luxata principia, ac ſecum invicem pugnantia, ſed optimè connexa habebat. Unde quæſtionibus intricatiſſimis non mediocrem afferebat lucem; Et ex diſputationibus, abſque multis verborum ambagibus, abſque magna diſtinctionum mole, feliciſſimè ſe expediebat.

Sed quod magis etiam laudandum, & in Theologo palmarium diximus, ſummum *Veri ſtudium*, docilitatem incomparabilem, ad finem uſque vitæ, præ ſe tulit. Cujus quidem ſpecimen dedit, cùm (auctore Viro eximio, Patriæ etiamnum Lumine maximo, ſororis filio ſibi conjunctiſſimo) eâ abjectâ Philoſophiâ, quam juvenis didicerat, Recentiorem amplexus eſt; Rarô ſanè inter Literatos, neque ſatis unquam laudandô exemplô. Imò verò, ad mortem uſque, dum de Scientiis ſermo eſſet, ſemper quæ proponebantur placidè audiebat, ſemper animum docilem & veri cupidum prodebat, ſemper ſe vel ab infanti meliora edoceri paratiſſimum teſtabatur.

Neque verò illud Veri ſtudium Caritati adverſum erat, ſed *Moderatione* inter Theologos rariſſima erat præditus, verè ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ, prout Paulum jubentem audivimus. Scilicèt juſtum ſingulis quæſtionibus pretium ſtatuebat, dolebatque quod

Chriſ-

Chriſtiani, ob res plerumque leviſſimas, in propria viſcera ſævirent. Unde, multa ad concordiam cum Auguſtanæ Confeſſionis fratribus, multa ad fratres diſſentientes in Anglicanæ Eccleſiæ gremium reducendos, meditatus erat; quæ deinde, tum voce, tum ſcripto, quâvis occaſione datâ, proponebat. Et cùm Doctores plerique, dum ætate provectiores fiunt, pertinaciores quoque ſint, & ſententiæ magis addicti, & ad alios damnandos proniores, iſte contrà majorem indies moderationem comparabat; Circa quæ exarſerat olim, ea ſub finem placidè ſpectabat; Veterúmque diſſidiorum ne memoriam quidem volebat exſtare.

In *Concionibus*, nobili quodam genere dicendi utebatur, quod, partim ex corporis proceritate, atque oris gravitate, partim ex vocibus emphaticis, partim ex ipſo rerum pondere, multùm nervi acquirebat; Ita ut auditorum animos invitos quaſi raperet, & quò vellet perduceret, prout optimus harum rerum judex, Illuſtriſſimus Burnetus, Epiſcopus Sarisburienſis, in Itinerario ſuo obſervavit. Certè, nemo de Dei magnitudine, de Chriſtianæ Religionis veritate & dignitate, de hominis imbecillitate, de humanarum curarum ſtultitia, de vitæ futuræ pœnis ac præmiis, potentiùs unquam locutus eſt.

In *Prælectionibus*, ita clarè, ita perſpicuè docebat, ut non poſſet non intelligi. Quæſtiones futiles mittebat; Neque argumenta, ut plerique ſolent, numerabat, ſed ponderabat. Semper monebat Diſcipulos, ut præjudicatis opinionibus ſeſe exuerent, ut res omnes expenderent, nihilque in mentem admitterent, niſi quod ſolidè probatum eſſet. Quæ quidem monita, iterùm iterúmque Diſcipulis inculcata, eorum animis tandem inſidebant, eóſque ad veritatis inquiſitionem mirè excitabant.

Porrò exquiſita pollebat *Prudentia*; Et, tum in Synedrio, tum in Cœtu Paſtorum, magni erat ponderis ejus ſententia. *Diſciplinæ* Eccleſiaſticæ ſtrenuus aſſertor erat, & vitiorum oſor acerrimus; ſed adhibitâ tamen Chriſtianâ moderatione; Memor ſcilicet, plus quàm quiſquam alius, humanæ imbecillitatis, Matt. XII. 20.
ejúſque fidus imitator, qui arundinem quaſſatam non frangit,

 &

& linum fumigans non extinguit. Favebat viris eruditis, viris qui dotibus pollebant; ac, citra ullam livoris æruginem, eorum ſe patronum præſtabat. Decus Eccleſiæ, decus Academiæ, decus totius Religionis, cordi ſummoperè habebat, ac promovebat ut qui maximè. Et, ſive ad Senatum de rebus gravibus dicendum eſſet, ſive Principes aliique Viri primæ notæ ſalutandi, ſive epiſtolæ ad exteras Eccleſias de momentoſis negotiis ſcribendæ, quæ quidem munia à Cœtu noſtro ei utplurimùm demandabantur, illis magna cum dignitate ac ſucceſſu defungebatur. Unô verbô, ſi quis unquam alius, is certè ex illis erat
1. Tim. V. 17. quos καλῶς προεστῶτας nominat Paulus. Et his quidem multùm boni præſtitit. Verùm fuit, liceat dixiſſe, fuit una ejus virtus, quæ publico commodo non parùm noceret; *Modeſtiam* intelligo. Cùm enim eximias Lucubrationes, magno cum Literarum fructu, potuiſſet emittere, tamen adeò modeſtè de ſe ſuiſque ſentiebat, ut nullum ferè ingenii ſui monumentum reliquerit.

Neque verò iis tantùm dotibus, quæ Ordinis noſtri propriæ ſunt, ſed & aliis quoque eminebat. Hiſtoriam, non modò Veterem, ſed & duorum noviſſimorum Sæculorum, apprimè callebat; multaque facta notatu digniſſima, quibus privata colloquia ornarentur, habebat in promptu. De rebus Politicis, ſtudiiſque Principum, ritè judicabat. Quid novi in Orbe accideret, vel eventurum eſſet, digniſſima viro ſapiente attentione ſpeculabatur. Adhæc, ſumma comitate, ſumma in inviſendis, tum advenis, tum indigenis, diligentia, ſumma denique in colloquiis facilitate ac ſuavitate, gravitatem ita temperabat, ut nemini moleſtum, acceptum ſeſe omnibus præberet.

Cæterùm, Auditores, ut in illud deſinam, quod omnium eſt longè præcipuum, non ex eorum erat numero, quorum
Hieron. Epiſt. 2. ad Nepot. *opera ſermonem confundunt*, ut loquitur Hieronymus; ſed quæ docebat, præſtabat ipſe; Illibatâ in Deum & res ſacras pietate, ſincerâ in proximos, ſpeciatim afflictos & egenos, caritate, ſolidâ denique in dictis factiſque probitate ac virtute, eorum omnium ſe præbens exemplar, quorum in docendo praxim commendabat.

Quæ

Quæ quidem omnia, Auditores, tantam ei, non in patria modò, ſed & per totum Reformatum Orbem, laudem ac famam pepererant, ut inter ſummos partium noſtrarum Theologos numeraretur, utque ad illum exteri Theologi, tanquam ad Oraculum, ſæpe recurrerent. Neque ſolùm communis ſortis & ordinis Theologi, ejus amicitiam aſſiduè colebant, ſed & Præſules Illuſtriſſimi, florentiſſimæ Anglorum Eccleſiæ ſplendidiſſima ſydera, Viri doctrinâ, pietate, virtute, Munerum ſuorum faſtigio majores, & quorum hic nomina honoris ergò adſcribemus, putà Johannes Tillotson, & Thomas Tenison, Archiepiſcopi Cantuarienſes, Henricus Compton Epiſcopus Londinenſis, Gulielmus Lloyd Epiſcopus, olim Aſaphenſis, nunc Wigornienſis, & Gilbertus Burnetus Epiſcopus Sarisburienſis, ſummi, inquam, illi Viri, quanti Tronchinum noſtrum facerent, tum ſcriptis ad eum literis, tum de eo habitis ſermonibus, non raro teſtati ſunt. Unde, cùm ante triennium, in Illuſtriſſimam illam ac Regiam Societatem, quæ *ad propagandum Evangelium* in Anglia inſtituta eſt, me ſocio, cooptaretur, Præſules illi Reverendiſſimi, aliique Viri Nobiles, debitas tanto Viro laudes tribuerunt. Verùm alia multa prætereo, quæ ad ejus laudem non minùs ſpectarent, ut ad extrema ejus accedam; monente ſcilicet Apoſtolo, ut τὴν ἔκβασιν τῆς ἀναστροφῆς *exitum converſationis* eorum qui Eccleſiam rexerunt, potiſſimùm conſideremus. Hebr. XIII. 7.

Per plures annos, valetudine minùs proſpera uſus fuerat: Verùm, illâ pòſt confirmatâ, per longam annorum ſeriem, integris animi corporiſque viribus, omnes ſui Muneris functiones implevit. Certè eâ hebdomadâ, quæ lethalem morbum anteceſſit, & tres publicas, more ſolito, Prælectiones habuit, & Synedrio præfuit, & Diſputationem ordinariam moderatus eſt, imò ita moderatus (mihi credite qui interfui) ut nunquam clariùs, nunquam feliciùs, difficillima Theologiæ càpita, putà de Hominis libertate, de Divina Præſcientia, de Providentia, de vitæ termino, ab eo enodata ſint. Sic ille officio fungens, Dominum ſuum præſtolabatur. *O beatum verò ſervum illum, quem* Matt. XXIV. 46.

 Do-

Dominus ſic agentem invenerit! Venit ergo, venit Dominus, cui Tronchinus ſerviebat, animúmque cœleſtia ſpirantem, ſéque morti aſſiduè parantem, per eam, quam exoptabat, εὐθανασίαν, Cœlo intulit. Cùm enim, per aliquot dies, ſtomachi ventriſque reſolutione, non violenta tamen, laboráſſet, exhauſtis paulatim viribus, tanquam lampas oleo deficiens, animo libero, ac ſine dolore (quo nomine Deo gratias habebat) inter ſuorum lacrymas, inter Collegarum amplexus, inter totius Urbis deſideria, piam animam Deo reddidit, 8. Septembris hujus anni 1705., ætatis annô 76. Paſtoratûs 55., Profeſſionis Theologicæ 44. Longum quidem tempus, AUDITORES, ſi communem vitæ humanæ terminum expendamus; Longum, ſi labores à Tronchino noſtro exantlatos; Longum, ſi Diſcipulos ab eo informatos; Longum, ſi animas ad Chriſtum adductas; Longum, ſi fidem ejus, ſi ſpem, ſi expectationem; Sed breve tamen, ſi vota noſtra; breve, ſi Eccleſiæ commodum; breve, ſi Academiæ utilitas; breve, ſi Chriſtianæ rei emolumentum attendatur. Habuit ſanè ante mortem, quicquid maximè exoptari poterat; vitam, in hac mortalitate, quantùm ferè licuit, productam; ſenectam viridem; corpus vegetum; mentem bene geſti Muneris conſciam; florentes Liberos, & alterum quidem ad Reipublicæ clavum ſedentem; Generum, de quo Academia noſtra ſibi impensè gratulatur; amorem omnium ac reverentiam; famam digniſſimam viro bono, ac ſervo Dei; denique mortem dulciſſimam, quæ æternæ ac perfectiſſimæ felicitatis fuit introïtus. O te beatum igitur, TRONCHINE, ô ter quaterque beatum, cui omnia, quantùm ſaltem licet, ex voto contigêre! Sed miſeros nos interim, quibus tantum Sydus occidit! Sed deflendam Eccleſiæ noſtræ, ſed deflendam Academiæ vicem! quarum jactura, vel ex illius, qui in tanti Viri locum ſuccedit, tenuïtate abundè perſpicitur.

Ita eſt profectò, ut dico, AUDITORES PRÆSTANTISSIMI; Quotieſcunque in me ipſum deſcendo, & quid valeant humeri penſito, me tantæ jacturæ ſarciendæ, me tanto oneri ferendo, longè imparem ſentio. Verùm, ut ab initio monui, quando ita Numini viſum eſt, ut hæc ſedes ab Avo & Patre non ſine laude

laude occupata, mihi quoque aſſignaretur, dabo operam, ut, quod in ingenii corporiſque viribus deeſt, recto ſaltem fine compenſetur; atque, ut duobus verbis abſolvam, omni ope ſemper conabor ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ. Teſtem Te appello, Deus Omnipotens, qui me ad hoc Munus vocâſti, teſtem Te hîc judicémque invoco, me Veritatem ac Pacem ſincerè diligere, & utramque pro virili in hac ſtatione promoturum; Me, ad Veritatem inveſtigandam, nihil unquam prætermiſſurum; nullis laboribus, nullis vigiliis, nullis conatibus parciturum; nulliſque placitis, nullis affectibus, nullà privati commodi ratione, me ab hoc tramite abduci paſſurum: Simúlque Eccleſiæ concordiam, non modò non violaturum, ſed &, quantùm in me erit, magis magiſque firmaturum. Ita me benè ames, ô Deus, ita facias, ita adjicias, prout ſacramenti hujus fidem, ad ultimum uſque vitæ halitum, implere conabor.

Ut verò illud teſtor coram Deo, ſic & apud Vos, Viri Amplissimi, ejuſdem promiſſi fide, lubentiſſimè & eâ quâ poſſum ſinceritate, me obſtringo. Vos Veritatis Divinæ vindices, Vos publicæ Pacis cuſtodes, à Numine conſtituti eſtis: Utramque igitur mihi cordi fore, utrique me invigilaturum, bona fide vobis ſpondeo. Et hoc quoque addo, Viri Principes; Scilicet cùm nemo ex Civibus veſtris Vobis plus debeat quàm ego debeo, neminem etiam illorum beneficiis veſtris magis tangi, neminem Vobis magis addictum ac mancipatum eſſe, neminem denique ferventiora, apud Deum Optimum Maximum, pro Veſtra pariter ac Reipublicæ incolumitate, vota concipere.

Et Vobis etiam, Viri Reverendi, Patres & Fratres in Chriſto plurimùm obſervandi, & Vobis etiam Collegam Veritatis & Concordiæ amantiſſimum ſpondeo. De cæteris, certare nolim; Cuivis facilè herbam porrigo; In Veritatis & Pacis amore, me à nullo ſuperari patiar. Equidem, Viri Spectatiſſimi, inter præcipuas vitæ meæ felicitates hanc numero, quòd me, ſive dum ſtudiis vacarem, ſive poſtquàm in Cœtum veſtrum ſum cooptatus, paterno ſemper affectu proſequi dignati ſitis, quódque hoc quicquid eſt Muneris, non lubentes ſolùm, ſed unanimes,

in

Digitized by Google

in me collatum volueritis. Quod quidem in ſpem me adducit, Vos meæ imbecillitati atque erratis veniam daturos, Vos me doctrina veſtra & conſiliis adjuturos, Vos in obſcuris lucem, in dubiis viam monſtraturos. Viciſſimque novum illud eſt, quod me Vobis ligat, vinculum, méque Vobis addictiſſimum ac devinctiſſimum præſtat. Faxit Deus, Eccleſiæ noſtræ & Academiæ Conditor ac Stator, ut ne unquam cœleſtis Veritas humani ingenii figmentis inter nos contaminetur, ſed ut puram ac illibatam ad poſteros tranſmittamus; utque Concordia, quæ, Cœli munere, in Cœtu noſtro nunc obſervatur, in eo magis magiſque vigeat; donec in cœleſtem Jeruſalem, *pacis viſionem*, admittamur.

Vos verò, JUVENES ORNATISSIMI, qui Sacrarum Literarum ſtudiis, & Eloquiorum Divinorum præconio Vos conſecratis, Vos curæ noſtræ pars jam fuiſtis, ſed magis eritis adhuc in poſterum. Vicem veſtram ex animo dolemus, quòd primario veſtro Doctore ac Præceptore orbati ſitis. Verùm cœleſtis Magiſter adeſt; Ille nunquam nos deſtituet. Hujus unius vocem audiamus, Dilectiſſimi Fratres; Ab ejus unius ore pendeamus. Væ mihi, ſi quid vobis tradam, quod ab eo non acceperim: Quod ſi unquam fecero, per Deum immortalem, fidem mihi ne commodetis. At, dum ſacra Dei Eloquentia purè ac ſincerè vobis pandam, dum cœleſtem Veritatem pro virili illuſtrabo, dum in primis Chriſtiana officia, pietatem, caritatem, modeſtiam, temperantiam, quæ princeps eſt Theologiæ pars, inculcare vobis conabor, facite, amabo vos, ut ne operam luſiſſe videar. Quinimò, veſtrâ ſapientiâ, diligentiâ, docilitate, nos laborantes acuite, urgete, recreate; Quod quidem ad veſtrum commodum, veſtrámque ſalutem, redundabit.

Verùm, quandoquidem ex nobis ipſis nihil bonæ frugis poſſumus, omniſque noſtra *ἱκανότης* eſt à Deo, ad eum iterum nos convertamus, eumque enixè rogemus, ut virtutem ſuam potentiſſimam in infirmitatibus noſtris perficiat, utque id quicquid eſt quod in hoc Munere à nobis fiet vel dicetur, gratum ei ſit & acceptum, huic verò Eccleſiæ & Academiæ fauſtum ac felix.

2. Cor. III. 5.

2. Cor. XII. 9.

Precatio

Precatio habita poſt Orationem.

AD Te igitur, PATER CLEMENTISSIME, *Prima Veritas ac ſumma Caritas, Doctrina omnis ac ſapientiæ fons inexhauſte, ad Te iterùm ſupplices accedimus, opémque tuam, cùm in omni vita, tum in hoc opere præſertim, nobis prorsùs neceſſariam, eâ quâ poſſumus vehementiâ à Te flagitamus. Sine Te nihil poſſumus; ſed in Te* Phil. IV. 13.
nos ἐνδυναμοῦντι *omnia poſſumus. O Deus, qui fuiſti* Pſ. XXII. 5. 6.
Deus meus ab initio, qui me finxiſti, qui me ſervâſti, qui ab innumeris me periculis, à morbis innumeris me eripuiſti, ſervum tuum in opere tuo laboraturum, quæſo, ne deſeras. O Deus, cui ſervierunt Patres mei, me in eadem ſtatione Tibi ſerviturum ne derelinquas. Tenebras mentis, eheu quàm denſas! Spiritûs tui luce diſpelle. Voluntatem à Te, ô Deus, à Te heu nimis averſam, ad obſequium tuum flecte. Affectus in terram adhuc & terreſtria pronos, versùs cœleſtia dirige. Linguam balbutientem informa. Mentem tremebundam confirma. Corpori fracto atque attrito robur inde. Sed quæ duo in ſervis tuis potiſſimùm requiruntur, ut Veritati tuæ adhæreant, ſimulque Caritatis & concordiæ ſint

ſtudioſi, illa duo, præ cæteris omnibus, imis ſervi tui medullis infige. Studia partium, errores inolitos, inſanum novitatis amorem, immodicam antiquitatis reverentiam, aliáque Veritatis obſtacula, ab animis noſtris potenter remove. Fac ut attenti, dociles, pii, ab ore tuo ſemper pendeamus, Veritateſque à te revelatas, & generosè amplectamur, & ſtudiosè cuſtodiamus, & ſincerè aliis tradamus. Sed & Tu, ô Deus, qui es Caritas, noli ut, falſò Veritatis obtentu, in Caritatem unquam peccemus. Odia, jurgia, contentiones, invidia, zelotypia, fac ut ab animis noſtris, fac ut ab hac Eccleſia & Academia
Rom.XV. *ſemper exſulent; Sed ut idem omnes ſentientes, eodemque animo affecti, unanimes atque uno ore, tibi colendo ac celebrando incumbamus.*

O Deus, qui Eccleſiam & Academiam noſtram benignè condidiſti, & eadem benignitate etiamnum tueris, pro utraque immortales Tibi gratias habemus & agimus. Verùm noli illas unquam deſerere. Utramque in oculis habe. Utramque in ſinu fove. Utramque ab hoſtium technis & machinationibus ſerva. Eccleſiæ Paſtores, Academiæ Profeſſores, favoribus tuis cumula. Eorum laboribus benedictionem affunde. Neque patiaris ut quicquam antiquius habeant, quàm ut Veritatem tuam illuſtrent, & Pietatem auditorum animis, tum doctrina, tum

exem-

exemplo, infundant. Juvenes tibi Sacros, & Tabernaculo tuo ſervituros, benignis etiam oculis reſpice. Donis eos Spiritûs tui abundè locupleta. Sed eos in primis Tui timore ac amore imbue; Ita ut, non turpis lucri, non inanis gloriæ cauſſâ, ſed unicè ut gloriam tuam & ſalutem hominum promoveant, ſacro huic operi ſeſe conſecrent.

Cùm verò Scholas atque Eccleſias ſub Sæcularium Poteſtatum umbone ac præſidio tuearis, Tibi pro illis ſupplicamus; ſed potiſſimùm inclytos Reipublicæ hujus Proceres paternæ tuæ curæ commendamus. Salvos & incolumes illos præſta. Inſtar pupillæ, caros habe. Eorum conſilia dirige, & ad exitum felicem perducito; Ut, ſub pio illorum præſidio, Veritas & Concordia his in oris ſemper floreant.

Deus Miſericors, Eccleſiæ Tuæ, in tot terrarum locis vexatæ, clamores ac ſuſpiria ad Te deferantur. Eis aures ne occludito. Miſerere Sionis ſecundùm Pſ. LI. 20.
tuam benignitatem, & Hieroſolymorum muros ædifica.

O Deus, Orbis ſoſpitator, tot Populos à rectâ fide etiamnum aberrantes, Evangelii tui luce colluſtra. Ethnicos, ab Idolis mortuis, ad Te Deum vivum revoca. Velum illud duplicatum, Judæorum cordibus incubans, remove. Et Chriſtianos, variis Errorum ac Superſtitionum vinculis adſtric-

 tos,

Digitized by Google

tos, puræ tuæ Veritatis notitiâ, in libertatem aſſere.

Erige paſſim Scholas, ô Deus. Erectas fove ac proſpera. Docentes ac Diſcentes juva, & in omnem Fulgent. Lib. I. ad Monim. cap. 4. *veritatem dirige. Veritas tua, ô Deus, in iis quæ ignoramus, doceat nos; In iis quæ vera novimus, cuſtodiat nos; In quibus fallimur, corrigat nos; In quibus titubamus, confirmet nos; A falſis & noxiis eripiat nos. Sed, qui omnium ſcopus eſt ac finis,* Joh. XVII. 17. Sanctifica nos per tuam Veritatem; Verbum tuum eſt Veritas: *Ita ut quæcunque cogitabimus, loquemur, præſtabimus, grata tibi & accepta ſint. Donec ex hac ignorantiæ, vitiorum, diſſidiorum, ac ærumnarum caligine, in æternum illud veritatis, ſanctitatis, pacis, felicitatis, domicilium intromittamur. Hæc Te rogamus in nomine Domini noſtri JESU CHRISTI.*

Tibi verò, Regi Sæculorum, immortali, inviſibili, ſoli ſapienti Deo, ſit laus, honos, & gloria, in ſæcula ſæculorum. AMEN.

ORATIO

ORATIO TERTIA

PANEGYRICA,

in obitum

OPTIMI, SAPIENTISSIMI, AC FORTISSIMI PRINCIPIS,

GULIELMI III.

MAGNÆ BRITANNIÆ REGIS.

Dicta eſt Statis ACADEMIÆ GENEVENSIS Solemnibus, die xv. Maii, Anno M. DCC. II. cùm Auctor ACADEMIÆ RECTORIS munus gereret.

Digitized by Google

Google

ILLUSTRISSIMIS
GENEROSISSIMIS
OMNIBUSQUE INGENII AC VIRTUTUM
LAUDIBUS CONSPICUIS
BRITANNICI REGNI
PROCERIBUS,
QUORUM PRÆSENTIA
GENEVA NOSTRA COLLUSTRATA
ET
ACADEMICA NOSTRA SOLENNIA
ORNATA SUNT,

NEC NON
TOTI QUÆ SIMUL ADFUIT
BRITANNICÆ NOBILITATIS
SPLENDIDISSIMÆ ORNATISSIMÆQUE
CORONÆ,

Digitized by Google

HANC

OPTIMI REGUM

LAUDATIONEM

AUDIENTIBUS IPSIS DICTAM

OPTANTIBUS IPSIS EDITAM

NULLO QUIDEM ORNATU INSIGNEM

SED

ACERBISSIMI DOLORIS TESTEM

ATQUE

INTER LACRYMAS FUSAM

D. D. C.

JOH. ALPHONSUS TURRETTINUS.

ORATIO

ORATIO TERTIA,

PANEGYRICA,

in obitum

OPTIMI, SAPIENTISSIMI, AC FORTISSIMI PRINCIPIS,

GULIELMI III.

MAGNÆ BRITANNIÆ REGIS.

CONSULES AMPLISSIMI,
SENATORES INTEGERRIMI,
COMITES ILLUSTRISSIMI,
BARONES GENEROSISSIMI,
PASTORES VENERANDI,
PROFESSORES CELEBERRIMI,

Digitized by Google

AUDITORES omnium Ordinum NOBILISSIMI, PRÆSTANTISSIMI,

Túque etiam, Deo ſacra, nobis dilectiſſima JUVENTUS.

SOLET hic dies lætitiæ dari. Nunc, bona veſtra cum venia, juſtiſſimo mœrori dabitur. Moris eſt recepti, ut feſtum agant, ſerta legant, capilliſque adnectant, hac tempeſtate Muſæ noſtræ, déque alumnorum profectibus ſibi impensè gratulentur. Aſt alia longè omnia recens infortunium ſuadet. In publico Eccleſiæ luctu, jubilare neſcit Academia noſtra. In communis Parentis funere, hilares animos mentiri non ſuſtinet. Amiſit Magna Britannia Regem, Belgium Fœderatum Gubernatorem, Religio Patronum, Libertas Vindicem, omnes quotquot hic ſumus, Parentem. Eheu! quis à lacrymis temperet?

Quis deſiderio ſit pudor, aut modus,
Tam cari capitis?

Equidem, AUDITORES, cùm appropinquare horum Solennium tempeſtatem ſenſi, quaquaverſùm mentem circumtuli, quò dignum Illuſtriſſimo hoc Conſeſſu, tempori ac loco aptum, Scholæ atque Eccleſiæ utile, huic denique quam ſuſtineo perſonæ accommodatum, deligerem argumentum. Et multa quidem de re Literaria, elapſô proximè Sæculô promota, multa de metuendo illius noſtris diebus decremento, multa de Mæcenatum inopia, de Studiorum neglectu, de ingeniorum ſervitute, de Scientiarum ineptiis, de Literatorum vitiis, animo jam obverſabantur; neque ingrata, ut putabam, neque frugis expertia futura. At, cùm in eo totus verſarer, en, triſtiſſimus iſte nuntius, derepente ad aures noſtras, ac velut ictu fulminis, defertur: Quo quidem adeò fui perculſus, attonitus, fractus, dejectus, ut aliò mentem converte-

re,

re, & in alia ulla materia, vel ſtylum exercere, vel cogitationum veſtrarum pondera ac momenta detinere, vix ac ne vix quidem licuerit. Vicit, vicit amor Eccleſiæ. Intentior fuit ægritudo, quàm ut avocamenta ferret. Mentem totam, atque animi ſenſa, ſuo ſibi jure vendicavit.

Enimverò, Auditores, quis eſt tam omnium ignarus rerum, tam rudis in Eccleſia, tam nihil unquam, nec de ſua, nec de communi ſalute cogitans, qui non videat, publicam hanc jacturam eſſe? qui non perſpiciat, & florentiſſimum Regnum, & potentiſſimam Rempublicam, duos Reformati Orbis ocellos, imò totam, quanta quanta eſt, Proteſtantium Eccleſiam, uno velut ictu periclitari? qui non intelligat denique, afflictis ac penè proſtratis purioris Eccleſiæ rebus, nihil fortè acerbius, nihil moleſtius, ſi humanitùs loqui liceat, accidere unquam potuiſſe? Fuit Gulielmus. O dirum nuntium! ad quem ſi turgeſcere oculi, ſingultus erumpere, planctus excitari, ab omni parte obſervantur, nihil præter rem fieri cenſendum. O triſtia Sæculi primordia, tam acerba, tam inſperata, tam intempeſtiva clade funeſtata! O iratum peccatis noſtris, totíque adeò Eccleſiæ Numen! Quoties, ad aras provoluti, vota nuncupavimus, Soteria obtulimus, precibus Cœlum fatigavimus, eum nobis ſoſpitem præſtaret, cujus unius in capite ſalus omnium ſita videretur? Quoties diximus, non ex ullo certè aſſentandi vel blandiendi ſtudio, ſed ex vivo pectoris ſenſu, *Tantùm de annis noſtris deme, ô Deus, quantùm huic Principi adjicies.* At vota noſtra non valuêre. Ea dixit irrita Supremus Arbiter; ſine dubiò, quia impuris labiis concepta.

Variis profectò, Auditores, ac ſe invicem prementibus ærumnis, inde ab annis præſertim viginti, nos Dei manus exercuerat: At maximus, hoc poſtremo caſu, reliquis omnibus cumulus acceſſit. Videramus puriorem Fidem ampliſſima Orbis plaga exſulantem, everſa Templa, disjectos Myſtas, plura hominum centena millia ad Idolorum cultum adacta; reliquos, amiſſâ patriâ, conjugibus, liberis, facultati-

I 2 bus,

Digitized by Google

bus, aris, focíſque, vagos per Europam totam ac palantes: Verumtamen, in tanto mœrore, quotieſcunque in Belgii Britanniæque oras, noſtrúmque imprimis Auriacum Principem, oculos conjiciebamus, ſpes aliquatenùs erigebantur. Poſtmodùm, gravis incubuerat Britannicis Eccleſiis pernicies; in præſentiſſimum, cùm Libertatis, tum Religionis diſcrimen adductis: At, cùm in eo timoris eſſemus, provida Dei Optimi Maximi Gulielmum noſtrum manus extulit; atque inauditis prodigiis, quorum hauddubiè laboratura eſt apud poſteros fides, in Britannico ſolio locavit. Exinde, MARIAM, Reginarum optimam, fœminarum perfectiſſimam, Gulielmo verè dignam Conjugem, acerba mors atque immatura, in ipſo ætatis flore, abſtulerat: At in ea clade, non leve tamen ſuperabat ſolatium; Sublatâ unâ, *alter aureus* non deficiebat; Et quæ inter duos diviſa erant, in uno Gulielmi capite adunata ſunt ſtudia ac vota. Mitto Imperii Electores duos, variò fatô nobis ademptos, concuſſaque non una in parte ſincerioris Cultûs Privilegia: Quæ omnia dum nos angerent, in uno Gulielmo ſatis præſidii, ſolatii ſatis eſſe credebamus. Annus penultimus Glocerniæ Duci, ſpei noſtræ, fuerat fatalis: Attamen, ſalvô Gulielmô, ſalvâ Sereniſſimâ quæ nunc eſt REGINA, dilatus ſaltem metus videbatur. Valetudinem Principis quid dicam? de qua læſa rumores multi, heu veraces nimis! ſpargebantur: Verùm ipsâ ejus præſentiâ, ac felici in Angliam appulſu, pavor omnis ſedatus apparuit. Tandem, quaſi rudimentis quibuſdam ad ſummum nos mœſtitiæ perducere atque informare Deus voluiſſet, equo præcipitem actum audivimus, quem ſtare tanti intererat. Sed & lenimentum doloris, atque infortunii fortunatum exitum, idem nuntius ad nos pertulit: Cùm ecce, ex improviſo, ac nihil tale opinantibus, extremus iſte, ſed acerbiſſimus, ſed prædicatione omni major, tanquam de cœlo, ſupervenit caſus. O fallaces hominum ſpes! O incerta vota! O dubios eventus! Cùm tuti maximè nobis videmur, tunc mala nos inſperata premunt; Et quo tempore ob carum hoc Caput ſummo diſcrimini

mini ereptum meritas Deo gratias agimus, tunc non recrudviſſe malum, ſed viciſſe, non minitari virgam, ſed percuſſiſſe, non cum morbis conflictari, quæ nos ſollicitos habebat, vitam, ſed concuſſam, ſed proſtratam, ſed deſperatam, ſed ereptam, accipimus.

„Eheu! cecidit Corona capitis noſtri. Gloria Sionis in pul„vere jacet. Nolite hoc Gathi narrare; Nolite hoc nuntia„re apud Aſcalonem; Cecidiſſe virum noſtrum fortem; Dejec„tum eſſe clypeum fortium. Montes Guilboa, ne madeatis „rore; Et vos, Iſraëlitides, plangite. Currus Iſraëlis, quò „ſublimis raperis? Equitatus ejus, quò tam velox ferris? Ille, quô Eccleſia ſe recreabat, ac ſolabatur fermè unô; Ille, in quem intuens, de quo cogitans, omnium quas pertulit acerbitatum memoriam leniebat; Ille, cujus dextra Pergama ſervâſſet, ſi modò ſervari poterant; Illum perpetuus jam urget ſopor; Ille bonis omnibus flebilis occidit: Quódque dolorem exacerbat, nullam ſobolem, nullum pignus, nihil aliud quàm triſtiſſimum, neque unquam deponendum, ſui deſiderium relinquit.

Verùm, AUDITORES, quid inanibus nos conſumimus querelis, nec Heroëm noſtrum reddituris, & Divinæ fortè Providentiæ, à qua id quidquid eſt proceſſit, injuriis? Demus dolori quod ſatis eſt. Lacrymis, heu nimium juſtis! luctuoſiſſimum funus proſequamur. Aſt, ut ab iis temperare, immanis quædam eſſet feritas, ita & iis modum nullum ponere, deſperatio eſſet Chriſtianis indigna. Fleamus defunctum; ſed redivivo gratulemur. Lugeamus terris ereptum; ſed gaudeamus Cœlo redditum. Orbatæ Eccleſiæ vicem doleamus; ſed Supremi Regis intuitu, cujus vitæ nullus finis, cujus potentiæ nullus modus, cujus bonitati nullus terminus, afflictis animis ſolatium quæramus. Atque interea, quod non leve eſt in hujuſmodi cladibus levamen, cariſſimi Principis memoriam grata mente recolamus, res geſtas celebremus, virtutibus pretium ponamus. Debetur hoc Magnis Viris, ut ſit eorum fama poſt fata ſuperſtes. Debetur hoc florentiſſimo

Regno, potentiſſimæ Reipublicæ, arcto nobis vinculo conjunctis. Debetur hoc grato animo, ut quem benevolum ac beneficum, dum in vivis eſſet, ſumus experti, ejus defuncti recordationem animo excidere nunquam patiamur. Debetur hoc Sæculo noſtro, ut Heroas Veteres non æquatos modò, ſed & victos hâc ætate conſtet. Debetur hoc denique Eccleſiæ, de qua qui benè meriti ſunt, eos diligere & commendare ipſa Sanctorum Communio jubet.

Faciam igitur, AUDITORES, faciam, pro mea virili parte, quod, & antiqui eſt moris, & vult æquitas, & ſuadet Religio, & ipſa illa poſtulare videtur Britannorum Procerum ac Nobilium, quæ hanc Panegyrim illuſtrat, Corona.

Manibus date lilia plenis:
Purpureos ſpargam flores: tumulúmque GULELMI
His ſaltem accumulem donis, & fungar inani
Munere.

Sed faciam cautè, iis prætermiſſis, quæ quanquam ad rem faciunt, tamen ſileri hoc loco convenit. Sed faciam breviter; in tanta rerum copia, ſumma tantùm legens cacumina. Denique non picto, non ambitioſo utar dicendi genere; Non tam Encomium dicam, quàm Hiſtoriam; Tantúmque abero ab adulatione, quantùm abſum à neceſſitate: Quippe ſatis ſeſe res attollunt, ſine verborum ornatibus; Et is optimè Gulielmum laudat, qui narrat fideliſſimè.

PATRES CONSCRIPTI, grata Vobis erit, imò gratiſſima, ſi benè auguror, amiciſſimi Vobis Principis, amiciſſimi Veſtræ Reipublicæ, quoad vixit, commemoratio.

BRITANNICI REGNI PROCERES ILLUSTRISSIMI, Voſque BRITANNICÆ NOBILITATIS Corona florentiſſima, Veſtram imprimis cauſſam hîc agimus; Veſtris lacrymis noſtras admiſcemus. Una omnium noſtrûm jactura; Unus animus, una vox erit.

FLOS GERMANIÆ, quoſcunque hîc ſuſpicimus, de illo agitur, qui yeſtræ Genti, & ſanguinis nexu, & Fidei vinculo, & neceſſitudinis legibus, & Fœderum religione, & communis cauſſæ

cauſſæ patrocinio, arctiſſimè conjunctus fuit; Quocirca de eo dicentem Vos benignè excepturos ſpero.

Symmystæ Venerandi, quem dies noctéſque, tum privatim, tum publicè, precibus Deo commendabamus, qui cariſſimus nobis, cui cariſſima noſtra Eccleſia, eum ſi vivum vobis exhibeam, Vos, ut puto, faventes experiar.

Hospites, Cives, quotquot adeſtis, eximii Principis iconem, pulcherrimæ Vitæ tabellam, rudi quidem penicillo, at ſincera manu expreſſam, conſpicite.

Tu verò, Deus, per quem regnant Reges, & cujus nutu cuncta diriguntur;

Præſens, vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel ſuperbos
Vertere funeribus triumphos;

Tua Munera dicimus, dum Principis tui vitam narramus. Fac igitur, digna tuis muneribus, digna hoc Principe, contingat oratio. Cúmque virgam tuam ſimus experti, fac illa nos erudiat, ſicque triſtia lætis commutentur.

Sic eſt, Auditores, Munus Dei fuit, Munus ampliſſimum, ac verè Divinum, ille de quo dicere aggredimur. Princeps, ſi omnia ſubducantur, poſt hominum fortè memoriam, maximus; Dux fortiſſimus; Imperator ſummus; In Politicis conſummatiſſimus, ſimúlque, incredibile dictu! Vir bonus. Qui propriæ virtuti ac ſapientiæ, poſt Divinum Numen, omnia debuit; Qui cum maximis, inde à puero, colluctatus difficultatibus, omnes ſuperavit, omnes vicit; Qui ex afflicto ac depreſſo Nobiliſſimæ Familiæ ſtatu, ad ſummum Gloriæ culmen, præclaris geſtis ſibi gradum fecit; Qui Libertatem cum Regno, Majeſtatem cum Amore, Artem Politicam cum Religione, rarâ concordiâ, copulavit; Qui annis vitæ quinquaginta uno, Præfecturæ triginta, Regni tredecim, ea ſuſcepit, ea præſtitit, quibus plura Sæcula illuſtrarentur. Talis, Auditores, fuit Gulielmus: Verùm ad ſingula deſcendendum, & hæc omnia cominùs ſpectanda.

Principio,

Digitized by Google

GUILIELMI genus.

Principio, ſi, ut aliis omnibus, ita imprimis Heroïbus, in laude ponitur Generis claritas, hac in parte fuit ſine dubio, fuit quod cœlo imputaret Gulielmus. Nam Genus ipſi ſplendidiſſimum, neque ulli per totam Europam, vel antiquitate, vel amplitudine, vel affinitatibus, vel rebus geſtis, facilè conceſſurum. Certè, ſi Cæſarem Imperio dediſſe, ſi plures Gallis Britanniſque Monarchas, ſi Germaniæ quamplurimos Principes, ſi Bataviciæ Libertati vindicem, ſi Reformandæ Galliæ promotorem, ſi Duces fortiſſimos, belli portenta ac fulmina, ſi denique regia ferè omnia Europæ Stemmata ſibi adjunxiſſe, ſi hæc, inquam, ad Gloriam faciunt, his titulis, his nominibus, Gulielmi Stirps nobilitatur. Verùm laudentur iſta in aliis, qui nihil ipſi laudandum fecêre; Quæ cæteris ſunt ornamento, ea potiùs ornavit noſter; Neque tantùm ſplendoris à Genere, quantùm Genus ab ipſo accepit.

Sors naſcendi.

Sors naſcendi planè ſingularis, & miraculo proxima. Poſt orbitatem plurium annorum, poſt conclamatam penè ſpem prolis, ex paternis cineribus, velut quidam Phœnix, ſuſcitatur. Et cum innumeris, ſive à natura, ſive à maternis lacrymis, ſive ab infantiæ morbis, periculis conflictatus, ſalvus tandem ſoſpéſque emergit. Ut verè dicas, cœlitùs miſſum, & laboraturæ in poſterum Patriæ divinâ indulgentiâ conceſſum. „Unde, ſi adhuc dubium fuiſſet, fortè caſúque rectores terris, an aliquo numine darentur, Principem tamen „iſtum liqueret divinitùs conſtitutum; non occulta poteſtate fatorum, ſed à Deo ipſo coràm ac palàm formatum educ„túmque.

Plin. Panegyr.

Inſtitutio.

Inſtitutio verè liberalis, & inclyto illo ſanguine digniſſima: MARIA STUARTA Matre, & AMELIA SOLMENSI Aviâ, nec non & ipſis FOEDERATI BELGII ORDINIBUS, à quibus è ſacro Baptiſmatis fonte ſuſceptus fuerat, nihil, quod ad eam pertineret, omittentibus; & Academiâ Lugduno-Batavâ, tutiſſimâ Muſarum ſede, ad laudatiſſimum hoc opus delectâ: Quâ, & Humanioribus Diſciplinis, & Bellicæ Artis tyrociniis, & imprimis Pietatis ſtudiis, puer ad faſces natus imbutus eſt.

Quo

Quo quidem tempore, minimè fallacia Magnitudinis futuræ præſagia, jam cernere ac mirari licuit: Cùm, & inuſitatam quandam, in omnibus dictis factiſque, ſapientiam proderet; & illa omnia quæ docebatur, eâ facilitate addiſceret, ut non tam à Magiſtris accipere, quàm reminiſci videretur; & eâ denique morum gravitate ac ſuavitate eſſet, omnium ut ſibi reverentiam, atque amorem, conciliaret. Sic in ipſis vitæ primordiis magna ingenia igniculos mittunt, & quid in poſterum ſint futura, haud obſcuris indiciis monſtrant.

Ut verò ex ephebis exceſſit, ea ſe dederunt Belgii fata, ea diſcrimina, ii tumultus, ut, ringentibus licèt æmulis, averſantibus licèt Magnatibus, atque intercedentibus Decretis, Libertatis obtentu latis, tamen, unanimi Populorum voce, ac rerum ſtatu ſic poſtulante, ad paterna avitáque Munera miraculo quaſi vocaretur, & Supremus Militiæ Dux, Præfectus Claſſis & Oræ Maritimæ, denique Fœderati Belgii Gubernator, hæreditario jure crearetur. Quam quidem Spartam, quantâ prudentiâ, quantâ fortitudine, quantâ fide, quantâ denique felicitate, miſeris illis atque aleæ plenis temporibus obierit, docebit Annalium fides, fatebuntur Adverſarii, prædicabit res ipſa per ſeſe, nec facilè Poſteri fidem adhibebunt. Verbo dicam; Belgium Belgio reddidit; Quámque Majores ſui pepererant aſſeruerántque Libertatem, ex Orco eripuit ac vindicavit. Præfectura Belgii.

Sic compoſitis Patriæ rebus, de Thalami ſocia ſibi adjungenda conſilium inire cœpit. Qua quidem in re, ſi quiſpiam alius, is certè cœlo propitio uſus eſt; cùm Britannici Solii hæredem, venuſtate nulli ſecundam, pietate nulli parem, omnibus tum ingenii, tum indolis, tum virtutum laudibus, ſuprà quàm dici poteſt conſpicuam, Fœminarum decus, Principum exemplar, Britanniæ delicias, Orbis Miraculum, raro Cœli munere, ſponſam ſit adeptus. O ter quatérque fauſtum Hymenæum! O copulam perfectiſſimam! O miram Stemmatum, animorum, virtutum, conſiliorum conſenſionem, nullis querimoniis unquam violatam! Utinam eheu! diuturniorem! Uti- Conjugium.

nam & fœcunda ſobole florentem! Cùm jam triſti, ſed verendâ tamen Summi rerum Arbitri lege, & acerbis caſibus abruptam, & poſterorum orbam lugeamus.

Expeditio Britannica.

Verùm, ſi pro bonorum votis, imò & pro ſueta vivendi ſorte, diuturna ſatis non fuit regiis Conjugibus lucis uſura, miri tamen, tum à Britannis, tum à Batavis, tum à tota Eccleſia, ex ſuavi hac copula fructus percepti ſunt. Quod dum aſſero, me de Britannica Expeditione verba facere, abundè, ut quidem puto, perſpicitis. Erant Britannicæ Libertates, Immunitates, Leges, Jura, Sacra, non in lubrico ſolùm conſtituta, ſed & exitio proxima. In ea, partim occultis cuniculis, partim aperta vi, invadebatur. Nihil intentatum, tum ad Tyrannidem, tum ad Papatum inducendum; hoc eſt, ad vim, non fortunis modò, non focis, non corporibus, ſed & animis ipſis inferendam. Quódque pejus, per fas nefáſque turbato Regni adeundi jure, non in præſens modò, ſed & in futurum, tetri conſilii parabatur exitus. Rebus ita ſtantibus, tremit Britannia, ingemiſcit, lamentatur. Illa, quæ jam ſub Romano Imperio, *ut pareret* quidem, *non ut ſerviret*, domita fuerat, teſte Tacito, ut novum hoc jugum ſubeat, à ſe impetrare non poteſt. Regem orat; ſed Rex ſurdus eſt. Libera petit Comitia; ſed Comitia denegantur. Septem Præſulum vocem mutuatur; ſed illi in carcerem truſi. Tandem ergo, cùm aliunde nulla ampliùs ſpes affulgeat, ad GULIELMUM & MARIAM, quorum nota virtus ac pietas, ſed & quorum proxima ad Regnum jura, querula ſuppléxque confugit, eorúmque opem implorat. Quid verò ad hæc Gulielmus? Angliæ querelis precibúſque motus, claſſem inſtruit, militem cogit, Duces accerſit, fœdera nectit; Idque tantâ celeritate, paucorum ut res menſium fuerit; tamque arcanô ſimul conſiliô, nemo ut ſcopum poſſet divinare. Mox, navem conſcendit; vela pandit; ventorum impetum immotus ſuſtinet; ventis viciſſim ſecundis, imò ſe inſciô ſecundis, utitur; Britanniam ſalutat; aciem diſponit; ad Anglos accedit; Angli ad ipſum: Quódque fidem omnem ſuperat, ſtante inimico Exercitu, longè

Tacit. in vit. Agricol.

gè numeroſiore, ſtante Regiâ in portubus Claſſe, nullô conflictu, nullâ ſtrage, nullis obſtaculis, nullô negotiô, ſimul venit, videt, ac vincit: Atque in tanti beneficii præmium, quam Natalia adſignaverant, quam Virtutes meruerant, ad quam merita viam paraverant, à Supremis Regni Comitiis, nullo ambitu, accipit Coronam. In quibus omnibus, ſi quis Dei dexteram ac digitum non animadvertat, næ ille talpâ cæcior, næ illi fibra eſt plus quàm cornea.

Jam, quæ, domi militiæque, inde ab aditu Regni, geſta ſint, quid opus eſt oratione perſequi, cùm recentis ſint memoriæ, omniúmque ſermonibus ac prædicatione vulgata? Jura reſtituta. Libertas aſſerta. Fides in tuto collocata. Anglia compoſita. Scotia pacata. Hibernia armis vindicata; Belgiúmque, arctiſſimo fœdere Britanniæ alligatum, curâ pervigili rectum tectúmque. Eccleſiarum Antiſtites, Secretorum Publicorum conſcii, Duces Exercituum, Urbium Magiſtratus, ex probatiſſimis ſemper delecti. Sua Supremis Regni Comitiis, ſua Eccleſiæ, ſua Magiſtratibus, ſua cuique Ordini adſcripta. Non in turpe otium vita ſoluta; Non voluptatum cœno immerſa; Perpetuis laboribus, vigiliis, curis, addicta. Dies omnis ipſi, ut olim TRAJANO, ſumma cum utilitate Populorum, ſumma cum ſua laude, condebatur. Quoties trajecta ab ipſo Maria, nullâ tempeſtatum, nullâ ventorum, nullâ valetudinis, habitâ ratione? Quoties, per medios Exercitus, ac pila pilis minantia, præſentiſſimis vitæ periculis intrepidum pectus objecit? Quot dies requie vacuos, quot noctes inſomnes duxit, dum, vel capiendis conſiliis, vel exſequendis, vacandum eſſet? Ille, quod veri Principis dixêre, "reconciliare æmulas civitates, tumentes populos non imperiô magis quàm ratione compeſcere, intercedere iniquitatibus Magiſtratuum, infectúmque reddere quicquid fieri non oportuerat. Ille, velociſſimi ſyderis more, omnia inviſere, omnia audire, & undequaque invocatum, velut Numen, adeſſe & aſſiſtere." Ille, quod de Imperatore Seneca, verè "vinculum erat, per quod non una Reſpublica, ſed plures Reſpublicæ cohærebant; Ille ſpiritus vita-

Geſta domi & militiæ.

Plin. Paneg.

Senec. de Clemen. Lib. I. c. 4.

„lis, quem tot millia hominum trahebant; Nihil ipſa per ſe „futura „ (ſubjungit Philoſophus; ſed apage ſiniſtrum omen,) „ Nihil ipſa per ſe futura, niſi onus & præda, ſi mens illa Im- „perii ſubtrahatur; Juxta illud,

Rege incolumi, mens omnibus una;
Amiſſô, rupêre fidem.

Verbô, ſi unquam Britannica Gloria, Fœderati Belgii decus, utriuſque Gentis terrâ marique potentia ac Dignitas, Ordinum omnium jura, libertates, ſecuritas, concordia, & ſervata, & promota ſunt, id certè factum Gulielmo Rege, nemo eſt ita rudis qui neſciat.

Reginæ mors.

Atque hujus quidem gloriæ, quandiu in vivis verſata eſt, partem ſibi ſumebat Regina; Regni gubernacula ſapienter tractans, dum externis vacaret Gulielmus: Mulier, ſi ex juventutis flore, ſi ex corporis temperamento, ſi ex indolis ſuavitate, ſi ex vitæ inſtituto, ſi ex Populorum affectu, ſi ex bonorum omnium votis, judicium factum eſſet, ultra omnes ſenectæ terminos ævum feliciter productura. Verùm eheu! terris tantùm oſtenſa, duram Libitinæ legem experitur. Ex mediis Subditorum amplexibus, ex medio Conjugis ſinu, morbi inclementiâ abripitur: Vel potiùs, ut quod res eſt dicam, cœlo matura, cœlo aſſeritur; Et pro terreſtri Corona, cujus inane pridem intellexerat, cœleſtem, quam quærebat unam, quam unam anhelabat, aſſequitur. Quas verò lacrymas id funus expreſſerit, quos planctus, quæ deſideria, hujus loci non eſt deſcribere. Hoc unum dicam, Heroëm noſtrum, hac perculſum calamitate, Heroëm quaſi exuiſſe, ut hominem indueret; Et, qui propriæ vitæ diſcrimina interritus quotidie adibat, ad dulciſſimæ Sociæ diſceſſum, attonitum, fractum, exanimem, tanquam ſibi ipſi ereptum, jacuiſſe.

Geſta poſt Reginæ mortem.

Neque tamen proſtratam hoc ictu omnem Britanniæ ſpem exiſtimetis. Salvô Principe, res erant in vado; In quo ut omnium vota adunata, quæ inter duos diviſa fuerant, ita & ipſe novis deinceps curis, novis cautionibus, novâ diligentiâ, tot tantáque negotia ſuſtinere ſolus incepit. Referam ne pacatas

ſta-

Digitized by Google

ſtatim, quas ſæva Erinnys ſparſerat, diſcordias? Dicam-ne belli diſcrimina, eodem ſemper ardore adita? Pergam-ne ad Pacis conſilia, agitata ac tandem perfecta, in ipſo Gulielmi Palatio, ſub ejus nutu, ipſius auſpiciis? Quo ſucceſſu, dicant alii. Hoc unum omittere, piaculum duco; Inter eos Europæ Dynaſtas, Cæſaream nempe Majeſtatem, Regem Chriſtianiſſimum, Electorem Brandenburgicum, hodie Boruſſorum Regem, & Fœderati Belgii Ordines, quorum omnium patrociniis Reſpublica noſtra Pacis Articulis nominatim incluſa eſt, non infimum certè locum, non ultimas partes Gulielmo fuiſſe: Quô vel unô, ſi alia deſint, (quanquam non deſunt multa ſanè & magna) dulciſſimam nobis poſteriſque ſui memoriam præſtitit.

Porrò, imminentibus Britanniæ fatis, & GLOVERNIÆ DUCE, Britannici Solii, poſt ANNAM matrem, hærede unicô, eximiæ ſpei Principe, ante primam lanuginem ereptô, Gulielmus non præſentem modò, ſed & futuram Subditorum pacem in tuto collocandam ratus, nunquam quievit, nunquam ſe continuit, donec Britannici Regni Succeſſio Proteſtantibus aſſereretur, & in SOPHIAM Palatinam, mox in † BRUNSWICENSEM ELECTOREM, ejus filium, derivaretur; Quod quidem in proximis Regni Comitiis ſolenni Lege conſtitutum. Quinimò & de rebus externis ſollicitum Gulielmum fuiſſe, ac ne quid inde detrimenti, vel Britannia, vel Belgium caperet, pro virili parte providiſſe, neque quiſquam eſt hodie qui neſciat, nec ventura Sæcula ſilebunt. Quidquid id eſt, Jacobô Ex-rege naturæ legibus ad plures vocatô, quàm calida ſe rursùs præbuerunt pro Gulielmo Populorum ſtudia, & nequis ejus pacem turbaret, quantô zelô præcaveri optârunt? Teſtes tot Supplices Libelli, ab omnibus Regni Provinciis, Sodalitiis, Urbibus, oblati; Quibus, "ſe omnia Gulielmo debere, ſe in „eo ſpem omnem locare, ſe pro eo, & fortunas omnes, & „vi-

Ducis Glovernia obitus.

Succeſſio in linea Proteſtante.

Libelli ſupplices GUILIELMO oblati.

K 3

† Regnavit, poſt Annam, fauſtiſſimis auſpiciis, GEORGIUS I. Brunſwicenſis Elector; Et, poſt hunc, filius ejus GEORGIUS II. magna cum gloria etiamnum regnat.

Digitized by Google

„vitam ipſam profundere velle,„ prægnantiſſimis verbis teſtabantur. Novô exemplô; ſed ut parem Regem Britannia nunquam viderat, ita & nova, ac priùs infecta, ejus in gratiam fieri decebat. Mox, coactô Regni Senatu, quàm gravem, quàm nervoſam, quàm providam, quàm verè regiam, Orationem habuit Gulielmus! Dicas, ſeipſum ſuperâſſe; Animámque cœlo proximam, tanquam de cœlo jam dixiſſe: „De ſumma „rerum agi: Utendum occaſione: Ponendas ſimultates: Inimi„citias Reipublicæ donandas: Se ipſum exemplo præire, at„que, ut facerent, auctorem eſſe: Nihil ſe ſui cauſsâ, om„nia Populi, feciſſe & facturum: &c. Quibus quidem adeò commoti animi omnium fuêre, ut nunquam majori concordia, nunquam promptioribus animis, nunquam propenſiori in Regem ſtudio, Comitia habita ſint. Adeò ut, non alium in finem ad ea uſque tempora vixiſſe videatur Gulielmus, niſi ut, quàm carus eſſet, inuſitatis documentis cerneret.

GULIELMI extrema.

Atque ſic ad fatalem illum terminum tandem dilabitur Oratio, quô tam egregiæ vitæ, tam pretioſæ, filum abruptum eſt. O diem atro ſignandum lapillo! Diem quàvis nocte teteriorem! quô venatione ſe ſe exercens, pro ſolatio & oblectatione, ſibi interitum, nobis luctum peperit. Quippe affectum jampridem corpus, magis verò hoc caſu concuſſum, violenta poſtmodùm febris adorta eſt; Quæ indies ardentior facta, omnémque fallens Medicorum induſtriam, intrà quatriduum feralis evaſit. Circumſtantias, in vulgus notas, recenſere nihil attinet. Hoc notandum, decumbente corpore, ob morbi inclementiam, quieſcere mentem nunquam potuiſſe, quin ſemper de publica ſalute, incolumitate, defenſione, conſilia agitaret. Tunc certè, quaſi futuri præſclus, propoſitam jampridem à ſe Angliæ cum Scotia coalitionem, opus eximium, opus centum annorum, Regni Comitiis, cùm præſens non poſſet, per literas rursùs commendavit; tanquam non alio illuſtriori vel utiliori monumento poſſet Regnum ejus terminari. Poſtmodùm, extremâ imminente horâ, quàm Chriſtianè, quàm heroïcè, adventantem mortem ſalutavit! Quàm placidè, ac velut

lut iter parans, quæcumque opus erant, mandata dedit! Quàm ſtudiosè, & Eccleſiæ bono, & Populorum ſaluti, & Succeſſionis juribus, & perennaturæ concordiæ, ſupremis mandatis proſpexit! Gulielmo proavo, ut in aliis multis, ſic & in hoc non abſimilis, qui cum nefaria manu Delphis Belgicis occideretur, ſui ipſius quaſi oblitus, ac de Populo ſolùm cogitans, *Miſerere populi*, ſuprema voce ad Deum clamavit. Tandem, expeditus negotiis omnibus, atque intimis familiaribus ad triſtiſſimos amplexus admiſſis, totum ſe ad Deum convertit; Illuſtriſſimo Angliæ Primati, Thomæ Tenisonio, verè Apoſtolico Viro, conſcientiæ arcana aperuit; Chriſti Myſteria debita cum fide, debito cum zelo participavit; Animum terræ vinculis ſolutum, ac Divino Numini perfectè ſubmiſſum, adſtantibus omnibus exhibuit; Sicque glorioſiſſimam Coronam, ſed moleſtam tamen, caducam, ac terrenam, cum cœleſti, feliciſſima, ac ſempiterna, commutavit.

Grot. Annal. Belg. Lib. IV.

Ita vixit, ita diem obiit, qui, ſi mortalium quiſpiam, immortalitate dignus videbatur. Ita vix Sæculi dimidium explevit, qui ut altera Sæcula conderet, bonorum omnium votum fuerat. Ita defecit, nobiliſſimæ Stirpis, & ad aſſerendam Libertatem natæ, ultima eheu! ſed generoſiſſima & glorioſiſſima propago: Regum optimus, Ducum fortiſſimus, Hoſtium terror, Populorum deliciæ, Orbis totius admiratio, Ætatis ſuæ verè Phœnix: Quem ſi regiarum omnium Virtutum vivum exemplar fuiſſe affirmem, non metuam, apud æquos Judices, ne in adulationis notam incurram.

Gulielmi virtutes.

Quanta, Auditores, quanta laus ingenii, quanta vis conſiliorum, quanta ſagacitas, quanta Prudentia, in ipſo emicuit? Quis perfectiùs novit quæcunque nôſſe ipſum decebat? Quis regere imperio populos, quis rem bellicam tractare, quis Politica conſilia, vel capere, vel promovere, vel ad exitum perducere, majori unquam peritiâ valuit? Quis hominum indolem dignoſcere, quis voluntates ad lubitum flectere, quis diſcordantia ingenia componere, quis æmulationes Gentium lenire, quis partium ſtudia moderari, Ipſo unquam feliciùs potuit? Animus in-

Ingenii vis; Prudentia.

Digitized by Google

ingens, ac verè regius, qui non privata, ſed publica, non præſentia, ſed futura, non humilia, ſed excelſa, non res tantùm Patriæ vel Regni, ſed Univerſi propè Orbis, meditabatur atque dirigebat. Quis arcanorum tenacior? Quis magis *ſui celans?* quæ laus Gulielmo proavo jam fuerat. Quis parcior loquendi? ubi loqueretur, gravior ac prudentior? Quis denique, in omni vita, in omni regimine, ſapientior? Diceres, Prudentiam ipſam arcem in eo collocâſſe, &, quid maximum in homine poſſet, experiundo tentare voluiſſe.

Grot. Annal. Lib. I.

Fortitudo.

Fortitudinem verò quid referam, animum audacem, conſtantem, intrepidum, tum in adeundis belli diſcriminibus; tum in adverſis tolerandis, tum in Morte non pertimeſcenda; Res toti Orbi notiſſimas, nec ſine ſtupore memorandas? Affectent alii ſine Marte lauros, ſine ſudoribus triumphos: Noſter, ignes inter & enſes, plus quàm ſexcenties viſus eſt; Nec tam annorum vel menſium ſpatiis, quàm præliis, obſidionibus, vulneribus, periculis, vita ejus poteſt menſurari. Dicant ſe fortes & conſtantes, quibus omnia proſperè ceſſêre: Noſter quoſvis fortunæ ictus, etiam iniquiſſimos, impavida mente ſuſtinuit; *Sævis tranquillus in undis*, quod jam proavi Symbolum fuerat. Glorientur de Mortis contemptu, qui nonniſi eminùs illam ſpectarunt: Noſter, ſive ob altè infixam Decretorum Divinorum fidem, ſive ob incerta vitæ curricula menti aſſiduè obverſantia, ſive ob firmatum longâ conſuetudine adverſus quoſlibet eventus animum, in mediis inſidiis, in præſentiſſimis diſcriminibus, ne minimùm quidem commotus eſt.

Juſtitia.

Inter arma, AUDITORES, ſilere utplurimùm Leges coguntur; Et qui in bello ſtrenui, ſæpiſſimè, Achillis in morem, *Jura negant ſibi nata, nihilque non armis arrogant.* At longè alius Gulielmo animus, longè alii mores fuêre. Ille Juſtitiæ cultor, ille Legum vindex acerrimus; tum in privatis rebus, tum in publicis; ſive domi, ſive militiæ: Nunquam ut injuriis quenquam laceſſiverit: Nunquam ut datam fidem feſellerit: Nunquam ut fœdera jurata perfregerit: ſed ſuum cuique reddere, omniáque ex æquo & bono dimetiri conſueverit. Quocirca,

Digitized by Google

circa, ſi pingere illum in animum induxerim, non alia eum veſtiam forma, quàm quæ Juſtitiæ vulgò adſignatur, ut alterâ manu gladium, alterâ bilancem geſtet. Non ille ex eorum numero, qui privatis commodis publica ſubſternunt: Contrà ampliſſimas non ſemel, ac pluſquàm Attalicas conditiones, quia Patriæ iniquas, reſpuit. Non ille in eorum cenſu, qui Subditorum opes, fortunas, corpora ipſa, pro mancipiis habent: Contrà, eam demùm veram Regis gloriam, veram laudem exiſtimabat, ſi non tam Dominus eſſet quàm Parens, ſique ipſô Populos regente, à Legibus ipſe regeretur.

Neque ſolùm ſua cuique reddere, ſed & ſumma quoque lenitate, manſuetudine, clementia uti, una fuit ex ejus laudibus. Clementia. Non quòd molli eſſet animo; Non quòd publicæ pacis incurius; ſed quòd delicta in ſe admiſſa condonare ac tegere quàm vindicare, quantùm in ſe fuit, ſemper maluerit. Quâ quidem ejus indulgentiâ, ne improbis calcar adderetur, ſæpiſſimè timuimus: At, Deo præſide, longè ſecùs accidit; Cùm non alio tutiori præſidio auctoritas ejus ſit firmata; multique, hac lenitate, ad ſaniorem mentem ſint reducti, qui adversùs iram ac ſupplicia nonniſi frontem obfirmâſſent. Ecquô pactô priſcas ſimultates in Belgio tandem exſtinxit? Lenitate. Ecquâ methodô tot diſcrepantia Anglorum ſtudia moderatus eſt? Lenitate. Ecquâ ratione tot oppoſitas in Religionis negotio Sectas, ne, vel tumultuarentur, vel quererentur, continuit? Lenitate. Quæ quidem talia ſunt, ut valdè addubitem, num ab ultima hominum memoria, tantæ turbæ unquam compoſitæ, tantæ rerum converſiones factæ, tam lenibus mediis viſæ ſint.

Jam, quæ bonitas, quæ facilitas, quæ ad benefaciendum Bonitas. propenſio! Quot profugos excepit? Quot miſeris opem tulit? Plura hac in parte præſtiturus, ſi tempora ac res tuliſſent. Aditu facilis, ſuavis ſermonibus, amicorum veterum memor, juſtis petitionibus libenter annuens, Majeſtatem ſic temperabat, ut non tam ſupra reliquos, quàm unus ex reliquis eſſe videretur; neque tam ſe præeſſe hominibus, quàm eſſe hominem recordaretur.

Digitized by Google

Tempe-rantia. Porrò, quàm ille ſui potens, quàm ſibi temperans, quàm affectus frænans, quàm denique, ut aliorum, ſic & ſui ipſius dominus! Nullus eum privatus affectus ab inſtituto curſu unquam abduxit; Non avaritia ad prædam, non libido ad voluptatem, non amœnitas ad oblectationem; Contrà oblectationes ipſæ, curſitationes, venationes, ſeriis utplurimùm negotiis famulabantur. Quis temperantior in victu? Quis externæ pompæ negligentior? Quis adulationum magis inimicus? Quis laudum minùs avidus? Contentus meruiſſe, eas ſibi tribui parùm curabat. Fuit, fateor, fuit Gloriæ cupidus, cujus ſtudio, quò excelſiora ſunt, eò magis capiuntur ingenia; ſed veræ ac ſolidæ Gloriæ; Gloriæ, quæ Juſtitiam indiviſam comitem haberet; Gloriæ, in liberanda Patria, in aſſerenda Religione, in beandis Subditis ſitæ; Quâ, neſcio an quicquam, non dicam tam licitum, ſed tam laudabile, poſſit concipi.

Laboris patientia. Rursùs, quàm impiger fuerit, quàm laboris patiens, quàm propriæ quietis incurius, nobis tacentibus, res geſtæ docent. Semper ille, domi aut foris, in bello aut in pace, publico bono mancipatus. Semper, vel præſentia moderari, vel de futuris proſpicere; vel militem conſcribere, vel luſtrare exercitus, vel aciem diſponere; vel conſiliis publicis præeſſe, vel privata ſecum volvere; vel ærarium curare; vel epiſtolas exarare, imò pleraſque propriâ manu. Adeò ut, in ſumma licèt corporis debilitate, tamen nulla unquam fuerit, vel laboris plenior, vel publico commodo addictior vita.

Religio. Denique, quod caput eſt & corona virtutum omnium, fuit Divini Numinis timens, fuit Religioni addictus; ſed ſine fuco, ſine pompa, ſine admixta Superſtitione; Non ex mera naſcendi ſorte, non ex præconceptis opinionibus, ſed ex puro mentis lumine, ac perſuaſione ſapienter inducta; Illud ſeriò apud ſe reputans, ut *Regum timendorum in proprios greges*, ita & *Reges in ipſos imperium eſſe Jovis.* Nôſti, GILBERTE BURNETE, Sariſberienſis Præſul Illuſtriſſime, Britannicæ grande decus columénque Eccleſiæ; Quocum tam utilia jam olim miſcuit de Religione colloquia, de Numinis exiſtentia, de Providen-

dentiæ regimine, de Eventuum determinatione, de bonorum malorúmque finibus, aliiſque ejuſmodi; ut pateret, horum notitia, ac ſincera perſuaſione, non leviter imbutum fuiſſe. Enimverò, quid non ipſi Fides, quid non Pietas Chriſtiana debet? Quid aliud, toto vitæ tempore, quàm Religionem aſſeruit? Quis doctiores Præſules, quis meliores, Eccleſiis præfecit? Quoties, de impietate cohibenda, de profanatione caſtiganda, de ſublevandis miſeris, ad Senatum retulit? Et quid non tentavit, quid non movit, inde ab ipſis Regni primordiis, ad extremum uſque ſpiritum, ut infauſta illa diſſidia, nondum proh dolor! compoſita, in Anglicanis Eccleſiis tandem extinguerentur? Et ipsô denique mortis tempore, quô *eripitur perſona, res manet*, quantas animi verè Chriſtiani, quantas ſummi in Eccleſiam ſtudii, ſignificationes dedit, donec manebit Eccleſia, in Eccleſia ſemper prædicandas? Ut verè dicas, non tam Gulielmum, quàm Religionem, quàm Pietatem, quàm Caritatem Chriſtianam, ſub Gulielmi auſpiciis regnâſſe.

Quæ cùm ita ſint, Auditores, quid mirum, ſi tanti Principis, tot virtutibus conſpicui, tot numeris abſoluti, & ſuaviſſima dum vixit præſentia, & dulciſſima etiam poſt obitum ſit recordatio? Quid mirum, ſi, quoad ſuperavit, tot vota ſunt pro ipſo ſuſcepta, *Serus in cœlum rediret*, *longas ſuis ferias præſtaret*, quibus votis bona omnia comprehendi exiſtimabantur; & ſi, rebus humanis exemptum, tot lacrymæ, tot ſuſpiria, tot ejulatus, proſequuntur? Nullus eſt affectus, ut ſcitè dictum, tam erectus, tam liber, tam ſui juris, quàm amor: Non ut alia Subditis, ita & amor poteſt imperari: [Gulielmus Populis carus.] [Plin. Panegyr.]

Non extorquebis amari;
Hoc alterna fides, hoc ſimplex gratia donat. [Claudian. de 4. Conſ. Honor.]

Unde videmus Regum potentiſſimos, ut timerentur quidem effeciſſe, aſt ut diligerentur, niſi benefacerent, nunquam impetrâſſe. Hoc verò, ſi quiſpiam alius, nulló negotió obtinuit noſter. Amavit, juvit, tutatus eſt; Hinc amari, diligi, deſiderari, facilè meruit. Non luſit ille, non perdidit operam: Merita ejus gratos, maximam partem, æſtimatores nacta ſunt: [Senec. de Clemen. Lib. I. c. I.]

Utque nemo unquam tam utilis, ita nemo unquam unus homo uni homini tam carus, quàm ille univerſæ Patriæ, univerſis ferè Subditis fuit. Petitus inſidiis, periculis obſeſſus, dum omnes ipſi metuerent, nihil ipſe ſibi metuebat. Non excubiis, non pilis circumſtantibus, non geminatis Satellitum turmis, ſecuritatem aucupabatur. Majora erant, quæ ipſum defenderent. Amore ſe tutabatur civium. Et beneficiis, non pœnis, fiduciâ, non metu, clementiâ, non irâ, malevolorum artes eludebat: Memor ſcilicèt, quòd

Senec. in Octav. Act. II.

Ferrum tuetur Principem, meliùs fides;
Decet timeri Cæſarem, at plus diligi.

Solis adinſtar, qui Orbis habitabilis ambo hemiſphæria per vices illuſtrat, ille ſua tempora Britanniam inter & Belgium partiebatur: Et eâ quidem parte quâ aberat, ibi anxietas, ibi mœſtitia, & plurima noctis imago: Aſt ubi primùm adventaret, illicò, velut ad lucis adſpectum, recreari omnes, reviviſcere, atque exſultare cernebantur. O ſpectaculum memoria dignum, cùm tot Electoribus, Dynaſtis, Magnatibus, Legatis omnium penè Principum, apud Hagam, nobis videntibus, Gulielmi aula ſuperbiret! Quô quidem neſcio an quicquam ſplendidius, ne in ipſa quidem Triumphorum pompa, Roma Vetus unquam conſpexerit. Tamen, in auguſto illo Comitatu, aliquid Comitatu illo auguſtius viſum; Populorum gaudia, acclamationes, defixíque in uno Gulielmo, tanquam tutelari quodam Numine, oculi ſingulorum animíque.

Fiant, fiant aliis, magno apparatu, magna pompa, funebres exſequiæ: Mendax ſæpiſſimè luctûs imitatio; Merus utplurimùm ſub perſona riſus. Optimè factum, ô GULIELME, ac pro cætera tua ſapientia, quòd inanes illas nænias, quòd ſupervacuos illos honores, tuo funere abeſſe juſſiſti. Non te decebant, non te digna erant, tam ambigua mœroris indicia. Securus tuæ magnitudinis, ſinceras Populorum lacrymas, ortas ex imis præcordiis querelas, tibi digniùs longè parentaturas providiſti.

Scribantur aliis Panegyrici; Adornentur Epitaphia, conquiſitis

ſtris hinc inde floſculis, ac ſplendentibus ſententiis inſignia. Meliùs te laudat, ô GULIELME, vel in taberna artifex, vel in tugurio ruſticus, vel Belga diligens, vel fortis Britannus, dum intra privatas domos, nullis teſtibus, nullâ pompâ, cum conjuge, liberis, aris, ſociſque, de te erepto lamentatur; Dum ſe agnoſcit tibi debere illa quibus fruitur otia; Dum ſe fatetur, & Religionem, & Libertatem, & fortunas omnes, tibi acceptas ferre; Dum denique, quàm te deſideret, quàm te lugeat, quàm te requirat, inconditis fortaſſe, aſt infucatis vocibus, exponit.

Erigantur aliis Statuæ, Monumenta, Signa ſpirantia. Tu, GULIELME, ære perennius tibi Monumentum erexiſti; Quod non imber edax, non Aquilo impotens, non infinita annorum ſeries, non fuga temporum, poſſit diruere; Non in metallis, non in lapidibus, ſed in animis, ſed in corde hominum. Tua facta, tuæ Virtutes, tua in ſubditos tibi Populos, tua in Eccleſiam merita, vigebunt memoria Sæculorum omnium; Illa, poſteritas alet; illa, æternitas ipſa tuebitur; Dúmque, in illorum præmium, te cœleſtis Corona cinget, tuæ laudes, donec terræ ſtabunt, in terris celebrabuntur.

Ad nos quod attinet, AUDITORES, ut portum tandem reſpiciat Oratio, dum ereptum Principem lugemus, ob commodatum gratias agamus. Equidem id ſæpe mecum cogitavi, ſi nunquam in luminis auras veniſſet, ſi infantem mors abſtuliſſet, ſi his triginta annis, his viginti, his quindecim, imò longè breviori ſpatio, illo Statore caruiſſet Eccleſia, quota Eccleſiæ Reformatæ pars, ſi ad humana tantùm reſpicimus, quota, inquam, Eccleſiæ pars hodierno die ſuperſtes eſſet? Ergo, quòd in tanta debilitate, tot morbis, tot caſibus, tot periculis, tot inſidiis, pluſquàm dimidiam ætatem impleverit, de brevitate ne conqueramur, contrà ſingulos vitæ ejus annos, ſingulos menſes, lucro apponamus, & perpetuum Dei beneficium, munus perpetuum interpretemur. Plus ſatis naturæ vixit; quæ in eo debiliſſima, & jampridem penè confecta. Plus ſatis etiam vixit Gloriæ, quæ ulteriùs perduci vix poterat. Quòd ſi verò CONCLUSIO.

non ſatis Patriæ, non ſatis Subditis, non ſatis Eccleſiæ, vixiſſe videatur, meminerimus illum vivere, cujus nonniſi inſtrumentum fuit, quíque jacturas illas omnes poteſt abundè reſarcire. *Principes mortales, Rempublicam æternam*, inani ſpe jactabant Romani: At veriùs nos, Dei Verbo edocti, *Principes quidem mortales, Eccleſiam æternam fore*, apud nos ipſos ſtatuamus. Dicam liberè; Nimia fuit Gulielmi veneratio, nimia in illo poſita fiducia. Voluit, voluit Supremus Arbiter, in ſe unum vota noſtra vertere. Voluit, triſtiſſimo quidem, ſed ſalubri experimento, his monitis nos imbuere;

Tacit. Annal. Lib. III.

Pſalm. 146. Buchan.

Securitatem ne ſtabilem tibi
Promitte, regum præſidio; neque
De ſtirpe mortali & caduca
Pone tibi columen ſalutis.
Ut membra liquit ſpiritus, in ſuam
Terrena moles terram abit, & diu
Conſulta vaneſcunt, & auras
Irrita per vacuas feruntur.
O ter beatum, quem Deus ætheris
Fido tuetur præſidio, ſuas
Qui ſpes opeſque omnes in uno
Conſtituit Domino Deóque.

Age igitur, illo uno in Principe, æterno, cœleſti, omnipotente, omnem opem, omne præſidium, omne ſolatium quæramus. Atque interim, quicquid eſt in nobis, ad Eccleſiam ſervandam, ad vulnera ejus ſananda, ad eam periculis eripiendam, lubentibus animis conferamus. Deleantur, deleantur tandem ſacerrima illa partium nomina, quæ nos invicem diſterminant. Nemo Lutheranus, nemo Calviniſta, nemo Epiſcopatûs aſſertor, nemo Presbyteratûs defenſor, fauſtæ initio, nunc infauſtæ voces, in poſterum nominetur. Cùm in capitibus neceſſariis, omnibus ſit una fides, unus cultus, una expectatio, per Deum immortalem, de reliquis ne litigemus. Quin potiùs junctis conſiliis, junctis ſtudiis, junctis viribus, communis hoſtis impetus frangamus. Nec enim hoc

quo

quo verſamur puncto, idem cenſendus, qui antea, Controverſiarum noſtrarum ſtatus. Non jam agitur de ſubtilibus circa Decreta Dei quæſtionibus, humanæ menti imperviis; Non de modo præſentiæ Chriſti in Sacramento definiendo; Non de mediis quibuſdam Ritibus, ad fidei cardinem nihil attinentibus. Agitur de ſumma rerum; Agitur de cervicibus noſtris à Papali jugo vindicandis: In quem finem, niſi dextras jungamus, & collectis viribus certemus, nihil aliud nos futuros quàm prædam, hodiernus caſus magna voce clamat.

Quod ſupereſt, verſis in Cœlum animis, & Potentissimam Britanniæ Reginam, fauſtiſſimis jam auſpiciis regnantem, & Foederatos Belgii Ordines, conſiliis viribúſque maximos, & Celsissimum Principem Nassavium, in defuncti Principis bona ac virtutes ſuccedentem, & reliquos omnes, ſive Reges, ſive Principes, ſive Magnates, qui puriorem Fidem tuentur, & totam denique Eccleſiam, hoc funere quaſi viduatam, Deo impensè commendemus; Utque acerbiſſimum hoc vulnus ſanet, graviſſimam hanc jacturam ſarciat, impendentia mala avertat, enixiſſimis votis contendamus. *Jeruſalem, pax ſit tibi; Et te amantibus rectè cedant omnia. Pax ſit in mœnibus tuis, & in Palatiis tuis Salus.* DIXI. Pſalm. 122.

FINIS.

Senec.

SENEC. in Octav. Act. II.

Pulchrum eminere eſt inter illuſtres viros;
Conſulere patriæ; parcere afflictis; ferâ
Cæde abſtinere; tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, Sæculo pacem ſuo:
Hæc ſumma virtus; petitur hâc Cœlum viâ.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO QUARTA
DE
SÆCULO XVII.
ERUDITO,

Et hodiernis Literarum periculis.

Dicta eſt ſtatis ACADEMIÆ GENEVENSIS *Solennibus, die* XIV. *Maii, Anno* M. DCC. III. *cùm Auctor* ACADEMIÆ RECTORIS *munus iterùm gereret.*

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO AMPLISSIMO

JOH. ROBERTO CHOUËT

REIPUBLICÆ GENEVENSIS

CONSULI AC SENATORI

PRUDENTISSIMO

INTEGERRIMO

SCHOLARCHÆ ET BIBLIOTHECÆ

PRÆFECTORUM HOC TEMPORE

PRÆSIDI

DEFÆCATÆ ERUDITIONIS CULTORI

AC PROMOTORI

CUI ACADEMIA NOSTRA

IMO TOTA RES LITERARIA

PLURIMUM DEBET

PATRONO SUO ET AMICORUM

PRIMO

HANC DE LITERARUM AUGMENTIS

ET PERICULIS ORATIONEM

INSCRIBIT

JOH. ALPHONSUS TURRETTINUS.

Digitized by Google

LECTORI
S.

QUÆDAM *ſunt*, Erudite Lector, *quæ te in limine monitum velim.* Primò, *cùm in hac Oratione, non de Religionis cauſſa, ſed de Literarum ſtudiis agatur, ideò, in Viris Doctis commendandis, nullam Religionis rationem habui.* Tros Rotulúſve fuat, *Pontificii ſint an Proteſtantes, ſi modò doctrinæ laude claruerint, nullo diſcrimine hîc commendantur. Quæ ſanè æquitas, cùm in rebus omnibus, tum præcipuè in re literaria ſervari debet.* Secundò, *ſi quos Viros Doctos laudem, alios ſilentio prætercam, cave id ita interpreteris, quaſi, vel judex in Parnaſſo ſedere velim, vel eorum quos præterii laudibus ac meritis quicquam detraham: Qua quidem arrogantia nihil à me magis alienum. Si quos igitur præ cæteris laudo, ii ſunt, vel quos fama publica vulgo eximit, vel qui mihi ipſi notiores, vel in primis qui novis quibuſdam atque utilibus inventis Diſciplinas illuſtravêre. At longè plures reperiri, & maximi quidem nominis Viros, ſive inter defunctos, ſive inter ſuperſtites, lubens agnoſco.* Porrò, *ſi cui mirum videatur, quòd in* Theologorum *ordine, in quo tot Viri magni exſtiterunt, imò Viri omni laude majores, tamen vix unum aut alterum nominem, ſciat periculoſæ plenum aleæ illo in ordine delectum eſſe.* Itaque *eximios illorum labores juſtis laudibus efferre contentus, nomina ſilere ſatius duxi, ne ſcilicet, pròut ipſe monui,* odio vel gratiæ, his laudatis, illis omiſſis, quicquam à me datum videretur. Denique, *id etiam ignorari nolim, me, Venerandi* Pastorum *ac* Professorum *Cœtûs hortatu, Orationem hanc in lucem mittere.*

ORATIO

ORATIO IV.

DE

SÆCULO XVII. ERUDITO,

Et hodiernis Literarum periculis.

QUARTUM-VIRI *Ampliſſimi*, *Vóſque cæteri* PATRES CONSCRIPTI, *Prudentiſſimi*, *Integerrimi*,

PRINCEPS *Illuſtriſſime*, *cujus nomine ac ſtemmatibus nihil majus Polonia habet; Vóſque* HOSPITES *reliqui*, *claritate generis inſignes*,

VIRI *plurimùm Reverendi*, *à quibus* ECCLESIA *paſcitur*, *vel* ACADEMIA *informatur*,

LEGUM *Interpretes*, MEDICORUM *filii*, *Conſultiſſimi*, *Peritiſſimi*, M 3 AU-

Digitized by Google

AUDITORES *omnium ordinum Præſtantiſſimi, Humaniſſimi,*

Tuque, ad quam propriè Solennia hæc pertinent, JUVENTUS,

DE hodierno Literarum ſtatu dicturus prodeo. Quo argumento, neſcio an ullum, vel in ſeſe nobilius, vel tempori ac loco aptius, vel Scholæ noſtræ ſalubrius, vel denique illuſtriſſimæ huic Literatorum coronæ gratius, deligi unquam à me potuerit. Equidem, quoties ad ſtata hæc Solennia, ſacratam Muſis lucem, ac Literarum bono natam, quâ, & ampliſſimus Ordo, & venerabiles Patres, & quicquid nobilium, quicquid eruditorum hominum Geneva noſtra capit, Muſis litaturi & Gratiis, in hoc bonæ mentis ſacrarium conveniunt, quoties, inquam, ad hæc attendo, toties colligo, magnum rerum delectum, magnam publici commodi rationem, magnam Literarii profectûs curam, ſi unquam ab eo qui ſit dicturus, nunc certè habendam eſſe. Enimverò, cùm ad dicendum ex hoc ampliſſimo loco ſurgimus, non id nobis penſi datum probè intelligimus, ut inani ſtrepitu aëra pulſemus, ut ſeſquipedalia verba glomeremus, ut ea, magno apparatu, magna lateris contentione, magno vocis impetu, ſonemus, quæ, vel à nemine intelligantur, vel intellecta nihil juvent: Quod ſi ego fecerim, cauſſam non dico cur non omnes totam horam ſtertatis, & me ineptum Declamatorem, tanquam Aſpendium citthariſtam, mihi canere & Muſis ſinatis. At ſi ea dicam quæ ſint uſui, & Literis promovendis apta, ſi Scientiarum progreſſus elapſô proximè Sæculô factos, ſi metuendum earundem noſtris diebus decrementum, ſi corruptarum artium cauſſas, quâ de re olim *Quintilianus* & *Ludovicus Vives* ſcripſère, ſi denique emendandarum Diſciplinarum rationem, gravi ac ſeria, non tam Oratione, quàm Conſultatione,

tione, exponam, ut deſit felix operis exitus, tamen probandum erit conſilium; & ſi optatum curſum non teneam, magna ſaltem voluiſſe, magniſque excidiſſe, quædam laus erit.

Utinam verò, Auditores, Utinam, eorum qui me circumſtant, aliquis meo loco his de rebus verba faceret, cujus oratio, & plus ponderis, & minùs invidiæ, eſſet habitura! Utinam de Scientiis auctis, qui eas ipſi auxerunt, dicerent, & de degenere Literatura apud vos quererentur, ad quos mali labes nondum pertigit! Quando verò id ampliùs non datur, & mihi omnium imparatiſſimo hæc ſedes iterùm eſt occupanda, eam, ſi non pro eo ac decuit, pro viribus certè ornabo; Et veſtra fretus benevolentia, miſſis verborum lenociniis, miſſo omni, ſive adulandi, ſive detrectandi ſtudio, ad rem ipſam ſtatim aggrediar.

Ut humanarum omnium rerum, Præstantissimi Auditores, ita & Artium ac Scientiarum, eſt quidam velut orbis ac circulus. Alia tempora clara, alia obſcura. Nunc quædam Artes in pretio; mox eædem in contemptu. Modò quædam gentes Scientiis excultæ; modò illæ in barbariem verſæ, & doctrinæ laus ad alias tranſlata: Ad eundem ferè modum, quò felix olim proventibus terra, nunc ſterilibus arenis ſcatet; contrà, inculta pridem ac horrida, pòſt in fruges ac voluptatum inſtrumenta luxuriat. *Varia Scientiarum fata.*

Ab Oriente, ut humanum genus, ita & Literæ ortum duxêre. Exinde, ſive à Cadmo, quæ ipſa vox Orientem ſonat, ſive à Philoſophis peregrinantibus, liberalia ſtudia ad Græcos traducta. Poſtmodùm, ut Orbis imperium, ſic & Literarum principatus, Romanis rerum dominis ceſſit. Donec tandem, longâ interjectâ barbarorum Sæculorum nocte, occiduæ hæ Orbis partes, Italia, Gallia, Germania, Britannia, doctrinæ jubare colluſtratæ ſint.

Fuêre ſua, ut Imperiis, ita & variis Scientiis fata. Principio, nonniſi rudibus antiquæ rerum memoriæ veſtigiis, doctrina omnis comprehendebatur. Mox abſtruſa quædam ſapientia, ſub Fabularum involucris, atque Hieroglyphicis ſymbolis expreſ-

Digitized by Google

expreſſa, apud Ægyptios præſertim invaluit. Illinc patentior indies fingendarum Fabularum campus à Poëtis Græcis apertus eſt. Tandem acceſſère ſeveriora ſtudia, variæ Philoſophandi rationes: Quarum duabus, *Platonicæ*, dico, atque *Ariſtotelicæ*, diuturnior fuit lucis uſura; ſed & infelix ad Chriſtianam Fidem adulterandam facilitas. Quid jam aliarum Scientiarum dicam, per ſæculorum decurſum, vices? Modò Poëſis rudis & incompta: Modò culta & expolita. Modò balbutire homines: Modò Eloquentia valere. Modò rerum veterum ignoratione quaſi ſemper pueri eſſe: Modò antiquæ famæ memoriam velut poſtliminii jure revocare. In quibus iterùm, vicibus mutatis, & renaſcuntur ſæpiſſimè quæ antea ceciderant, & quæ in honore fuerant cadunt. Planè ut in rerum natura

Boeth. Conſ. Philoſ. Lib. III.

Repetunt proprios quæque recurſus,
Reditúque ſuo ſingula gaudent;
Nec manet ulli traditus ordo,
Niſi quòd fini junxerit ortum,
Stabilemque ſui fecerit orbem.

SAECULUM XVII. *Eruditione conſpicuum.*

Quòd ſi verò ulla unquam ætas Literarum ſtudiis faviſſe, eáque majorem in modum auxiſſe viſa eſt ac illuſtràſſe, hæc certè laus Decimo-ſeptimo, expleto nuper, Sæculo debetur. Prior quidem ætas tenebras diſpulerat: At iſta, de qua dicimus, lumen longè latéque expandit. Priori Sæculo, ſpinæ avulſæ, cæſa dumeta, occata tellus, & bonarum Literarum ſemina ingeniis quaſi commendata: At proximo demùm Sæculo ſemina illa pullulàrunt, & uberrima meſſis collecta. Ita ut, ſive Linguarum peritiam, quæ *Philologiæ* nomine venit, ſive Naturæ cognitionem, quæ *Philoſophiam*, *Mathematicas* artes, *& Medicinam* complectitur, ſive priſci temporis memoriam, quò ſpectant *Hiſtoria*, *Chronologia*, & quælibet *Antiquitates*, ſive denique *Humani* pariter *Diviníque Iuris* ſcientiam, animo comprehendamus, multa in iis omnibus aucta, multa emendata, multa illuſtrata, hoc temporis intervallo, conſtet.

Progreſſus in LITERIS GRAECIS & LATINIS.

Et à PHILOLOGIA quidem ut ordiar, quantus, tum in Græcis Literis, tum in Latinis, factus progreſſus? Quot editiones

Digitized by Google

editiones Veterum eximiæ? Quot emendationes appoſitæ? Quot verſiones accuratæ? Quot commentationes eruditæ? Quot illuſtrationes ſplendidæ, neque ſatis unquam æſtimandæ? Quantus labor, quanta induſtria, tum in explanandis loquendi formulis, tum in eruendis Antiquitatibus, tum in omni Auctorum elegantia, omni venuſtate, omni nitore, intelligendo atque exhibendo? Prior ætas ſuos jam habuerat, & maximi quidem nominis Criticos, ſuos *Eraſmos*, *Budæos*, *Manutios*, *Stephanos*, *Victorios*, alioſque, à quibus veterum Auctorum plerique é tenebris educti, mendis quàmplurimis repurgati, & multa lux iis miniſtrata. At quantò plures, ætate proximâ, hac Doctrinæ laude claruerunt? Putà *Joſephus* ille *Scaliger*, eruditionis verè portentum, cui in omni literatura nihil intentatum, nihil abditum; Putà *Juſtus Lipſius*, *Janus Gruterus*, *Johannes Meurſius*, & *Iſaacus* ille *Caſaubonus*, quo alumno juxtà ac Doctore Geneva noſtra poteſt gloriari; Putà *Hugo* ille *Grotius*, cujus ſtupenda eruditio, cum acerrimo judicio certans, per omnem, ſive Critices, ſive Eloquentiæ, ſive Poëſeos, ſive Hiſtoriæ, ſive Politicæ, ſive Humani Divinique Juris campum ſeſe diffudit; Putà *Claudius Salmaſius*, ad cujus nomen Docti omnes aſſurgunt; Putà *Voſſii*, *Heinſii*, *Gronovii*, dilectiſſima Muſis capita, & ille magno Literarum damno humanis nuper exemptus *Grævius*: Quibus & duos etiamnum ſuperſtites honoris cauſſâ hic adjungere libet; nempe Illuſtriſſimum *Huetium*, eruditæ Galliæ jubar ſplendidiſſimum; & amœniorum Muſarum delicium, Genevæ noſtræ magnum decus, *Ezechielem Spanhemium*. Habuit hæc ætas Oratores diſertos, tum ſacros, tum forenſes, cùm Latinos, tum vernaculos, qui, ſi minùs Veteres æquârunt, quod ingenuè confitendum eſt, tamen ſuo ſunt loco numerandi. Habuit Poëtas perquàm elegantes, ſive Latinos, ſive Gallicos, ut de aliis jam taceamus; Veterum, non dicam æmulos, ſed & ſæpiſſimè victores. Habuit Scriptores ingenioſiſſimos, & Attico ſale refertiſſimos, verè arbitros elegantiarum, Petronios ac Lucianos ſui Sæculi. Adeò ut, in iis Literis, quæ ab humanitate nomen ſortitæ ſunt,

Digitized by Google

nulli ſuperiorum ætatum poſtrema hæc ætas conceſſerit.

Progreſſus in LITERIS ORIENTALIBUS.

Quod verò ad LITERAS ORIENTALES, ut de iis ſeorſim dicamus, quando illæ meliùs excultæ, quando utilioribus præſidiis munitæ, quàm hoc noviſſimè decurſo Sæculo? Quot inſtructiſſimæ Grammaticæ? Quot ampliſſima Lexica? Quot verſiones lectiſſimæ? Quot obſervationes eximiæ? quibus, tum Sacer Codex, tum Talmudicæ tractationes, tum Rabbinorum commentarii, tum Alcorani deliria, tum aliæ Orientalium, partim opes, partim quisquiliæ, publici juris factæ, ac modis omnibus illuſtratæ ſunt. Dederat prior ætas *Reuchlinos*, *Fagios*, *Maſios*, *Bertramos*, *Pagninos*. Sed quid illi cum tot tantiſque proximæ nobis memoriæ Heroïbus? Quid illi cum *Buxtorfiis*, *Druſiis*, *Erpeniis*, *Goliis*, *Cappellis*, *Hottingeris*? Quid illi cum *Seldeno*, quocum neſcio an Hebræorum ullus de rebus Hebraïcis contendere auſit? Quid illi cum *Bocharto*, quem non Gallum, ſed Phœnicem dicas, adeò Phœnicias omnes dialectos ac vetuſtates in promptu habuit? Quid illi cum *Lightfootio*, qui ex Talmude & Rabbinis immane quantùm lucis ac ornatûs Novi Inſtrumenti Libris intulit? Quid illi cum *Pocockio* in Arabicis, cum *Kirchero* in Copticis, cum *Ludolfo* in Æthiopicis, cum *Hydeo* in Perſicis? à quibus omnibus Europam noſtram Orientis ſpoliis ditatam miramur.

PHILOSOPHIA *emendata ac renovata.*

Quòd ſi verò tanta in verbis, major longè in rebus ipſis facta eſt proximô Sæculô acceſſio; In PHILOSOPHIA, dico, *Mathematicis* Diſciplinis, Arte *Medica*, & ſi quæ ſunt iſtis implexæ. Quid, quæſo, fuerat Philoſophia, longo anteriorum temporum tractu? Quid, niſi ſterilis quædam Sophiſtica? Quid, niſi vana quædam loquacitas? non tam Scientia, quàm Scientiæ ſpecies, ad garriendum prompta, ad detegendum verum inutilis, rixarum ferax, ſpinis horrida, quæſtionibus ſtulta, decretis temeraria, eò ineptior, quòd, cùm nihil eſſet, magnum tamen quid videretur, ſummâque ſui opinione atque admiratione animos inflaret. At verò, Sæculô nuper elapſô, novum Philoſophandi genus, nova Methodus inita eſt; Quâ, miſſis verborum ambagibus, miſſis inutilium quæſtionum tricis, atque omni,

omni, ſive Ariſtotelis, ſive aliorum auctoritate, intra juſtos limites arctatâ, ad veritatis indagationem, ad ipſa Naturæ penetralia, recto curſu adiri cœpit. Quâ quidem viâ, ſi multa ſuperſunt etiamnum retegenda, multa certè retecta conſtat, imò plura fortè retecta, intra unius Sæculi orbitam, quàm per ſex ferè annorum millia retexerat humanum genus. Superiori quidem ætate, in Philoſophiam Peripateticam nonnulla tentaverat *Ramus*. Quinimò, ortâ per Europam noſtram purioris fidei luce, multæ Scholaſticorum ineptiæ, multi errores correpti fuerant. Verùm intenti ad Linguarum ſtudia, ad Auctores edendos, & Controverſias Sacras, animi, Philoſophica minùs curaverant; Neque mutata hoc reſpectu quæcunque mutari oportuit, neque meliora iis ſuffecta. Fuit hæc virtus, fuit hæc gloria elapſæ proximè ætatis, quòd emendandæ Philoſophiæ, & ab ovo quaſi inſtaurandæ initum ſit conſilium, magno animo ſuſceptum, ſumma induſtria agitatum, nec pœnitendo ſucceſſu promotum. Quo quidem in opere, poſt *Verulamium*, inſtaurandarum Scientiarum hortatorem magis quàm ducem, poſt *Copernici*, *Tychonis Brahei*, *Galilæi*, aliorumque, in Aſtronomicis inventa, poſt revocatam à *Gaſſendo* atomicam Philoſophiam, poſt hos, inquam, majori auſu, ſed & felicioribus auſpiciis, exortus eſt *Renatus Carteſius*, qui ita cœpit naturam rimari, quaſi nemo antea quicquam tentâſſet; qui eo mentis acumine, ea judicii ſoliditate, eo labore, ea induſtria, novæ adornandæ Philoſophiæ incubuit, ut palmam omnibus qui anteceſſerant præripuiſſe videatur; quem denique, ſicubi erravit, ut errare humanum eſt, & ſicubi multa ignoravit, quæ mentis eſt imbecillitas, certè ad ſeipſum emendandum, ad ſeipſum ſuperandum, viam muniviſſe negari non poteſt. Quot porrò, quantique Viri ex recenti hac Schola prodiêre, qui non vanis rationum argutiis, non inani garrulitate, ſed attento naturæ examine, Philoſophiam adauctum venerunt? Quid memorem *Malpighium*, *Redum*, *Boylium*, alioſque, qui nihil ferè intentatum experimentis ſuis reliquêre? Quid memorem Tractatum illum *de inveſtiganda Veritate*, eximium oppidò

N 2

pidò ac cedro dignum? Quid memorem eos de Portu-Regio *Artis cogitandi* Doctores? Quid denique celebres illas Philoſophorum Societates, tum in Anglia, tum in Gallia, tum in Germania, tum in Italia, hoc Sæculo erectas? A quibus quanta ſint præſtita, ad Philoſophiæ augmentum, docent Societatum illarum Acta, narrant earum Hiſtoriæ, tradunt Diaria Eruditorum, novo invento, ſed & utiliſſimo, per totam Europam conſcribi jam ſolita.

PHILOSOPHIÆ RECENTIORIS *præſtantia.*

Ignoſcite verò, AUDITORES, ignoſcite, ſi, quam ſemper colui, rectam Philoſophandi rationem, ejus commoda fructúſque præcipuos oratione ſaltem attingam. Illa, Logicæ vulgaris dictamina, difficiles nugas, flocci facit; nec niſi paucis regulis, ex ipſo rationis penu depromptis, mentem dirigit atque informat. Illa, diſtinctas rerum ideas animo efformare, nec niſi de clarè perceptis judicium ferre jubet; Quod etſi Tullius edixerat, tamen, nec Tullius, nec Priſcorum ulli, ſatis in uſum adduxerant. Illa, cogitationes noſtras methodo aptiſſima diſponere docet; Quæ laus Antiquis ferè ignota; unde hodiéque in ordinis leges ſæpiſſimè peccare videas, quicunque hac Diſciplina imbuere mentem neglexêre; Contrà, qui his Sacris initiatus eſt, ita concinnè de rebus diſſerit,

Horat. de Arte Poet.

Ut jam nunc dicat jam nunc debentia dici;
Cætera differat, & præſens in tempus omittat.

Illa, prima ſcientiæ principia, fundamenta cognitionis omnis, in aperta luce collocat; Et feliciùs quàm quiſquam antea, Scepticorum deliria convellit. Illa, quicquid in contrarium garriant *inſanientis ſapientiæ conſulti*, mentis à corpore diſcrimen ad oculum tantùm non demonſtrat. Illa, Naturæ mechaniſmum, quô omnia ex partium figura, motu, ac ſitu deducuntur, etſi Veteribus non ignotum, clariùs tamen ac pleniùs deſcribit. Illa qualitates ſenſibiles, quatenùs in objectis verſantur, vel quatenùs mentem afficiunt, ea felicitate diſtinguit, ut vel hæc una diſtinctio prædicatione omni ſit major. Illa, de Luce & Coloribus, de Gravitate ac Levitate, aliiſque corporum affectionibus, nonniſi generalia, fateor, ſed eximia tamen commentatur.

tatur. Illa, Teleſcopiorum ope, quæ & inventa hac ætate, & ad ſummum perfectionis gradum perducta ſunt, immenſa Orbis ſpatia emetitur, novos ignes in Cœlis detegit, novum ordinem Aſtris aſſignat, novum Mundi ſyſtema condit, in quo ne Rex quidem Alphonſus, quicquam quod arguat reperire poſſit: Et viciſſim, per Microſcopia, alteram illam immenſitatem, quæ in minimis ſita eſt, é nihilo quaſi educit; Unde *naturam nuſquam magis, quàm in minimis, totam eſſe, & in his tam parvis, imò tam nullis, quæ ratio, quanta vis, quàm inextricabilis perfectio*, multò nunc potiùs exclamaret Plinius. Quanta porrò, de ſingulis quæ nos circumſtant corporibus, Recentiorum induſtriæ patuerunt? Quanta de aëris gravitate, preſſione, vi elaſtica, ab experimentis Torricellianis, ſimilibuſque, collecta ſunt? Quanta de Metallis ac Mineralibus? Quanta ſpeciatim de Magnete, quem hoc fine conditum diceres, ut Philoſophiam hanc illuſtraret? Quanta de Plantarum ortu, nutritione, augmento, partibus? Quanta denique de Animalibus, atque in primis de Homine? Quid multis? Vel ſi nihil aliud recens Philoſophia doceret, id certè docet eximium, quàm pauca à nobis noſcantur, quàm in abdito ſit rerum natura; Quæ quidem docta inſcitiæ agnitio doctrina omni præſtabilior eſt.

Plin. Nat. Hiſtor. Lib. XI. cap. 2.

Atque hinc etiam liquet, Auditores, ut Philoſophiæ peritiam, ita & ſtudia Mathematica, non mediocriter promota eſſe. Etenim amicè hæc conſpirârunt, ac mutuas ſibi tulerunt ſuppetias. In *Arithmeticis*, quot compendia? qualis utiliſſima illa Logarithmorum conſtructio, à *Nepero* Scoto adinventa, ab aliis deinceps perfecta. In *Algebra*, quot progreſſus? Diceres planè novam, adeò à *Vieta*, *Carteſio*, *Walliſio*, aliiſque, non exculta modò, ſed & ad omnes Mathematicorum partes admota. In *Geometria*, quot Auctores, curâ, perſpicuitate, facilitate, ordine, anterioribus longè potiores? In *Aſtronomia* præſertim, quanto ſtudio obſervavit hæc ætas,

Et Solem, & Stellas, & decedentia certis
Tempora momentis?

Mathematicarum Diſcipl. incrementa.

N 3 Huic

Huic debentur novem Planetæ, Jovis Saturnique Satellites, ut & Saturni annulus, Teleſcopiorum ope detecti. Huic debentur maculæ Solares, Lunæ declivia ac prominentiæ, Planetarum omnium diſtantiæ, phaſes, menſuræ, theoriæ, accuratiſſimè deſcriptæ; Imò & motûs Cometarum, qui erratici antè putabantur, veriſimilis admodum ad periodos certas alligatio. Huic debentur regulæ Aſtronomicæ, tabulæ, mappæ, ephemerides, ad uſum accommodatiſſimæ. Huic debentur novæ Longitudinum ſtatuendarum methodi, Geographiam recentiorem ſupra veterem longè extollentes. Huic debentur novi Eclipſium, inde ab Orbe condito, calculi, in Chronologicis utiliſſimi. Jam, per Horologia oſcillatoria, pulcherrimo artificio à Nobiliſſimo *Hugenio* inventa, & æquabiliùs quàm unquam antea tempora diſtribuuntur, & certiores motuum cœleſtium obſervationes habentur, & locorum Longitudines, in mediis Oceani fluctibus, tam commodè atque accuratè quàm fieri poteſt menſurantur: Quibus quidem quantùm perfectionis, & Aſtronomiæ, & Geographiæ, & rei Nauticæ, acceſſerit, nemo niſi planè hoſpes in his artibus poteſt ignorare. Jam, Teleſcopiorum auxilio, corpora cœleſtia pluſquàm quadringentis vel quingentis vicibus majora, quàm oculis, conſpiciuntur. Jam innoteſcit, quot vicibus globus Solaris terreſtrem ſuperet, nempe decies centenis millibus. Jam planum fit (quod vereor ut ſuadeam) quo temporis ſpatio, tum Sol, tum reliquæ Stellæ, ex hac terra adiri poſſint; Nempe, ſi eandem adhibeas, quam tormenti bellici globus, velocitatem, intra 25. annos ad Solem uſque progredieris; intra ſeptingenta annorum millia (ô immenſitatem Divini operis! ô noſtram exilitatem!) intra ſeptingenta annorum millia, ad proximas Stellarum fixarum. Adeò ut, ſi non corpore, quod pennas pluſquàm Dædaleas & ævum pluſquàm Neſtoreum requireret, certè mente & cogitatione, ducibus *Hugenio*, *Caſſino*, *Newtono*, atque illo patriæ noſtræ, imò Europæ lumine, *Duillerio*, per immenſa Orbis ſpatia peregrinari jam liceat. Cæterùm & multa de *Mechanices*, *Architectonices*, *Optices*, *Gnomonices*, rei *bellicæ* atque *nauticæ* perfectio-

Hugenii Horolog. Oſcillat.

Obſervat. Aſtronom. de l'Acad. Roy. des ſciences.

Hugenii *Κοσμοθέωρος* Lib. II. pag. 125. & 137.

ſectione adjungi poſſent, ſi Mathematicos omnes progreſſus enumerare per tempus liceret.

In Medicina porrò, quid non auxit, quid non promovit, quid non illuſtravit noviſſimi temporis induſtria? Certè vel unum de *ſanguinis motu* & *circulatione* arcanum, quó tota ferè continetur Animalis œconomia, Veteribus prorsùs ignotum, ſive ab *Herveo* Anglo, ſive à *Paulo* Veneto retectum, tanti momenti eſt, tantæ præſtantiæ, ut dignè ſatis prædicari nequeat. Et quis neſcit, *venas lacteas*, *chyli receptaculum*, *ductus hepaticos*, *vaſa lymphatica*, multa de *glandulis*, de *viſceribus*, de *animalium ovis*, de tota *generationis ratione*, ſive crebris diſſectionibus, ſive microſcopii auxilio, ſive ingenii ſagacitate, à Medicorum filiis prolata? Et quis ignorat rem *Botanicam* non minoribus augmentis creviſſe, novamque in primis Plantarum diſponendarum methodum, adjuvandæ memoriæ aptiſſimam, non ita pridem adinventam eſſe? Quid, quòd ab ultimis uſque Indis valetudinis ſubſidia quæſita; duæque in primis Plantæ, efficaciæ prorsùs divinæ, auróque contra æſtimandæ; Quarum alterâ, *Kin-kina* dictâ, febris certiſſimè debellatur; Alterâ, *Hipecacuhana*, ſanguinis profluvia ſiſtuntur; Digniores, non dicam, extructis Templis, ariſque conſecratis, quàm Febris Pavórque ab iis devicti, quibus ab inſana Antiquitate Templa olim extructa conſtat; ſed dignæ tamen ob quas immortales Numini agantur gratiæ, tanquam ob præſentiſſimam Humano Generi ſalutem conceſſam. Porrò, & *Chymicos* prætereo, & *Medicinæ Practicæ* auctores, quorum omnium, & nomina, & merita, amici calami diligentiæ (ſi modò erudirum opus ad umbilicum unquam perducat) exponenda relinquimus.

Medicina promota.

Hiſt. de la Medecine par D. Le Clerc.

Historiam verò, Auditores, quanta cenſetis acceſſiſſe, ipſa hac ætate, incrementa? Hiſtoriam, dico, omnis generis; ſive ſacram, ſive profanam; ſive veterem, ſive novam; ſive generalem, ad omnes ætates omneſque populos ſeſe extendentem, ſive certis temporum vel gentium finibus adſtrictam. *Generali* Hiſtoriæ, quis plus lucis intulit, quis certiores tem-

Historia *exculta & illuſtrata*.

temporum notas adſignavit, quàm *Scaliger*, *Calviſius*, *Petavius*, *Uſſerius*, iſtorumque ſequaces? *Græca Romanaque* Antiquitas, quàntùm illuſtratæ à *Caſaubono*, *Salmaſio*, *Grævio*, *Gronovio*, aliiſque, quorum munere jam nobis licet

Claudian. de IV. Conſul. Honor.

Tecum, Graïa, loqui, tecum, Romana Vetuſtas.

Byzantinarum rerum quot Scriptores é tenebris educti, atque elegantiſſimis typis, & doctiſſimis notis commendati? *Francorum* Annales edidêre *Pithœus*, *Quercetanus*, *Valeſius*, *Mezeræus*, aliique; illéque in primis nunquam ſatis laudandus, tum ob Latini ſermonis elegantiam, tum ob fidem atque candorem, Hiſtoricorum ferè poſtremus, ſed & verè Princeps, *Thuanus*. Res *Britannicæ* à *Camdeno*, *Seldeno*, *Uſſerio*, &c. Res *Germanicæ* à *Goldaſto*, *Piſtorio*, *Meibomiis*, *Puffendorſio*, *Seckendorſio*, &c. Res *Belgicæ* à *Grotio*; aliæ ab aliis collectæ vel ſcriptæ. Mitto innumeras, ſive Urbium, ſive Provinciarum Hiſtorias, ſuis plures meritis conſpicuas. Mitto privatos, ſive Ducum, ſive aliorum inſignium Virorum, de rebus, vel à ſe ipſis, vel ab aliis geſtis, Commentarios. Mitto Codices Diplomaticos, Inſtrumentorum Publicorum tabulas, magno Hiſtoriæ bono publicatas; quibus non ex ſcribentium libidine, non ex amore vel odio, ſed ex certiſſimis documentis, rerum geſtarum veritas adſtruitur. Mitto *Itineraria* quàmplurima, quibus Globi Terraquei ſtatus mirum in modum illuſtratus, imò & viæ novæ ad remotiſſimas gentes detectæ. Mitto denique rem *Nummariam*, ſummo Hiſtoriæ commodo excultam, à *Triſtano*, *Patino*, *Sponio*, *Mediobarbo*, *Vaillantio*, *Begero*, duobusque, quorum alter Genevam, alter Bernam patriam illuſtrat, *Spanhemio* atque *Morellio*.

JURIS *ſtudia promota & illuſtrata.*

Ut verò multa lux Hiſtoriæ, ita & ex Hiſtoria non minor lux JURI acceſſit; Quod, quàm accuratè traditum, quàm copioſè expoſitum, quàm eruditè illuſtratum, hac poſtrema ætate fuerit, dicant, nobis tacentibus, dicant illi Sacerdotes Themidis, quibus tum Geneva noſtra, tum hic ipſe Conſeſſus abundat. De Jure Naturæ & Gentium, quis neſcit eximias *Grotii* & *Puffendorſii* lucubrationes? quibus ſi quid par vel

Digitized by Google

vel ſecundum in tota Vetuſtate reperias, næ oculos habes plus quàm lynceos. De Jure Hebræo *Seldenus*, de Jure Attico *Petitus*, de Jure Romano *Gothofredi* noſtri, quàm eruditè commentati ſint, & quàm eximiæ ſint in primis, quàm Genevæ noſtræ honorificæ, illæ *Jacobi Gothofredi* in *Theodoſii Codicem* vigiliæ, equidem vobis injurius ſim, ſi vel ſuſpicer vos ignorare. Ut jam mittam innumeros alios, à quibus, vel Jus Civile, vel Regnorum Conſuetudines, vel Principum Edicta, vel Pontificum Decreta, edita ſunt aut illuſtrata; vel etiam qui Cauſſis actis, aut Controverſiis definitis, aut Conſiliis circa dubia datis, de Legum ſtudio benè meriti ſunt: Quibus & ille accenſendus, qui perturbatas atque indigeſtas Romani Juris conſtitutiones juxta naturæ ordinem digeſſit.

Theologiæ incrementa.

Verùm, Auditores, quid humana moror, cùm Divina in primis Scientia, illa Scientiarum Princeps Theologia, ex reliquarum incrementis, fructum uberrimum ſit conſecuta? Non quòd Divinis humana miſceri, ac pro temporum diverſitate variam eſſe Fidem conveniat; ſed quòd Divinorum perceptioni multa ſubinde obſtacula noceant, multa contrà ſubſidia deſint, quæ dies felicior referat in melius. Abſit verò, Auditores, abſit, ut magnis illis Viris, ſive Primitivæ Eccleſiæ Patribus, ſive Reformatoribus noſtris, juſtas unquam laudes detrahamus; Quorum pietati, eruditioni, ac pro Chriſto ſuſceptis laboribus, quicunque pretium ponet, nos non ſolùm adſentientes, ſed licitantes experietur. Attamen illud aſſerere auſim, longè plura nobis ſubſidia, plura longè compendia, ad divina tractanda ſuppetere; ſive ob Linguarum peritiam; ſive ob ſacræ Critices uſum; ſive ob ipſam denique ratiocinandi artem ad accuratiores regulas exactam: Unde, ſi magna illa nomina in luminis auras redirent, mirarentur quantùm lucis, poſterorum diligentiâ, dicam an felicitate, rebus ſacris importatum ſit. Enimverò, quantis theſauris ditatæ ſunt, inde à Sæculo, Theologorum Bibliothecæ? Quot editiones Bibliorum, & antiquarum Verſionum, accuratæ atque emendatæ, tum in Polyglottis conjunctæ, tum ſeparatim emiſſæ? Quot Verſiones,

tum latinæ, tum variarum gentium vernaculæ, non à noſtris tantummodò, ſed & ab ipſis Pontificiis, certatim quaſi concinnatæ? Quot Commentarii Critici, infinita eruditione, & exquiſito judicio conſcripti? Quot denique, ſive de Dogmatibus, ſive de Officiis, tractatus, quos ſcripſiſſe (parcant Veterum manes) Veterum neminem pudere debeat. Nomina ſileo, ne odio vel gratiæ, his laudatis, illis omiſſis, quicquam à me datum videatur. Fateor equidem opinionum monſtra nunquam fortè tot exſtitiſſe: Verùm Alcidæ ſimul exorti ſunt, à quibus monſtra illa debellata. Atheïſmus (horreſco referens) ſuos hac ætate habuit Doctores: Verùm Religionis veritas, nunquam tot argumentis, nunquam tot auctoribus, nunquam tanto ſucceſſu, aſſerta. Antichriſtus, quid non tentavit, quas artes non adhibuit, ut errores ſuos tueretur? Certè, nunquam ſubtiliùs controverſiæ agitatæ ſunt; Nunquam tot ἀλεξιφάρμακα, de Eccleſiæ auctoritate, de examinis difficultate, de vocatione Reformatorum, de Euchariſtiæ ſacris, aliiſque ejuſmodi. Verùm nunquam etiam majores triumphi à veritate acti ſunt; Et qui vel unius *Dallæi* in Gallis, *Calixti* in Germanis, *Stillingfleeti* in Anglis, diſputationes ponderabit, vanas fatebitur Sinonis artes, & cauſſæ noſtræ victoriam extra omnem aleam poſitam agnoſcet.

ANTIQUITATES ECCLES. excultæ & illuſtratæ.

Ut ne verò illorum obliti videamur Studiorum, quæ peculiari ratione noſtra ſunt, quàm excultæ poſtremo hoc ævo omnes ECCLESIÆ ANTIQUITATES? Quanta lux Euſebio, aliiſque Hiſtoricis Eccleſiaſticis, à *Scaligero*, *Valeſio*, aliiſque, miniſtrata? Quot Veterum Patrum editiones, anterioribus longè potiores, & eruditiſſimis notis illuſtratæ? Imò quot nova Patrum Scripta, ſive Hiſtorica, ſive Dogmatica, è tenebris educta, & multa quidem luce digniſſima? quæ *Caniſii*, *Sirmondi*, *Cotelerii*, *Labbei*, *Combefiſii*, *Dacherii*, *Baluzii*, *Mabillonii*, aliorumque, diligentiæ ac fidei debentur. Vis totam Eccleſiæ Chriſtianæ Hiſtoriam? Habes *Baronium*, *Bzovium*, *Raynaldum*, ſervos quidem & cauſſæ addictos, ſed ob laborem tamen commendandos, dignóſque lectu, ſi modò accedant fac-

tæ

tæ in illos caſtigationes. Vis Gallicanæ Eccleſiæ Annales? Habes *Sammarthanos*; Habes *Cointium*. Vis Britannicæ Eccleſiæ res geſtas? Habes *Uſſerium*, *Loydium*, *Stillingfleetum*, *Monaſtici* auctores, *Whartonum*, nec non illuſtriſſimum illum *Reformationis Anglicæ* Scriptorem, *Gilbertum Burnetum* dico, Sarisburienſium Antiſtitem, quem, ringente licèt invidiâ, ære perennius monumentum ſtruxiſſe, poſterorum ultimi agnoſcent. Vis Italiam Sacram? Habes *Ughellum*. Vis Siciliam Sacram? Habes *Pirrum*. Vis Belgium Sacrum? Habes *Miræum*: Et ſic de cæteris Eccleſiæ partibus. Quæris Conciliorum Acta? Habes ampliſſimas collectiones; Gallica à *Sirmondo*, Britannica à *Spelmanno*, Hiſpanica ab *Aguirro*, univerſa à *Labbeo* edita. Rursùs, quot Libri ad res Eccleſiaſticas tantùm non manu ducentes? Quot Bibliothecæ inſtructiſſimæ, quibus Auctorum notitia habetur? Quot Lexica, quot Gloſſaria, quibus eorum ſenſus aperitur? Quot eximii Tractatus, de Dogmatibus, de Ritibus, de Regimine, de Diſciplina, quorum ut vel titulos enarrem, eos, nec oratione complecti, nec memoria adſequi valeam? Fucum fecerant Orbi Chriſtiano ementitæ Pontificum Epiſtolæ, aliáque non pauca idgenus Pontificiæ cauſſæ firmamenta: Nunc ſpuriis illis fœtibus tanto ſucceſſu larva detracta eſt, ut jam confitentes reos habeamus. Sibi illudi paſſa fuerat ſuperioris ævi credulitas, fabulis innumeris atque commentis, quibus Eccleſiæ Annales ſcatebant: Nunc illa, ſi non omnia, certè pleraque, exploſa videmus, & ab emunctioris naſi Criticis in fumum abire juſſa. Denique, ne in immenſum Orationem vagari ſinamus, quanti æſtimatis pretii, quæ de Tridentinis arcanis, & *Paulus Sarpius*, & *Puteanus*, & ille nuper editus *Vargas*, in vulgus emisêre? Quibus ſi paria multa exſtarent, ô quàm perfectior eſſet atque utilior Eccleſiæ Hiſtoria!

Cæterùm, Auditores, ne quicquam deeſſet, quô Literarum incrementis noviſſimum Sæculum faveret, quot cenſetis Muſarum Sacraria, quot Bibliothecarum penus, vel conditas hoc tempore, vel non leviter adauctas fuiſſe? Referam- *Bibliothecæ auctæ vel fundatæ.*

ram-ne *Pariſinas*? *Regiam*, non levi acceſſione ditatam; *Thuanam*, *Richeliam*, *Mazarinam*, *Colbertinam*, *Tellerianam*, alias magno numero erectas? Dicam-ne *Italicas*? *Vaticanam Palatina* auctam, *Mediolanenſem Pinelliana* locupletatam, *Mediceam*, aliaſque, quibus non pauca acceſsêre? Enarrem-ne *Vindobonenſem*? quæ, ſi non nata, certè é ſitu & ſquallore in lucem protracta? Pergam-ne ad *Belgicas*, potiſſimùm *Lugdunenſem*, Voſſianis opibus nuper ampliatam? Excurram-ne ad *Britannicas*? *Bodleïanam* omnium principem, quam, & Comes Pembrockienſis, & Arch. Laudius, & Johannes Seldenus, ſuis adjectis non parùm auxêre; *Cottonianam*, generosè nuper Anglicano Populo donatam; & illam quam hodiernus Cantuarienſis Præſul, *Thomas Teniſonius*, pro eximia ſua pietate, difficillimis temporibus, in Cleri gratiam, publicam fecit? Denique, ut cæteras mittam, non per totam modò Europam, ſed & in Orbe Novo exſtructas? Commemorémne Helveticas, *Baſileenſem Amerbachiana* auctam, *Tigurinam* ac *Bernenſem*, piâ Fratrum curâ inſtauratas? Quorum ſi & nos veſtigia preſſimus, ſi BIBLIOTHECÆ GENEVENSI novum quaſi ortum dedimus, ſi eam in loco amœniſſimo atque amiciſſimo Muſis collocavimus, ſi, tum Libris editis, tum Manuſcriptis Codicibus, tum Iconibus, tum Numiſmatibus, tum exquiſita ſupellectile, plus aucta eſt uno hoc anno quàm per centum annos fuerat, ſi denique ita ordinata, ita Legibus conſtituta eſt, ut brevi *, felicibus auſpiciis, publici juris ſit facienda, fecit Ampliſſimi Senatûs, fecit plurimorum ex Patribus Conſcriptis, fecit plurimorum ex Paſtoribus atque Profeſſoribus, fecit aliorum Virorum præſtantium, tum Hoſpitum, tum Civium, nunquam ſatis prædicanda, nunquam ſatis Poſterorum memoriæ commendanda munificentia.

VERUM, ut ad rem redeamus, ex dictis abundè conſtat, AUDITO-

* BIBLIOTHECÆ GENEVENSIS fores die 14. Auguſti anni currentis MDCCIII. aperiri cœperunt; Deincepſque, magnâ virorum doctorum ac ſtudioſæ juventutis frequentiâ, ſingulis Martis diebus patere ſolent.

ditores, quanta incrementa, quanti progreſſus, univerſæ rei literariæ, elapsô nuper Sæculô, acceſſerint. Unde, quod de ſua ætate prædicabat *Quintilianus*, „nullam forte naſcendi „feliciorem ætatem fuiſſe, quæ tot præceptoribus, tot exemplis „inſtructa eſſet, & cui inſtruendæ priores elaboraverant;„ de his noſtris temporibus potiori jure dici videatur. At verò, ut initio monui, quæ tam feliciter creverant Scientiæ, ne illæ jam *in pejus ruant*, & *ſublapſæ retrò referantur*, non leves ſunt metuendi cauſſæ. Neque verò Apollinis tripodem, neque cornicem ab ilice, id portendere neceſſe eſt. Ipſa clamat experientia, torpore quodam affici ingenia, jacere Literas humaniores, neminem ad Scaligeros, Grotios, Salmaſios, ne longo quidem intervallo, accedere; frigeſcere Philoſophiæ ſtudia; Hiſtoriæ lumen obſcurari; nihil ferè inveniri ex his quæ parùm inveſtigata Antiqui reliquerant, & multa fortè jam inventa oblitterari; denique, ſi paucos excipias per Europam diſperſos Doctos, qui ſunt velut *rari nantes in gurgite vaſto*, reliquos, qui non tam Doctrinam quam Doctrinæ ſpeciem præ ſe ferunt, nihil novi, nihil excelſi, nihil generoſi in lucem protrahere: Quæ quidem mala in deterius quotidie abitura, ſi ex conjecturis judicium fiat, deprehendi liquidò ſatis videtur. Unde verò illud, Auditores? Age, cauſſas inveſtigemus; ut deinde, quantùm in nobis erit, iis removendis operam demus.

Quintil. Inſtit. Lib. XI. cap. 11.

Hodierna Literarum pericula.

Initio, quàm aliena ſint à Literarum ſtudiis ingenia, iſtâ, quâ vivimus, ætate, cæcus eſt qui non videat. Etenim, & pauci iis ſe dedunt; & qui eas profitentur, eorum pauciſſimi ad veræ ac ſolidæ Eruditionis laudem aſſurgunt. *Ad ſapientiam quis accedit?* (de ſuis æqualibus aiebat Seneca) *Quis dignam judicat, niſi quam in tranſitu noverit? Quis Philoſophiam, aut ullum liberale ſtudium reſpicit? Torpent ecce ingenia deſidioſæ juventutis, nec in ullius honeſtæ rei labore vigilatur:* Quæ quidem querelæ, ſi in Senecæ tempora, nihilo ſeciùs in noſtra cadunt. Enimverò, quicunque ad præſentem rerum ſtatum oculos convertet, pleroſque intelliget aliò longè, quàm ad Literas, ſtudia conferre. Nobiles bellum, venatio-

Literarum Studia neglecta.

Senec. Nat. Quæſt. Lib. VII. cap. 32.
Id. Controv Lib. I. præf.

O 3 nem,

nem, ludos, nihil aliud in votis habent. Alii mercaturam; utpote certam ad quæſtum viam. Omnes lucrum, vel gloriolam, vel inanem oblectationem; Nemo literas. Quid, ait ille, num ego natos, quibus genus à proavis ingens, ſcholaſtico pulvere pollui patiar? Linquant iſta infimæ ſorti, & digniora ortu moliantur. Quid, ait alter, quid juvabit filium in Literis juventutem terere? Diſcat potiùs, diſcat quæ ſint uſui; Diſcat aſſem in partes diducere;

Horat. de Arte Poët.

ſi de quincunce remota eſt
Uncia, quid ſupereſt? poteras dixiſſe; triens. Eu,
Rem poteris ſervare tuam.

Tolerari verò quodammodo iſta Literatorum paucitas poſſet, ſi illi ſaltem, qui dant nomen Literis, magnum opus non minori animo urgerent. At quanto aliter res cadere cernimus? Quanta pars, vel victum parare, vel popularis auræ fumum colligere, vel negotiis, tum domeſticis, tum civilibus implicari, vel denique mollem quandam atque ignavam vitam ducere, unicè ſibi proponit; de Literis promovendis atque ampliandis ne cogitat quidem? *Pueri in Scholis ludunt*, dicat Petronius ſi reviviſceret; Adoleſcentes oſcitanter, quæ ſibi traduntur, excipiunt; Mox, *cruda adhuc ſtudia* in concionem vel *forum propellunt*; *Quodque* pejus eſt ac *turpius*, *quæ perperàm didicêre*, *in ſenectute nolunt confiteri.* O quàm diverſi animorum motus, quô tempore renatæ ſunt Literæ, imò & toto, & quod excurrit, præteriti Sæculi dimidio! O quàm vividior ad ſumma impetus in Literarum cultoribus erat! ſeu pretium rei novitas adderet, ſeu quadam temporum felicitate, ſive potiùs arcano quodam Providentiæ conſilio, ut ſuſcitatæ & excultæ Literæ Sacris inſtaurandis famularentur. Nunc ille ingenii ardor deferbuit, & ſomno quodam mentes occupantur. Quod cùm ita ſit, quid mirum, ſi non modò non creſcant, ſed & in deterius prolabantur Scientiæ?

Petron. Satyr. init.

Studiis nocent Bella;

Neque tamen ex mera deſidia, ex mera vulgi cæcitate, iſte Literarum neglectus procedit: Huc multùm etiam præſens Orbis ſtatus, multùm hodierni mores conferunt. Etenim quanto jam tempore, *ſævit*

ſævit toto Mars impius orbe? Virg.

Quanto tempore, vel nulla prorsùs, vel breviſſima Pacis intervalla? quam, inde ab annis fermè ſexaginta, neque Pactum Monaſterienſe, neque Pactum ad Pyrenæos, neque Aquisgranenſe, neque Noviomagenſe, nec denique Ryſwicenſe, niſi infirmam admodùm, ac momentaneam, reducere potuit. Unde, non libros, ſed arma tractare, non auditoria, ſed caſtra ſequi, non placidis Muſarum concentibus, ſed claſſico truci excitari, maxima Europæ pars neceſſe habuit. Et ſicubi pax adhuc viget, (quod raro Cœli munere, per totum Sæculum nobis conceſſum eſt) quis non videt, luxu temporum, & molliori vivendi genere, & importuno ſalutandi ac reſalutandi labore, multùm temporis ſtudiis detrahi? Quæ avocamenta cùm rariora parentum ævo eſſent, hinc plus otii Literis dabatur, & majores progreſſus fiebant. *& mores hodierni.*

Verùm, ut in cauſſæ arcem invadamus, cur Literæ parùm excolantur, hæc eſt non levis ratio, Auditores; Nimirùm præmii defectus, Mæcenatum inopia, & illa quæ jam pridem *bonæ mentis eſt ſoror paupertas.* Reliquæ artes, vel ad dignitatem, vel ad opes, comparatæ ſunt: Literæ ubique fermè in ſquallore & contemptu jacent. *Mæcenatum inopia.*

Qui credit pelago, magno ſe fœnore tollit:
Qui pugnas & caſtra petit, præcingitur auro:
Vilis adulator picto jacet ebrius oſtro.
Sola pruinoſis jacet alma Scientia *pannis,*
Atque inopi lingua deſertas invocat artes. Petron. Satyric.

Attamen, quis ignorat, honorem ac præmia *artes alere;* Contrà, jacere ac deſeri, quæ his ſubſidiis deſtituuntur? Rursùs, ut carmina, ſic & ſtudia quævis, *animo deduci ſereno* oportet; Quæ ſerenitas cum fortunæ anguſtiis vix ac ne vix quidem conſiſtit: Cicer. Tuſc. Quæ. Lib. I. Ovid.

Magnæ mentis opus, nec de lodice paranda
Attonitæ. Juvenal.

Et quis neſcit, *res domi anguſtæ* quantoperè mentem dejiciant, ejus impetum frangant, &, ne ad magna aſſurgat, obſtent?

Æru-

Horat. de Arte Poët.

Ærugo & cura peculî
Cùm ſemel imbuerit, ſperamus carmina fingi
Poſſe linenda cedro, ac levi ſervanda cupreſſo?

Et unde, quæſo, libros parabit, unde præceptores nanciſcetur, unde peregrinationes inſtituet, unde commercia literaria per totum terrarum orbem extendet, cui, vel nulla omninò, vel ſpes exigua mercedis erit? Et, ſi Naturæ penetralia experimentis ſcrutanda ſint, quanto cenſetis iſta conſtare? Ita ut, niſi amplæ contigerint Philoſophis facultates, quas experimentis generosè impendant, quæ laus fuit Illuſtriſſimi *Boylii*, vel niſi Principum munificentiâ ſumptibus illis provideatur, quæ ſumma eſt Galliæ felicitas, in retegendis naturæ arcanis ne hilum quidem promoveri poſſit. Enimverò, quid inter Græcos tantam Oratorum, Poëtarum, ac Philoſophorum copiam peperit, niſi quòd ſumma, tum in Civitatibus, tum apud Principes, pollerent gratia? Et apud Romanos, Ciceronis ævo, quid Eloquentiæ vires acuebat, niſi quòd, ut ipſe teſtatur, *maxima, vel ad gratiam, vel ad opes, vel ad dignitatem, ipſi* eſſent *propoſita præmia?* Quibus præmiis poſtea ceſſantibus, ceſſare etiam cœpit induſtria; *translatúmque*, Seneca teſte, *omne certamen ad turpia, multo honore quæſtúque vigentia.* Et quo tempore Literarum ſtudia in Occidente redintegrata ſunt, quantum cenſetis, tum *Franciſci I.* tum aliorum Principum virorum, munificentiæ momentum fuiſſe? Et proxima denique ætate, quis credat tanta, tum in Philoſophicis, tum in Mathematicis, tum in aliis Diſciplinis, vel invenienda, vel augenda fuiſſe, niſi Mæcenas non unus conatibus illis faviſſet? Nunc, quàm rari illi Mæcenates? Quàm parca Doctorum præmia? imò in multis locis quàm nulla? Nunc, totum in armis pretium; Illa ſola nobilitant, ſola ditant, ſola promovent; Neque ampliùs *arma togæ*, ſed *toga armis* concedere cogitur. Et, ſi quæ ſint, tum in Eccleſiis, tum in Academiis, tum in Aulis, decernenda munia, illa utplurimùm, non eruditioni, non ingenio, non meritis, ſed gratiæ, ſed favitoribus, ſed impudentiæ, ſæpe conceduntur. Quamobrem, ſi quis Sæculum incuſet, quòd tam

Cicer. de Orat. Lib. I.

Senec. Controv. Lib. I. præf.

Digitized by Google

tam pauca bonæ frugis proferat, reſponſum ferat idem quod amico Latini ſalis arbiter dedit:

Martial. Lib. I. Epi. 108.

Sæpe mihi dicis, Luci clariſſime Juli,
Scribe aliquid magnum, deſidioſus homo es.
Otia da nobis, ſed qualia fecerat olim
Mæcenas Flacco, Virgilióque ſuo.
Condere victuras tentem per ſæcula chartas,
Et nomen flammis eripuiſſe meum.
In ſteriles campos nolunt juga ferre juvenci;
Pingue ſolum laſſat, ſed juvat ipſe labor.

Verùm, Auditores, præter magnam illam Literaturæ degeneris cauſſam, aliæ etiam non leves occurrunt, & quarum culpa præcipua in ipſos Literarum cultores recidit. Sic, quis neſcit, nullum utplurimùm ingeniorum delectum fieri, ſed, vel cæco parentum arbitrio, vel mera juvenum temeritate, vel caſu quodam ac fortuna, Diſciplinas ſuſcipi? Unde ii ſæpe literis incumbunt, qui planè inepti ſunt; Et qui certis ſtudiis eſſent apti, ad alia admoventur: Quod quidem quantùm, & Literatis, & Literarum augmento noceat, prædicari ſatis non poteſt. Sic quis ferat; tantùm temporis, in addiſcendis Linguis, imò vel leviſſimè addiſcendis, teri? Quæ quidem utiles ac neceſſariæ, ut ad notitiam rerum accedamus; ſed profectò tanti non ſunt, ut maximam juxta ac optimam juventutis partem abſumant. Etenim, non hæc eſt ſcientia, ſed ſcientiæ tantùm ὄργανον & clavis: Ecquid verò inſanius, quàm inſtrumentis ita ſe tradere, ut ea, quorum ſunt inſtrumenta, adipiſci non valeas? Ecquid ſtultius, quàm vividiorem ac ſaniorem ævi partem ita clavibus comparandis impendere, ut ad recludendam arcam, expromendóſque theſauros, non vacet? Quantò meliùs, & Studioſis, & Studiis conſuleretur, ſi iſta compendio fierent; ſi multa lectione, multa ſcriptione, multa omne genus exercitatione, intra breve temporis ſpatium memoriæ mandarentur Linguæ; ad eundem ferè modum, quô Linguæ etiamnum ſuperſtites, exercitationis ope, brevi tempore vulgò addiſcuntur; ſicque ad rerum ipſarum notitiam promptior juvenibus

Nullus ingeniorum delectus.

Nimium tempus in addiſcendis Linguis teritur.

Multitudine Librorum obruimur.

aditus pateret? Rursùs, quis non animadvertat, nos, Librorum recentium farragine, non fatigari modò, ſed obrui? quorum plerique meri exſcriptores, exſangues oppidò atque exſucci; In quibus tamen evolvendis inops conſilii Juventus deſudat, ſicque temporis uſuram melioribus impendendam abſumit. Ad hæc, quem latet unum ex primariis Sæculi noſtri vitiis eſſe, quòd pluribus operam demus, plura amplectamur, quàm par ſit? Etenim qui Eruditi hac ætate videri ſtudent, omnes in ſe Diſciplinas, laudes omnes, congerere volunt; Quærunt, & Philoſophi, & Philologi, & Hiſtorici, & Theologi, & Oratores, & Politici, & quid non, haberi; aliquid ergo ex omnibus illis Diſciplinis delibant: Verùm, quis tot rebus par eſſet? Et quid mirum, ſi mentis ſenſus, inter tot tantáque ſtudia diviſus, ad ſingula ferè nullus ſit? O quantò rectiùs Majores noſtri, gnari *non omnia nos omnes poſſe*, uni ſeſe Diſciplinæ dabant, ſicque illam & faciliùs & pleniùs complectebantur! Sed nec illud omittendum eſt, (quidni enim liberè dicamus, præeunte potiſſimùm Synedrii noſtri judicio?) nimiâ Concionum ſacrarum frequentiâ in Eccleſiis noſtris peccari: Quæ ſi aliquanto ratiores eſſent, neque ullum inde detrimentum Divinus Cultus acciperet, utpote qui in oratione & Scripturæ Sacræ lectione potiſſimùm ſitus eſt; neque omnes Sacrorum Interpretes huic uni arti exercendæ, ſæpe invitâ Minervâ, ſe dederent, ſed, aliis ſuſceptis laboribus, Religioni & Eruditioni promovendæ poſſent incumbere.

Literati pluribus operam dant, quam par eſſet.

Nimia Concionum Sacrarum frequentia.

Quid verò dicam, AUDITORES, de duobus graviſſimis morbis, ſibi quidem mutuò contrariis, ſed quorum uterque immane quantùm rei literariæ augmento nocet? Etenim, quô convenientiori quàm morborum nomine appellem, tum illud novarum rerum ſtudium, quô multi abripiuntur, tum ex adverſo effuſam illam antiquitatis reverentiam, quâ maxima pars conſtringitur? Nam, ut de illis primùm dicamus, quos novarum rerum ſtudium tenet, quibus *diruere*, *ædificare*, *quadrata rotundis mutare*, unica ferè voluptas eſt, quid, non dicam, viro ſapiente, ſed capite ſano, indignius? Ecquæ enim laus eſſe poteſt,

Nimium, vel Novitatis, vel Antiquitatis ſtudium.

Digitized by Google

poteſt, benè poſitum lapidem movere? Ecquæ ſapientia, à Majorum veſtigiis atque inſtitutis recedere, ſi recto illi tramite præceſſerint? Et quàm inſana ambitio, nolle cuiquam aſſentiri, aliorum famam ac placita nullo fructu labefactare, ac tum demùm tibi placere, ſi illa proferre potes, quæ ante te nemo dixerit? Quæ tamen inſania ferri quodammodo, atque excuſari poſſet, ſi in humanis pedem figeret: Verùm illa in res divinas nefario auſu perrumpit; Et, tum in convellendis Religionis fundamentis, tum in Scriptura, non ad certas regulas, ſed ad libitum exponenda, tum in rimandis illis myſteriis, quæ humanum captum ſuperant, tum in fingendis Spiritûs impulſibus, tum in damnando Divino Cultu, tum in ſcindenda Eccleſiæ concordia, nihil non licentiæ ſibi permittit. Quo quidem ex fonte, quot impietates, quot malè ſana dogmata, quot expoſitiones Scripturæ precariæ, penè dixerim ridiculæ, quot denique Enthuſiaſtarum ac Fanaticorum familiæ poſtremis his annis pullulârint, triſti experimento plus ſatis conſtat.

At verò ſi intempeſtivo novitatis amore peccetur, non minùs etiam immoderata Antiquitatis reverentia ab indagando vero abducit. Ac re verâ, qui illud ſemel apud ſe conſtituerit, nihil detegendum, nihil emendandum, à Veteribus relictum eſſe, ne latum quidem unguem ab eorum placitis recedi poſſe; antiqua omnia, quia antiqua, recipienda, nova omnia, quia nova, rejicienda, qui id, inquam, apud ſe ſtatuerit, (ſtatuere autem plurimos videmus) quid ab eo boni expectes? Nunquam judicabit; ſemper credet. Nihil ad veritatis, nihil ad rationis trutinam expendet. Pecudum ritu, ſequetur antecedentium gregem; Nec quà eundum eſt, perget, ſed quà itur. (Senec. de vit. beat. cap. 1.) Quæ ſi ſententia animis ſediſſet, neque miſsâ glande pane uti, neque poſitâ morum feritate in humana ſtudia miteſcere, neque ejurato Idolorum cultu Chriſtianiſmum amplecti, neque damnatis Papatûs erroribus Reformationem admittere, Majoribus noſtris unquam licuiſſet. Fateor equidem, Auditores, magnam iis qui anteceſſerunt, imò maximam laudem deberi;

Neque ego illis detrahere auſim

Horat. Satyr. Lib. I. Sat. 10.

Hærentem capiti multa cum laude coronam.

Verùm, etſi multum fecerunt, non ideò tamen perfecêre; Nec, ſi penes illos inventionis gloria, nobis idcircò inventis addendi, vel emendandi, jus negabitur. Fuerint illi oculatiores; At plures oculi acutiùs cernunt. Vicerint doctrinæ pondere; At vel minimum granulum ponderi additum lancem deprimit. Gigantes ſint, nos pumiliones; At pumilio giganti impoſitus ipſo gigante longiùs videt. „Magni ſanè animi res fuit, (liceat Senecæ verba uſurpare) „rerum naturæ latebras dimovere; nec „contentum exteriori ejus conſpectu, introſpicere, & in Dei „quaſi ſecreta deſcendere. Verùm nulla res conſummata eſt, „dum incipit. Ad inquiſitionem tantorum ætas una non ſufficit. Et Natura arcana ſua ita reducta & clauſa habet, ut, „cùm multùm actum fuerit, in eo tamen omnis ætas, quod agat, „ſit inventura.„ *Sum ex iis qui mirer Antiquos*, aiebat eximius ille optimi Principis laudator Plinius; *Non tamen*, *ut quidam*, addit, *temporum noſtrorum ingenia deſpicio. Neque enim quaſi laſſa & effœta natura*, *ut nihil jam laudabile pariat.* Et, *ſi hanc cogitationem homines habuiſſent*, *ut nemo ſe meliorem fore*, *eo qui optimus fuiſſet*, *arbitraretur*, *ii ipſi*, *qui ſunt optimi*, *non fuiſſent*, ut ſcitè arguit Quintilianus. Verùm, quid accidit Doctorum vulgo? Nempe, ad quamcunque opinionem fuerint *quaſi tempeſtate delati*, *ad eam tanquam ad ſaxum adhæreſcunt*; Eam mordicùs retinent, neque unquam volunt ſibi excidere;

Senec. Nat. Quæſt. Lib. VI. cap. 5. & Lib. VII. cap. 25. & 31.

Plin. Epiſt. Lib. VI. Epiſt. 21.

Quintil. Inſtit. Lib. XII. cap. 11.

Cicer. Acad. Quæſt. 4.

Horat. Epiſt. Lib. II. Epiſt. I.

Vel quia nil rectum, *niſi quod placuit ſibi*, *ducunt*;
Vel quia turpe putant parere minoribus, *& quæ*
Imberbes didicêre, *ſenes perdenda fateri.*

Quocirca, dum *Antiquos*, *Antiquos*, ad ravim uſque clamitant, illud non tam Antiquorum amori, quàm livido in Juniores denti, ſæpe acceptum ferendum eſt;

Horat. ibid.

Ingeniis non ille favet, *plauditque ſepultis*;
Noſtra ſed impugnat, *nos noſtraque lividus odit.*

O quantò ſatius foret, AUDITORES, quantò æquius, quantò ſapientius, quantò Reipublicæ Literariæ rationibus conducibilius, in veritatem unicè inquirere, rectè monentibus facilè cedere,

dere,

Digitized by Google

dere, ſemper diſcentes ſeneſcere, denique aureum illud Senecæ animo penitùs infixum habere: *Non eſt levitas*, inquit, *à cognito & damnato errore diſcedere; Et ingenuè fatendum eſt, aliud putavi, deceptus ſum. Hæc verò ſuperbæ ſtultitiæ perſeverantia eſt, Quod ſemel dixi, qualecunque eſt, fixum ratumque ſit.* Senec. de Benef. Lib. IV. cap. 38.

Verùm, Auditores, ſi præconceptæ animis opiniones Literis augendis tantoperè noceant, quantò magis nocere cenſetis illam omnis æquitatis ac bonæ mentis inimicam Tyrannidem, quâ paſſim animos conſtringi videmus. Odia, dico, ſuſpiciones, imò carceres, exſilia, ſupplicia, & ſi quæ ſunt his tetriora, quibus vis animis infertur, atque omnis veri indagandi ac proponendi libertas perit. *Tyrannis, odia, ſuſpiciones, imò ſupplicia.* Favorinum Philoſophum referunt, cùm ab Hadriano Imperatore ob vocabulum quoddam immeritò reprehenſus eſſet, arguenti autem ceſſiſſet, demirantibus amicis qui ſe tam facilem ac morigerum iniquæ Hadriani cenſuræ præberet, id reſponſi dediſſe, *Et quomodo ego illum doctiorem omnibus non crederem, cui triginta ſunt Legiones?* Spartian. in vit. Hadriani. O vocem argutam! ſed & his temporibus, huic quæ obtinet ſervituti appoſitam! Ecquis enim muſſitare auſit, dum illi qui ratione non valent, auctoritate, coactione, carceribus, exſiliis, Legionibus denique, litem dirimunt? Neque verò priſca hoc loco revocare exempla mens eſt: Nullum non ævum, Auditores, nullum non cœlum ſat multa profert, ut pateat Literarum regno (in pleriſque ſaltem locis) ne umbram quidem libertatis ineſſe. Evolvit Patrum ſcripta vir doctus, &, quid de quoque capite ſenſerint, æquo animo ac veritatis amanti inquirit: Mox, quæ legenti obverſata ſunt, de Libris Canonicis, de Veterum Patrum erroribus, de Conciliorum infelici exitu, de Purgatorio, de Imaginibus, de Papali ſupercilio, aliiſque, calamo mandat. Quid præmii? Expenditur, damnatur, proſcribitur Liber; Eademque ſors auctorem maneret, niſi ad Cenſuræ ſubſcribendum, ac recantandum, adductus eſſet. Et quis neſcit, quàm *verboſa* nuper *& grandis epiſtola venerit*, non *à Capreis*, ſed Roma, quâ, *non ampliùs Legibus ac ſanctionibus*, *ſed gravium potiùs adhibitione pœnarum* (hæc enim ſunt ipſiſſima ver-

ba) Janſeniſticæ hæreſeos reliquiæ *exterminandæ* pronuntiantur? Et unde fieri exiſtimatis, ut tot tantæque Europæ gentes, quibus tamen nec cœlum inclemens, neque noverca eſt natura, nihil ferè bonæ frugis ad Literarum augmentum proferant, niſi *Inquiſitionis Tribunal.* quòd immane illud *Inquiſitionis* tribunal, vel Inquiſitionis æmulæ Leges, omnem planè ingenii vim, omnem induſtriæ conatum frangant? Contrà, unde fit, ut non alibi plura ingenii monumenta exſtent, quàm in borealibus quibuſdam regionibus, niſi quòd ibi majori, tum corpora, tum ingenia, libertate utantur? Etenim, quis Literas promoveat, quis veritati quærendæ incumbat, quis inventam publicare auſit, dum pro laudibus convitia, pro commendatione dedecus, pro mercede pœnas ac ſupplicia, ſuis laboribus parata videt, ſi vel cantillùm Q. Curt. Lib. III. à calcato tramite recedere ſuſtinuerit? Et *quis erit qui ſuadeat*, ut ſcitè Darius apud Curtium, *ſi ſuaſiſſe periculum erit?*

Porrò, AUDITORES, (ut aliam rursùs, eamque non mi- *Futilia Scientiarum.* nimam, Studiorum remoram notemus) quot vanis, quot futilibus quæſtionum ineptiis occupantur Scientiæ? quarum loco, ſi nonniſi in bonis atque utilibus labor poneretur, immane quanta, tum ad vitæ uſus, tum ad Scientiarum fines proferendos, Aul. Gell. Noct. Attic. Lib. XIV. cap. 6. acceſſio fieret. Dum Noctes Atticas conſcriberet *Gellius*, quidam ipſi familiaris, in literarum cultu non ignobilis, ipſum adiit, & *adjutum*, inquit, *ornatumque volo ire noctes tuas;* Simulque dat ipſi Librum, grandi volumine, doctrinîſque omnigenis, ut ipſe dicebat, præſcatentem; ut ex eo ſumeret, quantum liberet, rerum memoria dignarum. Accipit ergo cupidus ac libens, tanquam ſi copiæ cornu nactus eſſet, & recondit ſe penitùs, ut ſine arbitris legat. At quid ibi reperit? proh Jupiter, mera miracula! & quo nomine primus Grammaticus appellatus eſſet, & quot fuiſſent Pythagoræ, quot Hippocratæ, & de Achillis chypeo, & de Telemachi pedis ictu, & alia multa idgenus; Quæ cùm properans perluſtraſſet Gellius, *ὄναιό σε*, inquit, ô doctiſſime virorum, *ταύτης τῆς πολυμαθίας*, & librum hunc opulentiſſimum recipe, nihil ad noſtras paupertinas literas congruentem, quibus hoc unum nobis cordi eſt

ὅτι

ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται. Pariter graviſſimè increpat *Seneca* Didymum illum Grammaticum, qui quatuor Librorum millia de rebus hujus furfuris ſcripſerat, quæ, ut ſcitè Philoſophus, *dediſcenda erant, ſi ſcires.* O quàm multa, Auditores, quàm multa ejuſdem generis in hodiernis Diſciplinis extant, quæ, ſi & tempori parcere, & ingeniis conſulere velis, ſecuribus ſunt recidenda! Quid inutilius (quidni enim dicam?) maxima Logicæ vulgaris parte? Quid vanius quæſtionibus innumeris, Scholaſticis ac Metaphyſicis, quibus ſeſe exercent Docti? Quot de vocibus contentiones? Quot de rebus nihili diſſidia? Imò, quàm multa de rebus Divinis, & captum noſtrum excedentibus, à Sacrorum Myſtis agitantur, quæ, vel penitùs omitti, vel parciùs attingi deceret? Philologi verò & Critici, quibus ineptiis, bone Deus, eruditionis laudem affectant? dum ſyllabas aucupantur, dum in literulæ adjectione vel emendatione totos dies ſudant, dum magno apparatu, atque infinita locorum mole, res caſſa nuce viliores expendunt, dum non modò quod clari Auctores, ſed *quod quis unquam vel contemptiſſimorum hominum dixerit*, obſcurâ diligentiâ perſequuntur; Quod quidem, *aut nimiæ miſeriæ, aut inanis jactantiæ* eſſe, & *detinere ingenia atque obruere, meliùs aliis vacatura*, ſcitè docet Quintilianus. Dignos omnes, quorum auribus illud ſubinde occinatur,

Senec. Epiſt. 88.

Quint. Inſtit. Orat. Lib. I. cap. 9.

Turpe eſt difficiles habere nugas,
Et ſtultus labor eſt ineptiarum.

Martial. Lib. II. Epig. 86.

Denique, Auditores, (ut ne illam ſileam fundi noſtri calamitatem, quam primo loco notari decuit) quis non videt, ex eorum moribus, qui Literas profitentur, ex eorum ingenio & factis, quantum dedecus, quanta pernicies, in Literas ipſas redundet? Etenim, quanta eorum pars magnifica loquitur, indigna agit; & affectuum impotentiâ, in Studiorum curriculo, ſibi ipſi obices ponit? Crederes Liberalium Artium diſciplinam ad emolliendos mores valere: Nihil ruſticius Doctorum vulgo. Exiſtimares eas literas, quæ ab Humanitate nomen ſortiuntur, humanitatem, candorem, manſuetudinem ingenerare:

Literarum vitia non parùm Literis nocent.

Digitized by Google

re: Nihil iracundius, nihil iniquius, nihil acerbius iſto hominum ordine. Diceres propriæ tenuitatis ſenſum, quô non poteſt non affici qui vel tantillùm res explorârit, omne ſupercilium, ſuperbiam omnem depreſſurum: nihil tumentius, nihil ſuperbius iſtis hominibus; *Me-ne incepto deſiſtere victum?* Virgil. Me-ne iſti herbam porrigere? O antequam id contingat, priùs ima dehiſcat tellus, *& ſi nequeo ſuperos, acheronta movebo.* Aſſereres, ex Veterum dicto, ἀφθόνους εἶναι τῶν μουσῶν θύρας, *à Muſarum foribus invidiam abeſſe*: Erras; Horat. *Atræ ſuccus loliginis, ærugo mera*, illic pernoctat. Jurares, Gratias dextris implexas, & Palladis olea redimitas, nil niſi concordiam ac pacem ſpirare: Falleris; nil niſi odia, convitia, ſuſpiciones, de minimis rebus diſſidia, bella pluſquàm civilia, ac nunquam intermoritura, inter Literarum cultores occurrit. Quæ quidem peſtes dum graſſari pergent, quid niſi majorem indies Literarum contemptum ac detrimentum portendere liceat?

CONCLUSIO. UTINAM verò, AUDITORES, (ut vela tandem Orationis contraham) Utinam, quàm facilè ad malorum fontes digitum intendimus, tam facilè medicam iis adhibere manum liceret! Verùmtamen, ſi hæc pro voto emendare non valeamus, nolimus curam omnem abjicere. Quin potiùs tentemus omnes, quicquid in noſtra eſt poteſtate ſitum, ut venienti malo obſiſtamus: Et, ſi barbaries reliqua invadat, ut hinc exſulet ſaltem operam demus. Sic Sacris cautum ibimus, quæ, Literarum lumine exſtincto, periclitari neceſſe eſt. Sic Reipublicæ conſulemus, quæ, nec à periculis arceri, neque ritè adminiſtrari, niſi Literarum auxilio, non valet. Sic innumera vitæ commoda, dulciſſimum mentis ſolatium, qui literarum ſunt fructus, nobis poſteriſque aſſeremus. Erunt, erunt fortaſſe tempora, iſtis quæ vivimus feliciora; quibus ingenia excitentur, Mæcenates oriantur, belli portæ claudantur, pacis artes renoventur, Scientiæ expurgentur, Literati ipſi emendentur, ſicque Liberalia ſtudia, non ab interitu modò vindicentur, ſed & ulteriùs longè, quàm huc uſque factum, proferantur. Quo in opere, ſi his noſtris monitis vel tantillùm profuerimus, ſi functi ſimus ſaltem

vice

vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet, exſors ipſa ſecandi, Horat. de Arte Poët.
erit profectò aliquid cauſſæ, Humanissimi Auditores, cur nobis gratulemur, vos faveatis. Dixi.

Moris eſt, in Academiæ Genevensis *Solennibus, ut, antequàm dimittatur Cœtus, Rector ſingulis Ordinibus, Academiæ nomine, gratias agat. Cùm igitur, in Oratione, de Literarum ſtudiis, & Bibliothecæ Publicæ inſtauratione actum eſſet, quædam iterùm, hoc de argumento, tum apud Proceres Ampliſſimos, tum apud Venerabiles Patres, adjungere viſum eſt; Quæ quidem (cæteris omiſſis, quæ ad alios Ordines ſpectabant) in rei memoriam hìc apponemus.*

Ad vos tandem, Proceres Amplissimi, ad Vos accedunt Muſæ noſtræ, pro innumeris veſtris in ſe collatis beneficiis, gratias, non quas debent, ſed quas poſſunt maximas, acturæ. Iis animum veſtris præmiis, iis decus veſtrâ præſentiâ, iis fiduciam ac ſecuritatem, veſtris vigiliis, veſtrâ ſapientiâ, additis. Illa vetera; Hoc verò recens, neque hac ſolenni luce omittendum, quòd novum illud Muſarum ſacrarium, hoc anno dedicatum, ampla illa, ſed & indies amplianda Librorum penus, veſtro patrocinio, munificentiæ veſtræ, potiſſimùm debeatur. Cujus meriti ne memoria pereat, & illud hoc loco prædicandum duximus, & poſitæ ad hoc tabulæ cavebunt. Pergite porrò, Viri Amplissimi, pergite, ut facitis, rem literariam tueri ac ornare; Idque apud Vos conſtituite, nec Sacrorum reverentiam, nec Judiciorum æquitatem, nec corporum medelam, nec animorum ſanitatem, nec Civitatis decus, nec dulciſſima vitæ ſolatia, ſine Literis conſtare poſſe. Quæ beneficia dum ex veſtri regiminis ſapientia procedent, illa gratâ mente agnoſcemus, nunquam non prædicabimus, utque diuturna ſint, vos ſoſpites ac feliciſſimi, calidiſſimis votis contendemus.

Sed neque Vos, Viri Reverendi, Eccleſiæ noſtræ &

Digitized by Google

Academiæ ſplendidiſſima lumina, ſine gratiarum actione dimittere, officii noſtri ratio patitur. Vos quippe Scholæ noſtræ curam tam benignè ſuſcipitis, ejus commodis tam feliciter, tam aſſiduè invigilatis, ut nulla ſit Academia, (quod abſque jactantia ſit dictum) nulla in Orbe Reformato Eccleſia, cujus nos ſorti invidere deceat. Quibus meritis & illud hoc anno acceſſiſſe grati agnoſcimus, quòd in Bibliotheca noſtra ornanda, diſponenda, ac locupletanda, non hortatibus modò, non conſiliis, non operâ, ſed & exemplô ac munificentiâ, reliquis præire dignati ſitis. Quæ ſanè res, ſi quidquam aliud, ad arcendam finibus noſtris imminentem undique barbariem, excitandaque, ſive apud nos, ſive apud poſteros, Literarum ſtudia, ut ſperamus, plurimùm valebit. Denique, quod ſeriis veſtris tantiſper ſepoſitis, ſolennibus his Ludis adeſſe, faciléſque, iis qui dixerunt, præbere aures volueritis, veſtræ benignitati rurſùm adſcribimus. Faxit Sapientiæ largitor Deus, ut veſtris laboribus, veſtrâque induſtriâ,

victa fatiſcat
Barbaries, mordeátque *ſuas irata catenas.*

Donec ex hac caligine, in qua volutamur, erepti, eò perducamur unde lucet.

FINIS.

ORATIO

ORATIO QUINTA

DE

STUDIIS

EMENDANDIS

ET

PROMOVENDIS.

Dicta eſt ſtatis ACADEMIÆ GENEVENSIS *Solennibus, die* XIX. *Maii, Anno* M. DCC. IV. *cùm Auctor tertium* RECTORATUS ACADEMICI *annum ageret.*

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO ILLUSTRISSIMO
PLURIMUMQUE REVERENDO
GILBERTO BURNETO
EPISCOPO SARISBERIENSI
NOBILISSIMI ORDINIS A PERISCELIDE
DICTI CANCELLARIO
INCOMPARABILI REFORMATIONIS
ANGLICANÆ HISTORIA
ALIISQUE SCRIPTIS NON PAUCIS
TOTO ORBE CELEBERRIMO
PATRONO ET IN CHRISTO PATRI
ÆTERNUM SUSPICIENDO
PRO EXIMIIS QUIBUS MUSÆUM MEUM
QUOTIDIE ORNAT CHARTIS
INCONDITAS HASCE
DE EMENDANDIS PROMOVENDISQUE
STUDIIS COGITATIONES
EA QUA POSSUM OBSERVANTIA
OFFERO
JOH. ALPHONSUS TURRETTINUS.

Digitized by Google

SENECA Epiſt. XXXIII.

Quid ergo? non ibo per priorum veſtigia? Ego verò utar via veteri: ſed ſi propiorem invenero, hanc muniam. Qui ante nos iſta moverunt, non domini noſtri, ſed duces ſunt. Patet omnibus veritas; nondum eſt occupata; multum ex illa etiam futuris relictum eſt.

Digitized by Google

ORATIO QUINTA

DE

STUDIIS

EMENDANDIS

ET

PROMOVENDIS.

Syndici Ampliſſimi,
Conſiliorum Publicorum Participes Prudentiſſimi,

Princeps Illuſtriſſime,
Barones Generoſiſſimi,

Eccleſiaſtæ Venerandi,
Profeſſores Celeberrimi,

Ju-

Digitized by Google

Juriſconſulti, Medici, Doctoratûs inſignibus clari,

Hoſpites, Cives, quotquot adeſtis, Literarum amantiſſimi,

Túque, ſpes noſtra & gaudium, Juventutis Corona lectiſſima,

QUID profectûs Literæ ceperint, & quid periculi eis immineat, ante annum, ex hoc loco, & hoc ampliſſimo Conſeſſu, diximus. Nunc, ad Studia emendanda & promovenda, quid valere poſſit, ſermone pariter attingendum eſt. Quod argumentum, ſi per ſeſe nobile, ſi dignum iſtis auribus, ſi Lyceo utile, ſi Eccleſiæ profuturum, ſi denique hodiernæ lucis celebritati conveniens, viciſſim periculoſæ plenum eſſe aleæ, méque illud tractaturum *per ignes ſuppoſitos cineri doloſo* incedere, non is equidem ſum qui ignorem. Hinc enim rei amplitudo, quæ per omnes Diſciplinas omnéſque ætates ſeſe diffundit, intra anguſta Orationis ſpatia vix commodè poteſt arctari. Illinc, occupatam jampridem à Viris ſummis materiam, ſub incudem revocare, &, hac ingenii mediocritate, facem ingeniis præferre velle, temerarium prorsùs videbitur. Et quis neſcit, quàm irritabilis, quàm monitorum impatiens, ſit gens omnis Literata? in qua ſi quid reprehendendum vel immutandum proponatur, grande nefas & morte piandum clamant. Et quot erunt, qui, monitis noſtris, velut œſtro quodam, perciti, in monitorem debacchentur, &

Horat. Sat. Lib. I. Sat. 3. *Ignoras te?* dicant cum Satyrico, *aut ignotum dare nobis Verba putas?*

His accedent ſententiarum hiſce de rebus divortia; Quippe, in his, ut cæteris omnibus,

Horat. Ep. Lib. II. Ep. 2. *non omnes eadem mirantur amántque.*

Sed

Sed vario poſcunt multùm diverſa palato.
Unde dicturo hæret animus,

> *Quid dem? quid non dem? renuis tu, quod jubet alter;*
> *Quod petis, inviſum ſanè eſt acidúmque duobus.*

Denique, nec importuni deerunt, & ex omni quidem ordine, cenſores; apud quos Literas laudare, vel promovere, littus arare eſt; qui, quæcunque ignorant ipſi, ea damnant ac deſpiciunt; quibus, in his Muſarum ſolennibus, nihil æquè ac brevitas placet; & quos proinde, ut cum Plinio loquar, *ſi in conſilio habeamus, non ſolùm ſatius ſit breviter dicere, ſed omninò non dicere.* Verùm tamen, cùm id poſtulet demandati muneris ratio, dies ſuadeat, locus hortetur, & veſtra etiam audientia ac facilitas ſtimulos addant, dicam liberè ac ſine fuco, dicam ſine odio vel gratia, quorum cauſſas procul habeo, dicam mihi, dicam reliquis, nec enim *egomet mî ignoſco*, ſicuit ille Mænius, dicam denique ſtrictim & conciſè, ne tædio ſit prolixitas, quid maximè ad Diſciplinarum emendationem ac laudem facere poſſe videatur.

Plin. Lib. 1. Epiſt. 10.

Horat. Satyr. Lib. 1. Sat. 3.

Mentis humanæ præſtantia.

Magnum profectò, AUDITORES, imò maximum homini à Deo beneficium conceſſum eſt, quòd eximiam illam mentem, *divinæ particulam auræ*, ipſi indiderit; quâ, & ſe ipſum, & extra ſe poſita, nôſſe, præterita revocare, futura proſpicere, immenſa Orbis ſpatia emetiri, rerum cauſſas inveſtigare, nullis temporum, nullis locorum limitibus circumſcribi, denique, quod palmarium, ad Conditoris notitiam aſſurgere, imò & ad ejus effigiem, per ſapientiæ ac virtutis ſtudium, quodammodo effingi poſſit. Quippe

Ovid. Metam. Lib. I.

> *venerabile ſoli*
> *Sortiti ingenium, divinorùmque capaces,*
> *Atque exercendis capiendiſque artibus apti,*
> *Senſum è cæleſti demiſſum traximus arce,*
> *Cujus egent prona & terram ſpectantia.*

Juvenal. Satyr. XV.

Verùm, cùm divina illa vis, quandiu corporis hoſpitio utitur, ejus mole quaſi prægravetur, à rebus corporeis & ſenſibilibus

Inſtitutionis neceſſitas.

obnubiletur, præjudicatis opinionibus atque affectibus præpediatur, atque anguſtiſſimis vitæ terminis à multo rerum uſu arceatur, Inſtitutione opus eſt, quâ hæc omnia emendentur, ipſáque mens (quantùm ſaltem licet in hac mortalitatis caligine) nativæ ſuæ pulchritudini & gloriæ reſtituatur.

Quintil. Lib. I. Præf.

Ars naturam juvare debet.

Fateor equidem, Auditores, *nihil præcepta atque artes valere, niſi adjuvante natura*: Et, ſi ingenium ſit hebes, judicium lævum, memoria labilis, vix quicquam bonæ frugis, ne ab optimi quidem præceptoris inſtitutione, ſperari poſſe. Unde defleri ſatis non poteſt miſerrima Literarum ſors, ad quas utplurimùm nullo diſcrimine, nullo ingeniorum delectu, nullo naturæ incitamento, caſu potiùs duce quàm judicio, obvius quiſque admittitur; Quod perinde eſt, ac ſi optima ſemina, nullâ ſoli habitâ ratione, paſſim in ſteriles campos atque arenam conjicerentur. Verùm, ut ars ſine natura, ſic natura, etiam optima, ſine arte vix quicquam valet;

Horat. Od. Lib. IV. Od. 4.

Doctrina ſed vim promovet inſitam,
Rectíque cultus pectora roborant.

Vel ſi qui ſunt, qui rarâ quâdam ac ſingulari felicitate, aut nullo prorsùs, aut exiguo ſaltem inſtitutionis ſubſidio, ad magna tamen ſurrexerint, ſanè illos regulæ obeſſe, atque in exemplum trahi non decet.

Quintil. Inſt. Lib. 1. cap. 1.

De cavendis in infantia & pueritia.

Ergo, ut, exemplo *Quintiliani*, qui futurum Oratorem inde à cunis inſtituit, nos quoque Literis operam daturum ab infantia uſque deducamus, optandum ſanè, ut, his vitæ initiis, major cura à parentibus, major cautio, major ſolertia à Pædagogis adhiberetur. Hinc ſiquidem prima mali labes, & falſarum opinionum, in omnes Diſciplinas omnémque vitam redundantium, fons uberrimus. Quumprimùm igitur ſeſe ratio exſerit, velim, nullas voces, nullas formulas, niſi probè intellectas, puerorum memoriæ committi; Ne ſcilicet, (quod perpetuò fit) ſonos ſenſu vacuos, Pſittaci more reddere aſſueſcant. Velim, quicquid credendum, quicquid agendum ipſis præcipitur, ad id non ſolà auctoritate, non ſolà docentium vel jubentium reverentiâ, ſed rationibus inducerentur, quantum ſaltem

tem per ætatem licet. Velim, non mirorum relatu, non anilibus fabellis, ſed utilium ſimul ac verorum commemoratione, animos diſcendi avidos paſci. Velim, non vanis terriculis, non nocturnorum Lemurum metu, (quæ *nugæ ſeria in mala*, & ſuperſtitionem vix facilè eluendam, *ducunt*) teneras eorum mentes percelli. Velim, in rebus externis, veſtitu, inceſſu, ſaltu, toto denique habitu corporis, longè minus momentum poni; veri autem & æqui ſtudium, quàvis datâ occaſione, commendari atque inſtillari. Parva dicimus; ſed ſi negligas, prout paſſim negligi apparet, immane quot infelices plantæ, & bonæ menti inimiciſſimæ, ex radicibus illis ſuccreſcant.

Horat. de Art. Poet.

Ut verò ex primæ ætatis cancellis puer literis tradendus exceſſit, quæritur, utiliúſne domi & intra privatos parietes, an in frequentia Scholarum, atque à publicis præceptoribus, inſtituatur? Qua quidem in re, etſi, pro variis quæ occurrunt circumſtantiis, varia rationum momenta pugnant, tamen quin utplurimùm longè potior ſit Publicarum Scholarum uſus, Quintiliano præeunte, nulli dubitamus. Ut mittam enim, tot Præceptores, idoneos ſaltem ac peritos, ſingulis pueris vix poſſe contingere, & pleraſque familias, quibus res eſt anguſta domi, ſumptibus illis impares fore, ſanè, vel ſi hæc darentur, publica tamen inſtitutio domeſticæ longè præſtaret. Ibi quippe æmulatio acres ad laudem ſtimulos addit; Ibi, quæ uni dicuntur, cæteris etiam non parùm proſunt: „Proderit alicujus „objurgata deſidia; Proderit laudata induſtria; Excitabitur lau„de æmulatio; puer turpe ducet, cedere pari; pulchrum, ſu„peraſſe majores.„ Rursùs, continua quædam nec interrupta ſtudiorum ſeries in Scholis publicis ſemper obtinet, quæ vel leviſſimo obtentu privatim abrumpitur. Denique, & in Scholis publicis, ſocietati aſſueſcunt pueri; vanum tumorem deponunt, iis qui ſe nemini comparant ſolennem; &, vel puerili illo conſortio, vel puerilibus ludis, quaſi cote acuuntur ingenia, in domeſtico receſſu & vita umbratili ſitum ductura. Dices, ibi mores corrumpi: At nonne domi quoque corrumpuntur? Imò non-

Quid cenſendum de Scholis publicis?

Quint. Inſt Lib. I. cap. 2.

Quint. ibid.

nonne tutiùs utplurimùm ſub publicorum Præceptorum oculis, quàm parentum nimis plerumque indulgentium, continebuntur? Quæ quidem omnia, in hac Civitate, experimentis ita conſtant, ut Gymnaſio procul educatos, raró ad aliquid boni ſurgere, ſæpe in omne nefas ruere, cernamus.

Emendanda in Scholis publicis.

Verùm, ut longè ſaluberrimum inſtitutum Scholarum cenſemus, ita non pauca emendari atque in melius converti poſſe, nemo, ut opinor, negaverit. Sic, quàm optandum ut nobilis illa inſtituendæ Juventutis cura, nonniſi peritiſſimis, &, tum rerum notitia, tum docendi dexteritate, tum ipſo uſu ac prudentia, ſpectatiſſimis committeretur! At verò, ut tales contingerènt, ſanè plus dignationis, & honoraria ampliora, in eos conferri oporteret. Sic, quàm optandum ut quibuſcunque eximium illud Munus commiſſum eſt, non perfunctoriè ac dicis cauſâ, ſed animo lubenti, attento, atque alacri, illud exercerent; Id ſibi penſi datum cogitantes, non ut quaſdam horas utcunque impendant, ſed ut Juvenes in majus promoveant, ut pietatis ac doctrinæ ſemina teneris eorum mentibus infundant, ut torpeſcentes excitent, ut vividioribus calcar addant, ut laſcivientes & contumaces Diſciplinæ fræno coërceant: Quæ quidem omnia ſi ſeriò ſibi & aſſiduè ob oculos ponerent, dubitari nequit quin longè utilior eorum opera eſſet futura. Sic, quàm optandum, prout nos ipſi ante annum jam monebamus, ut brevior quædam ac expeditior addiſcendarum Linguarum methodus in Scholis adhiberetur! Etenim annos fermè ſeptem, imò aliquando plures, & quidem in ætate illà quæ ad diſcendum aptiſſima eſt, miſeris quibuſdam Linguæ Latinæ rudimentis impendi, (Græca enim vix attinguntur, nec quicquam ferè aliud agitur) quis ſanæ mentis concoquere poſſit? Quidni igitur breviori via, crebriori nempe lectione, crebriori ſcriptione, crebriori colloquendi uſu, ambages illæ præciduntur, & ad utiliora addiſcenda tempus redimitur? Sic, quàm optandum, ut, in legendis Antiquitatis Auctoribus, non rudis tantùm ac jejuna fieret eorum expoſitio, non verbum verbo ſimpliciter reddere docerentur adoleſcentes,

ſed

ſed fracto cortice nucleum adirent, &, quid ſplendidè dictum, quid acutè collectum, quid verum, quid falſum, quid turpe, quid utile, quid non, ſedulò monerentur; imò &, verborum occaſione, innumera ad res naturales, ad Hiſtoriam, ad Geographiam, ad alias artes ſpectantia, ſi non perfectè atque ad amuſſim, ſaltem rudi Minervâ ipſis traderentur; In quibus omnibus quàm ſint hoſpites, cum é Scholis egrediuntur, experimento plus ſatis conſtat. Quibus illud etiam adjungo, optandum nempe ut, quaſi per ludum, non verò tetrica quadam ac magiſteriali fronte, adoleſcentes informarentur; ne ſcilicet Literas odiſſe, & *amaritudinem ſemel perceptam* etiam *ultra rudes annos reformidare* aſſueſcerent, prout monet Quintilianus. Quintil. ub. ſup.

Humaniores Literæ majori ſtudio excolendæ.

Et hæc de Scholis inferioribus breviter notata ſunto. Quando verò, hoc rerum ſtatu, nonniſi leviſſima quædam Literarum rudimenta in Scholis illis accipiuntur, omninò neceſſe eſt, ut qui Muſis nomen dederit, novam operam, novos conatus, Humanioribus Literis impendat, & per annuum ſaltem ſpatium, Poëtas, Oratores, Hiſtoricos, Criticos verſet, antequàm ad Philoſophiam aliaſque Diſciplinas ſuperiores promoveatur; Quemadmodum ſapienti conſilio ab Academico noſtro Conſeſſu hoc anno ſtatutum eſt. Sic politiſſimorum Scriptorum lectione animus excoletur, & quæ nonniſi ſupremis, ut aiunt, labiis guſtata fuerant, pleno hauſtu excipientur, & in proprium quaſi ſuccum convertentur. Ab Hiſtoricis, exemplorum penus; ab Oratoribus, eloquii ſubſidia; à Poëtis, Mythologia, ſententiarum ac dictionum flores; à Criticis, Vetuſtas omnis, & judicandi ſolertia; ab omnibus, Linguarum illarum, quibus Diſciplinæ omnes continentur, Latinæ, dico, & Græcæ, peritia obtinebitur: Quæ omnia quanti ſint momenti, quantæ voluptatis, quanti ornatûs, cuicunque te Diſciplinæ voveas, nemo niſi Literarum planè rudis poteſt ignorare. Scio equidem pleroſque Auctores in vernaculas linguas tranſlatos, imò nonnullos ita aptè, nihil ut melius fieri poſſe videatur: Verumtamen, ſi Verſiones illæ cum ipſo Auctorum textu componantur, *oppidò quàm jacere atque ſordere incipiunt!*

Aul. Gell. Noct. Att. Lib. II. cap. 23.

prout de Latinis quibuſdam Poëtarum Græcorum Verſionibus obſervabat *Aulus Gellius.* Nec me latet, inter Auctores, qui vernaculâ Linguâ ſcripſerunt, complures eximios in Diſciplinis omnibus exſtare: At illi ipſi Veterum lectionem urgent quammaximè atque commendant, ſeque fatentur nihil ferè boni niſi ex illo fonte hauſiſſe; ſiquidem *nec concipere, nec edere partum mens poteſt, niſi ingenti flumine literarum undata*, ut cum elegantiæ arbitro loquamur. Quid, quod Linguæ Latinæ peritia interpres quidam ac viæ dux eſt, cujus ope regiones omnes Literati Orbis peragrantur, cujus auxilio cum Doctis omnibus, qui uſpiam terrarum vivunt, commercio jungimur, cujus miniſterio quicquid ſpectat ad Scientias, vel in remotiſſimis partibus editum, nullo labore intelligimus. Quare, niſi barbariem velimus in Studia rursùs irrumpere, ad hos politiſſimi ingenii & omnigenæ doctrinæ parentes, non in rivis, ſed in ipſis fontibus, omninò eſt recurrendum; ſicque ad Scientias ulteriores Juvenum animi ſunt præparandi.

Petron. Satyr.

Philoſophiæ opera danda.

Sic Literarum jactis fundamentis, age, accedat Candidatus noſter ad Myſteria Philoſophica; Et, tum dirigendæ rationis præceptis, tum ſcrutandis Naturæ arcanis, tum inſtituendæ vitæ regulis, feriò ſe totumque tradat. O beatam verò, AUDITORES, ô ter quaterque beatam hoc reſpectu ætatem noſtram, quæ, Scholæ nugis valere juſſis, rectiori tramite ad verum procedit, & utiliora longè ſectatur! Unde, cùm vetus Philoſophia ad reliquas Diſciplinas planè eſſet inutilis, imò ingenium potiùs impediret ac vitiaret, hujus utilitas per omnes Artes ac Scientias latè diffunditur, neque ſine illius peritia ullus ferè in reliquis Studiis felix exitus ſperari poteſt. Tamen, annon multa adhuc ſuperſint, quæ vel nullius omninò, vel exigui admodum ſint usûs, quæque proinde vel penitùs tolli, vel contrahi ſaltem oporteat, Magiſtris Artis iterùm iterúmque conſiderandum relinquimus. Enimverò, quamcunque tandem Diſciplinam ſis ſuſcepturus, quid, quæſo, juvant illa ferè omnia quæ in Logica vulgari traduntur? Quid juvant tot de *Univerſalibus*, de *Prædicabilibus*, de *Categoriis*, aliiſque,

Recentioris Philoſophiæ præſtantia & utilitas.

quæſ-

Digitized by Google

quæſtiones? Imò quid juvant acuta quidem, & ingenioſè excogitata, de *Argumentatione* & *Figuris Syllogiſmorum*? ſed quæ quàm ſint inutilia, in cæteris Diſciplinis, ac toto vitæ ductu, nemo eſt Eruditorum, qui, ſi verum fateri velit, uſu proprio non didicerit. Quamobrem, ſi hæc viro literato omninò ignota eſſe non debent, ut facilè conceſſerim, certè in iis diùm detineri, eáque utilium loco habere, nullatenùs convenit. *Proſpicienda illa*, ut Senecæ verbis utamur, *ſed proſpicienda tantùm, & à limine ſalutanda, in hoc unum, ne verba nobis dentur, & aliquid eſſe in illis magni & ſecreti boni judicemus.* Vis optima Rationis præcepta? Lege brevem illam quidem, ſed eximiam, ſed incomparabilem, ſed auream Carteſii *de Methodo* diſſertationem; Et niſi plus inde frugis, quàm ex omnibus Logicæ vulgaris ſpeculationibus percipias, equidem cauſſa cadere ac pipulo differri non renuam. Vis ingenium acuere, ejus capacitatem augere, illud attentum atque accuratum in indagando vero præſtare? Adi Mathematicos, adi Geometras, & eorum te Diſciplinæ trade; Hanc enim eſſe optimam Logicam, & dirigendæ Rationi aptiſſimam, maxima hodiernorum Philoſophorum conſenſio eſt: Unde, nihil Lyceo noſtro utilius inſtitui poſſe, quàm Profeſſionem Mathematicam, & Conſeſſus Academicus, & Cœtus Venerabilis, unanimi voce cenſuêre; Utque Ampliſſimus Senatus, pro ſolito ſuo in Literas animo, eam propediem inſtitutam velit *, ſunt noſtrûm omnium ſtudia ac vota. Denique, miſſis, vel ſaltem contractis, Scholaſticæ Doctrinæ reliquiis, novus inde fructus accreſceret; Hiſtoria nempe Naturalis ſtudioſiùs excoleretur; Plura fierent experimenta; Cœli meatus, Animantium fabrica, Mineralium ac Plantarum vires, totum denique naturæ opificium, meliùs innoteſcerent. Qua in parte quanta fuerit Veterum induſtria, vel uni *Ariſtotelis*, *Theophraſti*, ac *Plinii* libri teſtantur: At cùm hæc omnia longè certiùs ac perfectiùs hodie noſcantur, equidem, ſalvô meliori judiciô, il-

Senec. Epiſt. 49.

* Publica MATHESEOS Profeſſio in Academia Genevenſi re verâ inſtituta eſt, Senatuſconſulto, 27. Jun. An. MDCCIV.

la etiam in Scholis noſtris paulò fuſius tractanda crediderim.

Dotes in Viris Literatis maximè neceſſaria.

Verum ulterius progrediamur; Et, quandoquidem Diſciplinas omnes ſigillatim luſtrare non licet, dotes quaſdam præcipuas, ſed raras, in Viro quovis Docto requiſitas, & Scientiis promovendis apprimè neceſſarias, admoto digito ſaltem indicemus.

Mentis ſoliditas, Judicii ἀκρίβεια.

Igitur, quod primum omnium in Viro quovis Literato requirimus, ea eſt mentis ſoliditas, ea *Judicii* ἀκρίβεια, quæ de nulla re niſi probè perſpecta pronuntiet, quæ omnia æqua lance ponderet, quæ in dubiis aſſenſum cohibeat, quæ non externa rerum ſpecie, non φαντασίας imaginibus, non hominum auctoritate, non placitis aut moribus vulgi, ſe abripi patiatur, ſed in ipſam rerum naturam penetret, omniáque ad accurati examinis normam exigat, quæ denique verum à falſo, certum ab incerto, æquum ab iniquo, ita diſtinguat, ut ſuum cuique locum, ſuum cuique pretium aſſignet. Equidem fateor plures alias dotes ſua laude neutiquam fraudandas, &, vividum ingenium, imaginandi vim promptam ac felicem, tenacem memoriam, in inveniendo ſagacitatem, in eloquendo facundiam; denique omnem multiplicis lectionis ac multifariæ eruditionis apparatum, ſummo in ſtudiis fructu non carere: At verò rectè judicandi habitum principem locum occupare, &, ut rariſſimum inter Literatos, ita præ cæteris omnibus requiri, in dubium vocari nequit.

Horat. de Art. Poët.

Scribendi rectè, ſapere eſt, & principium, & fons.

Hoc ſine, nihil ſolidi, nihil tuti, nihil accurati. Eo qui caret, ſive præcipitantia, ſive falſi ſpecie deluſus, perpetuò titubat, ceſpitat, hallucinatur; Pro theſauro carbones, pro Junone nubem amplectitur: At qui recto judicio pollet, firmo ſemper greſſu incedit, & ut ad res prudenter gerendas, ſic ad Scientias emendandas ac promovendas eſt aptiſſimus.

Veritatis ſtudium.

Ut verò primam Literari laudem, rectè de rebus judicare poſſe, ita alteram illi proximam, rectè de rebus judicare velle, & ſincero *veri* detegendi atque amplectendi *ſtudio* duci, omnes æqui Judices facilè concedent. Fateor equidem, natu-

râ

Digitized by Google

mentibus, ad veri ſtudium omnes accendi; adeò ut ne error quidem, niſi emendicatâ veri ſpecie, aditum ſibi in mentem facere poſſit. Attamen, hominum vitio, & affectuum impotentia, illud veri ſtudium langueſcere, & cùm in cæteris omnibus, tum in Literatis penè exſtingui, quotidie cernimus. Quibuſdam mendacium obrepit; Quibuſdam placet. Sunt quos labor quærendi terret; ſunt quos opinio ſemel hauſta ligat. Multi, ſtupore quodam ac ſocordia, de veritate indaganda & ſcrutanda ne cogitant quidem. Multi aliorum dictis ac factis memoriam tantum onerant, neque judicio unquam utuntur. Et multi in id unum totis vigiliis ac ſtudiis incumbunt, ut in ſuſceptis placitis magis magiſque confirmentur, ac fulcimenta eis reperiant. Neque deſunt qui veritatem, ſuis affectibus adverſam, ſuis commodis, ſuæ quieti, ſuæ ſuperbiæ inimicam, refugiant ac reformident. Quæ cùm ita ſint, quid mirum ſi Scientiæ, tot erroribus fœdatæ, tot defectibus laborantes, tam lenta, tàm exigua, imò tam nulla incrementa capiant? O ſi excitaretur in hominum animis Veritatis ſtudium, ô ſi ea mente, eo conſilio, Diſciplinæ omnes tractarentur, ſi errare ac decipi, vel in re minima, turpe duceretur, ſi malorum omnium fontes ac fomites errores eſſe, aſſiduè recordaremur, bone Deus, quot nubes diffugere, quot falſa revinci, quot dubia ſolvi, quot defectus ſuppleri, quot obſcura in lucem prodire, in omnibus Diſciplinis atque Artibus obſervaremus!

Ardor ad Scientias promovendas.

Verùm, præter ſanum judicium, ac ſincerum veri amorem, aliud quid in Viro Docto præterea requirimus; Ut ſcilicet nobili *ardore ad Scientias promovendas* ac perficiendas feratur; ut eximium illum ſcopum ſibi ob oculos nunquam non ponat, eóque indefeſsô ſtudiô ac totis ingenii viribus tendat. Nolim igitur Virum Literatum in otio turpi ſegneſcere; Nolim eum, in ſtipe cogenda, in demulcendis plebeculæ auribus, in arte quam nactus eſt quomodocunque exercenda, unicè laborare; Nolim eum, in jam inventis ita ſecurè acquieſcere, in Magiſtrorum verba ita ſerviliter jurare, nihil ut novi deinceps reperiri poſſe arbitretur: Siquidem

S Mul-

Virg. Æneid. Lib. XI.

Multa dies, variùſque labor mutabilis ævi
Rettulit in melius.

Senec. Nat. Quæſt. Lib. VI. cap. 5. Ibid. Lib. VII. cap. 25.

Enimverò, ut rectè Seneca, *plurimùm ad inveniendum contulit, qui ſperavit poſſe reperiri. Nondum ſunt anni mille quingenti,* ait idem alio loco, *ex quo Græcia ſtellis numeros & nomina fecit. Multæque hodie ſunt gentes, quæ tantùm facie noverint cœlum, quæ nondum ſciant cur luna deficiat, quare obumbretur. Hoc apud nos quoque nuper ratio ad certum perduxit. Veniet tempus, quô iſta quæ nunc latent, in lucem dies extrahat, & longioris ævi diligentia. Veniet tempus, quô poſteri noſtri tam aperta nos neſciſſe mirentur.* Et alio rursùs loco.

Ibid. cap. 31.

Quàm multa animalia hoc primùm cognovimus ſæculo? Et quidem multa venientis ævi populus ignota nobis ſciet. Multa ſæculis tunc futuris, cùm memoria noſtri exoleverit, reſervantur. Puſilla res mundus eſt, niſi in illo quod quærat, omnis mundus habeat. Non ſemel quædam ſacra traduntur; Eleuſis ſervat, quod oſtendat reviſentibus. Rerum natura ſacra ſua non ſimul tradit. Initiatos nos credimus, in veſtibulo ejus hæremus. Illa arcana non promiſcuè neque omnibus patent. Reducta & in interiore ſacrario clauſa ſunt. Ex quibus aliud hæc ætas, aliud quæ poſt nos ſubibit aſpiciet. Rectè, ô Seneca, imò rectiſſimè; Nec verò te fefellit augurium; ſiquidem innumera, tuo ævo ignota, Viri noviſſimæ ætatis ſummi in lucem protraxêre; Magno indicio, quid nos quoque ac poſteri, ſi modò par accedat diligentia, ſperare queamus.

Verul. de Augment. Scient. Lib. I. p. 38. Fontenelle Digreſſ. ſur les Anc. & les Mod.

Ridet *Lucianus* Gentilium Deos, quòd tot liberos olim procreâſſent, ſuo autem Sæculo nullos amplius procrearent; Interrogatque jocans, ecquid ſeptuagenarii jam eſſent, aut Lege Pappia contra ſenum nuptias lata conſtricti? Liceat verò, AUDITORES, liceat cum *Verulamio*, ſarcaſmum illum in rem præſentem detorquere; Liceat quærere ab iis qui cenſent nihil amplius detegi poſſe, ecquid tempus jam effœtum, ac novarum veritatum procreationi ineptum ſit? Vel potius cum ingenioſiſſimo ac politiſſimo noſtri temporis Luciani imitatore, liceat quærere, utrum arbores, utrum plantæ hodiernæ, ab antiquarum

Digitized by Google

rum virtute ac præſtantia penitùs degenerârint? Quod ſi non ſit, ſanè cur ingenia in pejori ſorte verſentur, & Scientiis perficiendis inoptiora ſint, cauſſa non ſubeſt.

Quo tempore terrarum Orbis, feliciſſimâ converſione, profana Gentilium Sacra ejurabat, Idola concidebant, altaria ſubvertebantur, & ſalutaris Chriſti doctrina, ſub piorum Principum præſidio, pomœria latè extendebat, tunc Ethniciſmi defenſores, infelicis cauſæ patroni, cùm ſe rationibus deſtitutos cernerent, non aliâ quàm antiquitatis ac longi uſûs reverentiâ, Deos patrios & avita Sacra tuebantur. *Præſtate*, ajebat Symmachus, Imperatores compellans; *ut ea quæ pueri ſuſcepimus, ſenes poſteris relinquamus. Conſuetudinis amor magnus eſt. Jam ſi longa ætas*, addit, *auctoritatem Religionibus faciat, ſervanda eſt tot ſæculis fides, & ſequendi ſunt nobis parentes, qui ſecuti ſunt feliciter ſuos.* Mox Romam ipſam loquentem inducit, quæ, oſtentatâ Sacrorum canitie, eis reverentiam ac ſecuritatem conciliare nititur. *Romam nunc putemus aſſiſtere*, inquit, *atque his vobiſcum agere ſermonibus; Optimi Principes, Patres Patriæ, reveremini annos meos, in quos me pius ritus adduxit. Utar cæremoniis avitis, neque enim pœnitet. Vivam meo more, quia libera ſum. Ad hoc ergo ſervata ſum, ut longæva reprehendar? Videam, quod inſtituendum putatur? Sera tamen & contumelioſa eſt emendatio ſenectutis.* Quid verò ad hæc Chriſtiani veteres? *Nulla ætas*, reſpondet Ambroſius, *ad perdiſcendum ſera eſt. Erubeſcat ſenectus, quæ emendare ſe non poteſt. Non annorum canities eſt laudanda, ſed morum. Nullus pudor eſt, ad meliora tranſire.* Quibus & concinit Prudentius, elegantiſſimo illo carmine, quô Symmachum refellit.

Symm. relat. adv. Chriſtian.

Ambroſ. Epiſt. Lib. V. Epiſt. 31. ad Valentin. Imp.

Italæ cenſor doctiſſime gentis,
An veterem tantùm morem, ratione relictâ,
Eligis? & dici id patitur ſapientis acumen
Ingeniumque viri, Potior mihi priſtinus eſt mos:
Quàm via juſtitiæ, pietas quàm prodita cœlo,
Quàmque fides veri, rectæ quàm regula Sectæ?

Prudent. Lib. II. cont. Symmach.

Sic veritatis aſſeclæ loquuntur. Sic, non quid antiquum, non quid

quid novum, non quid uſu receptum, non quid ab uſu alienum, ſed quid verius, quid certius, quid ſanctius, quid tutius, in rebus omnibus, in omnibus Diſciplinis, expendi volunt.

Tertull. de Virg. veland. cap. 1.

Nôrunt *veritati nihil præſcribere, non ſpatia temporum, non patrocinia perſonarum, non privilegia regionum.* Nôrunt *Chriſtum veritatem ſe, non conſuetudinem appellaſſe.* Nôrunt *conſuetudinem ſine veritate, vetuſtatem erroris eſſe*;

Cyprian. Epiſt. 74. ad Pomp.

Quæ quidem ſunt Tertulliani ac Cypriani voces. Nôrunt denique, quæ ſunt antiqua, eadem aliquando nova fuiſſe, &, ſi nova ſemper eſſent rejecta, nulla hodie antiqua fore; quemadmodum egregiè, contra ſui Sæculi vituperatores, arguebat Horatius;

Horat. Ep. Lib. II. Epiſt. I.

Quòd ſi tam Græcis novitas inviſa fuiſſet
Quàm nobis, quid nunc eſſet vetus, aut quid haberet,
Quod legeret, tereretque viritim publicus uſus?

Quamobrem, quod de amicorum delectu Epigrammatum parens ludebat, illud ad veritates pari jure poteſt aptari;

Martial. Lib. I. Epigram. 55.

Nec me, quòd tibi ſum novus, recuſes;
Omnes hoc veteres tui fuerunt;
Tu tantùm inſpice, qui novus paratur
An poſſit fieri vetus ſodalis.

Igitur, ut, unde proceſſit, eò revertatur oratio, cuicunque te Diſciplinæ dederis, ſive ſcrutandæ rerum naturæ, ſive ſanandis corporibus, ſive Juri exponendo, ſive Hiſtoriæ excolendæ, ſive denique Sacris tractandis, hæc tibi ſemper cura inſideat, ut Spartam tuam exornes, ut Diſciplinam tuam promoveas, ut *non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem* adnitaris. Quò quidem animô ſi Docti omnes in Studiis verſarentur, ô quàm læta veritatum ſeges, ô quàm uberes detegendorum ac illuſtrandorum proventus, Diſciplinis omnibus accreſcerent!

Verùm, AUDITORES, ut recto tramite iſte Doctorum impetus procedat, néve per inane vagetur, quibuſdam limitibus cohibendus, quibuſdam dotibus adtemperandus eſt, quas breviter notare juvat. Et inter alias quidem dotes, eſſe velim in

Simplicitatis amor.

Viro Docto certam quandam animi temperiem, à mirorum pruritu alienam, & naturæ conſentaneam, quam *Simplicitatis* amo-

amorem, novo fortè vocabuli ſenſu, ſed aptè ſatis nuncupare poſſumus: Quâ non plus in rebus quæritur, quàm quod re verâ ineſt; Quâ, non magna tantùm, non mira, non ordinem excedentia, in deliciis habentur, ſed hoc unum in votis eſt, ut res quales ſunt dignoſcantur; Quâ denique ea omnia, quæ ſub intellectum cadunt, modo planiſſimo ac ſimpliciſſimo concipiuntur atque explanantur. Dici non poteſt, quàm rara ſit, cùm inter alios omnes, tum præcipuè inter Literatos, hæc animi temperies. Pars maxima puerili quodam in res miras affectu ducitur; Unde fabulis delectantur, myſteriis omnia complent, nodos in ſcirpo quærunt, ſicque à vero ac genuino rerum conceptu plerumque aberrant. Hinc violata Hiſtoriæ fides; dum ſcilicèt Scriptores plerique *incredibilium relatu commendationem parant, & Lectorem alind actunum, ſi per quotidiana duceretur, miraculo excitant*: Quo quidem vitio maximè laborat, quæ minimè laborare debuit, Hiſtoria nempe Eccleſiæ, é qua ſi ficta miracula ac putidas Legendas expunxeris; vix decima pars ſervabitur. Hinc vitiata Philoſophia; dum perſæpe rerum quæ non ſunt magno molimine quæſita eſt cauſſa; dum etiam longè petitis Peripateticæ Scholæ commentis, vel precariis Chymicorum principiis, vel vanis Alchymiſtarum deliriis, imò & illâ nuper invectâ à Viris Doctis *Naturâ Plaſticâ*, involuta potius quam explicata eſt rerum natura; Cùm tamen ipſo Naturæ artificio nihil ſit ſimplicius, & ex ſola materia ac motu (præſide quidem Supremo Numine) univerſa quæ conſpicimus atque miramur coaleſcant. Hinc Ars etiam dicendi corrupta; dum neglecto naturæ ſermone, qui tamen ad perſuadendum aptiſſimus eſt, nonniſi grandes cothurni, & ſeſquipedalia verba aſſumpta ſunt, ridenda à viris ſanis, nec niſi plebeculæ fucum factura. Verùm, quod triſtius, inſano illo ac puerili mirorum amore, non adulterata tantùm, ſed & in perniciem data Religio. Enimverò, quid ſimplicius, quid planius, quid omnium captui accommodatius, quàm Chriſtiana Religio, qualis nempe à Chriſto ipſo & Apoſtolis tradita eſt? Legite Chriſti Concionem de monte; Legite

Senec. Nat. Quæſt. Lib. VII. cap. 16.

Math. V. Act. XVII.

gite Pauli Sermonem Areopagiticum; Imò totas, quantæ quantæ ſunt, Novi Fœderis tabulas luſtrate. Quàm grandia hæc! quàm divina! ſed quàm plana ſimul ac ſimplicia, & vel rudiſſimorum hominum ingeniis adtemperata! Nullæ barbaræ locutiones; Nullæ ſubtilitates Scholaſticæ; Nullæ inutilium Quæſtionum tricæ. August. de Civ. Dei Lib. II. cap. 19. *Non tanquam ex Philoſophorum concertationibus ſtrepere, ſed tanquam ex Dei oraculis & nubibus intonare* dicas, prout ſcitè Auguſtinus. At quàm citò nativus ille Evangelii decor evanuit! Quàm citò aurea illa ſimplicitas apud imperitos cœpit vileſcere, & otioſorum hominum, ac nimio plus ſapientium, figmentis incruſtari! Referamne Valentini Æonas, Marcionis ac Manetis ſomnia, Platonicas ſpeculationes, Ariſtotelicas ſubtilitates, vanos Ethniciſmi ritus, Sæculi faſtum ac ſuperbiam, in Eccleſiam irrumpentia? quaſi ſcilicet nimis jejuna, ſine illis additamentis, Chriſti fides eſſet futura. *Ingenioſa res fuit*, ait Eraſmus, *eſſe Chriſtianum*. Et *abſque Ariſtotele foret, multa defutura Fidei capita*, fateri non erubeſcit Cardinalis Pallavicinus. Tu ſcilicet id provideras, imò & cautum volueras, ô divine Gentium Apoſtole, dum ſapientiam 1. Cor. II. Coloſſ. II. 1. Timot. VI. Tit. III. Evangelicam à mundana ſapientia tanto ſtudio diſcriminabas, dum à Philoſophia & inani deceptione tantoperè cavendum monebas, dum ψευδώνυμον illam γνῶσιν, *falsò ſic dictam ſcientiam*, βεβήλους κενοφωνίας, *profanas vocum inanitates*, *ſtultas quæſtiones*, *pugnas de vocibus*, aliaque *vana ac inutilia*, tam iteratis monitis damnabas; quæ præcepta Chriſtianorum animis utinam altè infixa manſiſſent! Sed neque Vos, ô Lumina Eccleſiæ, ô puriorum temporum Theologi, evaneſcentem indies Chriſtianæ Fidei ſimplicitatem, ſine querelis ac indignatione ſuſtinere potuiſtis. Tertull. de Præſcript. cap. 7. *Quid ergo Athenis & Hieroſolymis?* exclamabat Tertullianus; *Quid Academiæ & Eccleſiæ? Viderint, qui Stoïcum, & Platonicum, & Dialecticum Chriſtianiſmum protulerunt.* Unde Gregorius Neocæſarienſis, Thaumaturgus vulgò appellatus, Gregor. Neocæſ. Lib. de Incarnat. & fide. eximium hoc præceptum tradit; *Ne Evangelicam doctrinam*, inquit, *curioſiùs quàm par eſt ſcrutemur, aridis vocibus inhærentes; & ne quæſtiones inextricabiles ac logomachias ſeminemus; pla-*

planumque ac rectiſſimum Fidei verbum, aſperum ſcabrúmque reddamus. Pariter Baſilius, Sæc. IV., anxiè queritur quòd Theologia in artem merè humanam converſa ſit; τεχνολογοῦσι, inquit, οὐχὶ θεολογοῦσιν οἱ ἄνθρωποι. At verò in argutam illam ac ſophiſticam Theologiam, nemo elegantiùs, nemo frequentiùs invehitur, quàm Gregorius Nazianzenus: Damnat nimirùm *illam de Deo diſſerendi rationem, quæ ſua ætate invaluerat, quæ, ſimplici ac ingenua tractatione relicta, tortuoſum atque involutum genus invexit*; Contrà eum impensè laudat, qui *castè ac modeſtè de Deo loquitur, ita ut quædam effari noverit, quædam premere, quorundam etiam ignorantiam fateri.* Unde, carmine de vita ſua, Theologos illos nimiùm argutos pro merito ſuggillat. Gregor. Nazianz. Orat. 34.

Γλῶσσαί τε λάβροι, καὶ πολύστροφοι πλοκαὶ, Id. Carm. de vita ſua
Ἐξ ὧν τὸ γ' ἁπλοῦν οἴχεται τῆς πίστεως,
Linguæ audaces, & multiplices textus,
Per quos ſimplicitas perit fidei;
Ἱστοί τ' ἀράχνης, σαθρὰ δεσμωτήρια,
Τὰ κοῦφα συνδέοντες, ἰσχυροῖς γέλως,
Telæque araneæ, imbecillus carcer,
Quæ levia illigant, ſed robuſtis ſunt riſus,
Ῥαγεῖεν, ἢ λυθεῖεν ἐν στεῤῥοῖς λόγοις,
Οἱ τ' ἐμπεσόντες ἐκφύγοιεν τοὺς βρόχους.
Rumpantur, aut ſolvantur validis ſermonibus,
Et qui inciderant, effugiant laqueos.

Hæc Gregorius; Quibus & concinit ejuſdem Sæculi Poëta Prudentius; Prudent. Apotheoſ. Hymno, in Ifind.

Fidem minutis diſſecant ambagibus,
Ut quiſque linguâ eſt nequior;
Solvunt, ligantque quæſtionum vincula,
Per Syllogiſmos plectiles.
Væ captioſis Sycophantarum ſtrophis,
Væ verſipelli aſtutiæ.
Nodos tenaces recta rumpit regula,
Infeſta diſſertantibus.
Idcircò mundi ſtulta delegit Deus,

Ut

Ut concidant ſophiſtica.

Poſtremò & Vos hic teſtes appello, ô cara Eccleſiis noſtris capita, ô beati in omne ævum Reformationis noſtræ auctores, qui, pro cætera veſtra ſapientia, Theologiam illam Scholaſticam, quæ Religionem peſſumdedit, ex Scholis veſtris proſcripſeratis, & novam Theologiæ formam, egregiam illam ſanè ac utiliſſimam, reduxeratis; Quorum exemplis utinam ſemper poſteri veſtri inſtitiſſent, neque miſeras Scholæ argutias præſtantiſſimæ illi ſimplicitati unquam prætuliſſent! Quando verò id quod factum eſt infectum fieri nequit, utinam hodierna gens literata, feliciori afflata ſydere, vanas tandem ambages ſuccidat, nec niſi ſimplicia ac rerum naturæ conſentanea ſectetur! Quod ſi fiat, quanta emendatio, & Theologiæ, & Philoſophiæ, & Hiſtoriæ, & Artis dicendi, exinde obortura ſit, prædicari ſatis non poteſt.

Nimius in his fui, AUDITORES; Reliqua ſtrictiùs ſunt attingenda. Velim igitur, Virum Literatum non perturbatè, ut plerique ſolent, ſtudiis incumbere, ſed accuratâ Methodo ſuos omnes labores dirigere; à claris ad obſcura, à notis ad ignota, ſibi ſemper gradum facere; & in rebus hiſtoricis, ordinem temporum maximè ſequi; Etenim dici non poteſt, quanta ſint Methodi compendia, & quantùm ad Scientias promovendas conferre queat. Velim eum, nec nimia lectione ingenium obruere, & cogitando ineptum reddere, nec viciſſim à lectione nimium abſtinere; quâ moderatâ, mirè excolitur & adjuvatur ingenium: Legat igitur optimos quoſque; His immoretur ac innutriatur; Verùm ita lectioni incumbat, ut ſecum ſemper habitet, & ſuo ſemper judicio fruatur. Velim eum, non latè nimis in Studiorum campo vagari, non ſæpe jam dicta repetere, non ſatis jam exculta tractare, ſed ſingularia quædam argumenta, minùs hucuſque elaborata, excolenda ſibi ſumere: Quemadmodum in doctis illis Philoſophorum Societatibus, quæ per Europam inſtitutæ ſunt, ſummo fructu fieri videmus. Quinimò velim, cum Viris eximiis, in condendis Syſtematibus tantoperè non laborari; vel ſi condantur, eorum de-

Methodus in Studiis.

Nec nimia lectio, nec nulla.

Senec. Epiſt. 2.

Studiorum campus non nimis extendendus.

Non citò nimis condenda Syſtemata.

defectus ingenuè agnoſci: Nec enim res ſit perfectè novimus, ut abſoluta omnibus numeris Diſciplinarum corpora exſurgant. Igitur materiam corradamus, diſquiſitionibus, experimentis; Et cum ſatis materiæ fuerit, tum de ædificio exſtruendo cogitabitur; Quemadmodum ſapienter monet Regiæ Scientiarum Academiæ nunquam ſatis laudatus Hiſtoricus. Porrò velim, in excolendis Scientiis, futilia reſecari; quorum quidem immenſum numerum in Diſciplinis omnibus occurrere, nemo qui vel tantillùm attenderit, negare poteſt; ſed quibus miſſis, longè plus otii ad utilia tractanda ſuppeteret. Certè, ſi, judice Quintiliano, una ſit ex virtutibus Grammatici *quædam neſcire*, quidni & Philoſophi, & Theologi, & Docti cujuſque, hanc etiam laudem dicamus? Velim ſpeciatim ac præ cæteris omnibus, pugnas de vocibus omitti; quibus quàm ſcatcant Diſciplinæ omnes, & quanta hinc mala oriantur, exemplis innumeris, cùm ſacris, tum profanis, tum antiquis, tum recentibus, Vir eximius probatum dedit; Cujus ſi monitis attenderetur, & Scientias mirè expurgari, & ad pacem Chriſtianorum, de vocibus perſæpe litigantium, viam fieri conſpiceremus. Sed nec velim, res quæ ſciri nequeunt, importunò temporis diſpendiò, ac vanâ induſtriâ inveſtigari; Cujus generis infinitæ exſtant, in Divinis præſertim, quæſtiones; ut, de Divinâ Eſſentiâ, de Decretis, de Noviſſimis, aliiſque idgenus; Quæ qui anxiè perveſtigaverit, cum ignariſſimis æquè intelliget; imò infra ignorantiam ipſam quodammodo conſtituetur, dum ea quæ non intelliget, ſe putabit intelligere.

Fontenelle Pref. de l'Hiſt. de l'Acad. Roy des Scien.

Futilia Scientiarum reſecanda.

Quintil. Lib. I. cap. 8.

Logomachiæ vitandæ.

Werenfelſ. de Logomach. Eruditor.

Quæ ſciri nequeunt, non inquirenda.

Verùm, AUDITORES, majora nos movent, &, quod caput eſt, tandem attingendum. Scilicet, ut Scientiæ emendarentur, atque in melius promoverentur, Literatos primùm emendari, & affectibus quibus ducuntur, ſuperbia, ambitione, invidia, zelotypia, partium ſtudiis, dominandi cura, & contendendi libidine, eorum purgari mentes oporteret; Siquidem

Literatorum affectus emendandi.

Nubila mens eſt,
Vinctaque frenis,
Hæc ubi regnant.

Boëth. de Conſol. Philoſ. Lib. I. in fine.

Equidem, ſive præteriti temporis memoriam recolo, ſive præſentium ſtatum intueor, ſive res Ethnicorum, ſive Eccleſiæ fata perluſtro, ſanè non aliam peſtem reperio, quæ plura Scientiis damna intulerit, quàm turbidi illi affectus, omnibus quidem mortalibus communes, ſed in Literatis (neſcio quô fatô, & contrà quàm par eſſet) crebriores vulgò ac vividiores. Enimverò, qui vana tument de ſe concepta opinione, qui ſe putant ſumma jam adeptos; qui ab aliis erudiri, vel quicquam à ſe erratum agnoſcere, turpe ducunt ac indecorum; qui ſuæ partis opinionibus ita mordicùs adhærent, ut ne latum quidem unguem ab eis divelli queant; qui é contrario reliquorum omnium ſibi mentes vellent ſubjicere; qui in Scientiis tractandis, non veritatem, ſed victoriam, quærunt; qui aliorum ſtudia & conatus invidis oculis cernunt, & maligno dente arrodunt; qui, rabidorum canum in morem, vel minimùm diſſentientes impetunt illicò atque inſectantur; qui denique ad vanam pompam, ad inanem oſtentationem, ſuos omnes labores dirigunt, & quicquid aliorum famæ ac laudibus accedit, ſibi detractum arbitrantur; quid boni, quid laudabilis, ab hujus indolis hominibus ſperes? quid niſi rixæ, tumultus, atque omne opus malum, præmonente Apoſtolo, ab *amaro* illo *zelo* ac æmulatione exſpectetur? (Jacob. III. ℣. 14. 16.)

Utilia quædam proponuntur. Sed ego non ſum illorum auctor; Ad me gloria non redundabit, Alius inde famam decerpet; Igitur, ne hæc admittantur, totis viribus obnitendum eſt. Egregia quædam proponuntur. Sed ſi ita eſt, ergo erravi, ergo deceptus ſum hactenùs; ergo alius oculatior, & laude ingenii præſtantior erit; Quod antequam confitear, cœlum prius terræ miſcebo.

(Horat. Epiſt. Lib. I. Epiſt. 18.)

Scilicet ut non
Sit mihi prima fides, & verè quod placet ut non
Acriter elatrem; pretium ætas altera ſordet;
Ambigitur quid enim? Caſtor ſciat an Docilis plus?
Brunduſium Numici meliùs via ducat an Appî?

Optima quædam proponuntur. Sed quis proponit? Homo nimi-

mirùm à partibus noſtris alienus. Plura non quæro; Apage hominem; Ne audiri quidem meretur: Quæcunque effatur, quæcunque ſcribit, eo ipſo falſa, damnanda, imò diris devovenda ſunt.

Nil intra eſt oleam, nil extra eſt in nuce duri.

Quæ quidem judicia, ut ut iniqua, ut ut inepta per ſe appareant, tamen, ſi verum proloqui liceat, quotidie inter Doctos fieri, & Scientiarum incrementis, plus quàm quicquam aliud, obeſſe experimur.

Horat. Epiſt. Lib. II. Epiſt. 1.

O ſi æquitas, ſi candor, ſi fides, illa partium ſtudia exſtingueret; ſi modeſtus de ſe ipſo ſenſus lucem aliunde mutuari, & proprios errores agnoſcere ſuaderet; ſi, non quis dicat, ſed quid dicatur, nullo livore, nulla ira, nullo odio expenderemus; ſi concordia, ſi mutuum auxilium, eadem ſtudia tractantes juvaret; ſi, *ut quiſque à nobis opinione diſſentit, eum ſtatim odio non haberemus*, quod *arrogantis & elati animi, non manſueti & comis eſſe*, ipſe Sadoletus Cardinalis ad Melanchtonem ſcribebat; ſi, cum hominibus humanè agentes, nonniſi vitiis atque erroribus bellum indiceremus; ſi contentio inter nos eſſet, non quis doctior, non quis acutior, non quis auctoritate ac fama prior, ſed quis melior, quis mitior, quis officioſior, quis veri & æqui ſtudioſior; ſi denique, ſedatis affectibus, & partium ſtudiis valere juſſis, in veritatem candidè inquirere, & undecunque oblatam amplecti, cum animo ſtatueremus, mihi credite, hæc longè optima, ad Scientiarum fines proferendos, methodus exiſteret.

Claror. Viror. Epiſt. Centum, Amſtel. 1702. Epiſt. 98.

Denique, AUDITORES, in emendandis Literarum Studiis, eorum præcipuè ſcopum ac finem emendari convenit; Ut ſcilicet ad pietatem & virtutes omnes dirigantur; Ut, in ſcrutandis Dei operibus, ad Opificem ſemper adſcendamus, ejus perfectiones miremur, ejúſque nos cultui atque obſequio totos addicamus. Enimverò, ſi, naturâ duce, res ipſas ſenſu vacuas, ad Dei gloriam tendere cernimus, quantò magis rationis compotes, quantò magis Literarum lumine colluſtratos animos, ad eum finem collimare oportet? Et, ſi *Epictetus*, in media licèt

Studia ad pietatem & virtutem dirigenda.

Epict. Arrian. Lib. I. cap. 16.

Ethniciſmi caligine, docet Philoſophos, ſi ſapiant, nihil aliud, ſive publicè, ſive privatim, quàm Hymnos Deo canturos, ejus laudes celebraturos, ei gratias acturos, quantò potius nos Chriſtianos, in hac Literarum ac Sacrorum luce, ita cogitare atque agere decet? Hanc igitur capeſſamus viam; Hoc nobis ſit propoſitum, hæc nobis mens, ac laborum meta. Sic Scientiæ, vanæ alioquin, ac nullius frugis futuræ, ſapientiſſimæ ſimul ac utiliſſimæ evadent. Sic Studia noſtra Deus proſperabit. Sic animis noſtris ipſe illabetur, noſque ſui ſimiles ac ſeipſo dignos effinget: Donec terræ vinculis ſoluti, ad ipſum veri fontem, in ipſam Dei regiam ac penetralia intromittamur.

Boëth. de Conſ. Phil. Lib. III.

Da, pater, auguſtam menti conſcendere ſedem;
Da fontem luſtrare boni; Da, luce reperta,
In te conſpicuos animi defigere viſus.
Diſjice terrenæ nebulas & pondera molis,
Atque tuo ſplendore mica: Tu namque ſerenum,
Tu requies tranquilla piis: Te cernere, finis,
Principium, vector, dux, ſemita, terminus, idem.

DIXI.

FINIS.

ORA-

ORATIO SEXTA
DE
SCIENTIARUM VANITATE
ET
PRÆSTANTIA.

Dicta eſt ſtatis ACADEMIÆ GENEVENSIS *Solennibus, die* XVIII. *Maii, Anno* M. DCC. V. *cùm Auctor quartum* RECTORATUS ACADEMICI *annum ageret.*

Digitized by Google

SAMUELI WERENFELSIO
SUO
THEOLOGO BASILIENSI
VIRO EXIMIO
CUI SI PARES MULTI EXISTERENT
NEC
DE SCIENTIARUM VANITATE
CONQUERI
NEC
EARUM PRÆSTANTIAM COMMENDARE
NECESSE ESSET

AMICO
QUALEM NEQUE CANDIDIOREM
TERRA TULIT NEQUE CUI DETUR
CONJUNCTIOR ALTER

EXIGUUM
AMORIS NON EXIGUI
MONUMENTUM PONIT

JOH. ALPHONSUS TURRETTINUS.

Digitized by Google

SENECA Epiſt. LXXXIX.

Stude, non ut plus aliis ſcias, ſed ut melius.

Digitized by Google

ORATIO VI.

DE

SCIENTIARUM VANITATE

ET

PRÆSTANTIA.

Viri Ampliſſimi, Patriæ Patres,

Princeps illuſtriſſime, Vóſque cæteri Hoſpites, quibus clarum à Proavis nomen,

Viri Reverendi & Celeberrimi, ſive Sacris tractandis, ſive bonis Artibus docendis, præpoſiti,

Præſtantiſſimi, Humaniſſimi, quotquot adeſtis, Auditores,

Digitized by Google

Voſque, Academiæ & Scholæ noſtræ alumni dilectiſſimi,

DE SCIENTIARUM vanitate & præſtantia, commodis & incommodis, perverſo rectóque uſu, diſſerturi accedimus. Quod argumentum, per ſe ſe nobile, his Solennibus aptiſſimum, & hac doctiſſimorum hominum Concione digniſſimum, quædam etiam neceſſitas nobis expreſſit. Cùm enim, annis ſuperioribus, de Literarum ſtudiis ex hoc ampliſſimo loco diceremus, &, tum eruditos noviſſimæ ætatis progreſſus, tum impendentia Literis fata, tum denique noſtras quaſdam de Studiis emendandis ac promovendis cogitationes, liberè ac ſine fuco, una atque altera Oratione exponeremus, duo exinde reprehenſionum, imò criminationum genera, ſibi invicem adverſantia, ſumus experti. Fuêre nempe, qui nimias Eruditionis humanæ laudes, nimia Virorum Doctorum, Philoſophorum in primis & Criticorum elogia, fuêre contrà qui nimium Diſciplinarum vulgarium contemptum, nimiam in vitiis Doctorum reprehendendis libertatem, crimini nobis verterent. Quarum quidem criminationum etſi altera alteram refellit, rem tamen ipſam expendere, & quæſtionem per ſe utiliſſimam, de VERO SCIENTIARUM PRETIO, ſub incudem revocare, operæ pretium nobis viſum eſt. Enimverò, AUDITORES, ſi ſapientis eſt, rem unamquamque pro merito æſtimare, non plus quàm par eſt, non minùs, ſingulis tribuere, æquam laboribus, æquam induſtriæ, æquam ſtudiis, materiam ſumere, quid dignius Viris literatis, qui in Scientiis addiſcendis atque excolendis ætatem agunt, quàm de illarum dignitate ac pretio rectè ſtatuere? Quod ſi fieret, nec vanâ ſuperbiâ, ob res plerumque inaniſſimas, Eruditorum vulgus tumeſceret, & ipſæ tamen Scientiæ, utpote naturali ſua præſtantia ſeſe extollentes, à contemptu & ſqualore, in quo jacent, vindicarentur. Non hîc igitur, AUDITORES, non hîc Cauſidicos acturi ſumus, qui nonniſi quæ cauſæ

Digitized by Google

cauſæ favent, in medium proferunt? Non circumforaneos illos pharmacorum propolas agyrtáſque imitabimur, qui de mercibus venditandis unicè ſunt ſolliciti: Nos Artis noſtræ vitia & laudes, Studiorum commoda & incommoda, ex æquo proferemus, æqua lance ponderabimus. Favete modò, ô Vos quos intueor, Viri omnium Ordinum Doctiſſimi, quorum dotes ſuſpicimus, quorum vigilias laudamus, quorum laboribus pretium ponimus, imò & quorum exemplis Literarum Studia potiſſimùm commendabimus: Quamobrem, ſi quid à nobis, prima ſtatim Orationis parte, contra Scientias dici videatur, id contra vos dictum non eſſe, neque veris ac genuinis Doctrinæ laudibus quicquam detrahere, ex addendis liquidò conſtabit.

Sic eſt, Auditores, quotieſcunque Literas, & Literarum magiſtras Diſciplinas ſeriò expendimus, multa profectò ſe ſe offerunt, quæ illas deprimere, eíſque, ſi non contemptum ac invidiam, certè minùs reverentiæ, minùs dignationis, conciliare videantur. Etenim, ſive *arctiſſimos limites*, quibus illæ comprehenduntur, ſive *rerum inutilium*, quibus ſcatent, farraginem, ſive *laborem* ac *moleſtiam*, quibus eas redimi oportet, ſive *vitia* quibus utplurimùm obnoxii ſunt earum cultores, ſive denique *pravos* quos edunt, tum in Civili Societate, tum in Religione, *effectus*, animo penſitemus, ſanè meliùs fortaſſis cum humano genere actum fore, ſi nullæ exſtarent Scientiæ, magna ex his omnibus oritur ſuſpicio. I. De Scientiarum Vanitate.

Nam ut de *arctis*, quibus continentur, *limitibus*, primùm dicamus, ô quàm exiguum eſt quod ſcimus! ô quantum eſt quod ignoramus! Quot in Scientiis planè ignota, & denſiſſimâ etiamnum caligine obvoluta? Quot ita dubia, ita incerta, ut de iis in utramque partem æquè ferè poſſit diſputari? Quot denique manifeſtò falſa, & cum puriſſimis rationis principiis è diametro pugnantia? ſiquidem, ut Tullius ſuâ ætate jam aïebat, *nihil tam abſurdè dici poteſt, quod ab aliquo* Virorum Doctorum & *Philoſophorum dictum non fuerit*. Tollite de I. *Quàm imperfectæ ſint Scientiæ.* Cicer. de Divinat. Lib. 2.

 doctri-

doctrina eruditiſſimi & celeberrimi cujuſque, quicquid erroneum, quicquid ineptum, quicquid dubium, quicquid obſcurum, quicquid temerario aſſenſu, quicquid præcipiti judicio aſſertum, quid tandem, AUDITORES, quid reſidui fore cenſetis? Qui docti cluent, vana utplurimùm eruditionis fama ſuperbiunt; Et qui re verâ ſunt Docti, eos vividiſſima propriæ ignorantiæ atque imbecillitatis conſcientia adſtrictos tenet. Quamdiu agitur de diruendis ac refellendis aliorum placitis, nec rationes deſunt, nec induſtria: At, cùm aliquid contrà aſſerendum, ædificandum, ſtatuminandum, hoc opus, hic labor eſt. Certè, ut Veteres Philoſophos mittam, quorum pars magna Pyrrhoniorum Academicorúmve, nihil eſſe certi ſtatuentium, Sectis ſe ſe addixerat, ut *Socratem* hîc ſileam, qui ſapientiſſimus mortalium ab Apollinis oraculo pronuntiatus, ipſe tamen *nihil ſe ſcire, niſi id unum*, profitebatur, ut *Tullium* hîc prætercam, acutiſſimi ingenii Virum, qui Academicam illam de rebus omnibus dubitationem in Latium intulit, & quæſtiones omnium maximas, putà de natura Deorum, de Animorum immortalitate, de Providentia, de Fato, de bonorum malorumque finibus, ita in utramque partem verſabat, ut nihil certi, nihil explorati, in iis omnibus eſſe contenderet, ut hos, inquam, miſſos faciamus, ipſa, ipſa hæc, quam vivimus, ætas, quæ anteriores omnes tanto intervallo ſuperat, quæ Artes omnes ac Scientias tantis incrementis locupletat, non tam nova in lucem profert, quàm veterum tenebrarum conſcientiam excitat, non tam nova nobis dogmata, quàm nova dubia ſuggerit, & quò plura retegit, quò plura docet, eò plura etiam ignorari à nobis demonſtrat.

Rem expendite, AUDITORES, &, ſi non omnes Diſciplinas, quod infiniti eſſet operis, *Philoſophiam* ſaltem, atque *Hiſtoriam*, animo luſtrate: Hinc humanæ mentis tenebras, dubia, errores, fluctuationes, non obſcurè cernere licebit.

PHILOSOPHIA *quam ſit imperfecta.*

PHILOSOPHIAM multi definiunt, *de rebus omnibus diſſerendi habitum*; Alii, *rerum humanarum & divinarum cognitionem.* At ubi tandem, ubi quærenda eſt, illa rerum omnium cognitio?

tio? Ubi illa de rebus omnibus diſſerendi peritia? Imò contrà, quàm imperfecta eſt, quàm manca, quàm dubii plena, quæ tanta ſibi vendicat, tanta promittit, Diſciplina? In Metaphyſicis, quot dubia? In Phyſicis, quot conjecturæ? in Doctrina de mente & Spiritibus, quæ caligo? In ſingulis, quàm omnia veriſimilia magis quam vera, & vera falſis quàm finitima? Adeò ut, qui optimè conjecerit, is proximè ad veritatem acceſſiſſe videatur. Enimverò, quàm obſcura eſt, quàm in abdito poſita Veritas, cùm ne id quidem inter omnes conſtet, quodnam ſit certum ac indubitatum rei certæ criterium? Evidentiam, dices. At, cùm ſæpiſſimè contraria ſentientes ſe rem evidenter concipere dicant, quâ tandem notâ, quôve arbitrô, vera evidentia à falſa ſecernetur? Addes, Deum bonum ac veracem, in iis quæ clarè concipimus, nos decipi non permiſſurum: Rectè dictum; At non hoc tamen eſt primum Veritatis omnis fundamentum, cùm ipſam Dei exiſtentiam, bonitatem, veracitatem, priori quodam fundamento niti oporteat. Et quid certius eſſe debuit, quàm corporum exiſtentia, quàm me loquentem, vos audientes, non mera phantaſmata, meras ideas, mera ſomnia, eſſe? Attamen Philoſophus noſtræ ætatis celeberrimus, corporum exiſtentiam ope rationis probari non poſſe, nec niſi ope fidei innoteſcere, aſſerit; Cùm interim nulla fides, nulla Revelationis notitia, nulla factorum Evangelicorum exploratio vel confirmatio, abſque ſuppoſita priùs corporum exiſtentia haberi poſſit. Et quid certius, quid exploratius, humanæ menti eſſe debuit, quàm contradictionem involventia à non involventibus, ſecernere? Attamen, aliquid infinito addi, plurimis res maximè repugnans videtur, dum alii contrà *infinitas infinitorum infinitates* nihil repugnare aſſerunt. Sed quid certius in primis, quid magis inconcuſſum, apud Philoſophos eſſe oportuit, quàm res evidenter ſecum pugnantes ſimul exiſtere non poſſe? Attamen, unum idemque corpus, unum ſimul eſſe & multiplex, magnum & minimum, excelſum & humile, glorioſum & viliſſimum, à ſe ipſo diſtare, & à ſe ipſo non diſtare, & plus à ſe ipſo diſtare quàm à ſe ipſo diſtat

Carteſ. Meditat. IV.

Eclairciſſ. ſur la Recherche de la Verité.

V 3 (quibus

(quibus quidem repugnantiis haud ſcio an ulla craſſior vel cogitando effingi poſſit) in hac ingenii, in hac Philoſophiæ, in hac bonarum artium luce, apud gentes excultiſſimas, Gallos, Germanos, Italos, Hiſpanos, non affirmari ſolummodò, ſed & intentatis, tum hujus vitæ, tum futuræ, ſuppliciis, quotidie obtrudi videmus. Quæ quidem eò non dico, AUDITORES, quaſi, vel nihil eſſe certi ſtatuam, vel inſanientis ullius ſapientiæ conſultus errem; ſed ut humanarum mentium tenebræ, Literatorum deliria, ipſarumque adeò Diſciplinarum imperfectio & vanitas, his exemplis conſpiciantur.

Quot porrò ſunt in natura Corporum, quot in Naturæ Phænomenis, ad quæ etiamnum vel acutiſſimi Philoſophorum cæcutiunt? Quid clarius, prima fronte, quid magis obvium videtur, quàm Motus? Attamen, quæ ſit illius natura, quid ſuperaddat corpori, quomodò communicetur, quid ſint illius gradus, quid habeat corpus duplo velociùs motum, plus quàm corpus duplo ſegniùs, hæc aliaque, licèt rerum omnium ſimpliciſſima, nos prorsùs latent, nec niſi *Deum ex machina* educendo exponi poſſe, hodierni Philoſophi fateri coguntur. Omnia in rerum univerſitate juxta Mechanices regulas fieri, & ex varia partium magnitudine, figura, ac motu, coaleſcere, rectè docent Recentiores: At, in ſingulis corporibus, in ſingulis phænomenis, quænam præcisè partium figura, quænam magnitudo, quinam motus requiratur, id nullatenùs affirmare licet. Cur lapis in terram decidat, nugatorium videtur quærere; Et ſummas tamen in eo occurrere difficultates, imperitus ſit qui ignoret. Quî fiat ut pro lubitu brachium vel pedem moveam, quî fiat ut exigua materiæ portio, quæ fructus nominatur, palato meo admota, me voluptate afficiat, contrà exigua ferri particula, dum carnem meam ſubit, triſtitiam in me pariat, quî fiat ut Gallicè dicturus, Gallicas voces, Latinè dicturus, Latinas, Germanicè dicturus, Germanicas, in numerato habeam, hæc aliáque Hominis miracula, quicquid jactemus, quicquid garriamus, Oedipo etiamnum indigent. Illa Cœlorum ſoliditas, quam Veteres ſomniaverant, ſolidiſſimè eſt confutata: At quomodo fluidiſ-

fluidiſſima illa, ex qua Cœli conſtant, materia, in tot vortices abierit, quomodo in majoribus vorticibus, minores planè diſtincti efformati ſint, quomodo varii illi vortices, licèt contrariis motibus præditi, ſe invicem non impediant; quomodo lucis communicationi non obſtent; quomodo materia concitatiſſima, quæ, juxta regulas motûs, erumpere faciliùs ac evolare debuerat, in centris vorticum ſit coagmentata, & globos illos igneos, quos vocamus Aſtra, confecerit; quomodo Terra, quæ in aphelio velociùs moveri debuit, in perihelio tardiùs, contrà in aphelio tardius, in perihelio velociùs procedat, prout ſummus noſtræ ætatis Mathematicus *Newtonus* evincit; quomodo denique immenſæ illæ fluidiſſimæ ſimul & agitatiſſimæ materiæ congeries, per tot annorum centurias, imò & millia, conſtanter perſtiterint; hæc omnia ſigillatim exponere, & dubia hinc naſcentia ſolvere, recentiorum Philoſophorum induſtriam vincit. Denique, ne innumera alia, quæ nos in Phyſicis latent, perſequamur, quis vel minimi animalculi, quis vel tenuiſſimi oleris, procreationem atque augmentum, per Leges phyſicas unquam expoſuit? Adeò, non dicam in puteo Democriti, ſed in denſiſſima tamen caligine, ſed in intimo quodam ſacrario, rerum naturæ conſilia & arcana recondita ſunt.

Newton. Philoſ. Natur. Princip. Mathem. Lib. II.

At fortaſſe perfectior eſt, fortaſſe minoribus laborat vitiis, rerum geſtarum memoria. Imò nihil imperfectius, nihil obſcurius, nihil incertius, quamcunque partem Historiæ ſpectes, ſive Veterem, ſive Recentem; ſive quæ temporum calculos ſubducit, ſive quæ facta ipſa narrat, ſive quæ illorum cauſſas rimatur; ſive quæ in rebus Politicis, ſive quæ in rebus Eccleſiæ, ſcripto conſignandis occupatur. Tria prima annorum millia (ſi pauca tantum exceperis, quæ in Sacris Literis traduntur) quibus in tenebris ſepulta, quantâ nocte obducta jacent? cùm non ante Olympiadas *hiſtoricum* tempus incipere, quicquid verò anteceſſit *obſcurum* ac *fabuloſum* eſſe, ille Romanorum eruditiſſimus Varro teſtetur; Quæ quidem epocha nonniſi in tertium quarti Millenarii Sæculum incidit. Quanta in rebus *Chaldæorum*, *Aſſyriorum*, *Ægyptiorum*, aliarúmque antiquarum gentium,

Historia *quàm ſit imperfecta.*

Varro ap. Cenſorin. de die nat.

tium, ignorantia & caligo? Quantæ, in ipſis *Græcorum* antiquitatibus, fabulæ, ineptiæ, nugæ, portenta? Juxta vulgatum illud Satyrici,

Juven. Satyr. X.

Et quicquid Græcia mendax
Audet in hiſtoria.

Quintil. Inſt. Orat. Lib. II. cap. 4. Unde & *Græcorum hiſtoricorum poëticæ ſimilem eſſe licentiam*; auctor eſt Quintilianus. Sed quid Græcos Romani irrident, cùm nec ipſi *Romanorum* Annales multùm hac in parte ſint tutiores, ſiquidem, vel fatente Livio, *Poëticis magis decora fabulis, quàm incorruptis rerum geſtarum monumentis*, primordia illorum fuêre: Imò verò, quæcumque ad captam incenſamque à Gallis Urbem, (hoc eſt, per trecentorum ſexaginta ſex annorum ſpatium) à Romanis geſta ſunt, tum ob nimiam vetuſtatem, tum ob raritatem literarum, tum ob incenſa pleraque illius ævi monumenta, inter incerta reponere non dubitat ipſe Livius. Verùm quid in antiquis moror, cùm omnium temporum populorúmque Hiſtoriæ, tot vitiis ſcateant, tot defectibus laborent, ut vix ullam plerìſque factis adhibere fidem liceat? Quoties Monumenta prorsùs deficiunt? Et quoties Monumenta ſpuria, vel ſaltem interpolata, genuinorum loco obtruſa? Quot Scriptores rerum ignari? Quot leves, imprudentes, vulgi rumoribus decepti? Quot, qui nullo rerum examine, nullo delectu, nullo judicio, anteriores exſcribunt, imò & Veterum errores atque lapſus ſuis cumulant? Quot in primis, quos, vel adulatio, vel ira, vel odium, vel lucri ſpes, vel invidiæ metus, vel amor patriæ malè ſanus, vel inconditus Religionis zelus, vel alia quævis partium ſtudia, à veri ſemita tranſverſos agunt? „Quidam, ait Seneca, incredibilium relatu „commendationem parant, & lectorem aliud acturum, ſi per „quotidiana duceretur, miraculo excitant. Quidam creduli, „quidam negligentes ſunt; Quibuſdam mendacium obrepit, „quibuſdam placet; Illi non evitant, hi appetunt; Et hoc in „communi de omnibus, qui approbare opus ſuum, ac fieri „populare non putant poſſe, niſi illud mendaciis adſperſerint.„ Unde *& neminem Hiſtoricorum aliquid non eſſe mentitum*, ipſe Hiſto-

Tit. Liv. Lib. I. init.

Tit. Liv. Lib. VI. init.

Sen. Nat. Quæſt. Lib. VII. cap. 16.

Vopiſc. in Aurelian.

Hiſtoricus Vopiſcus teſtatur. Notat *Cicero* in Bruto, & *Livius* in hiſtoria, mortuorum laudationibus, quæ ad illuſtrandam familiarum nobilitatem fieri ſolebant, hiſtoriam rerum Romanarum eſſe factam mendoſiorem; „Multa enim ſcripta in eis, „quæ facta non erant, falſos triumphos, plures conſulatus, ge„nera etiam falſa. Loquitur *Polybius* de duobus Hiſtoricis, Fabio & Philino, Romano altero, altero Pœno, quorum uterque belli Punici commentarios ſcripſerat, ſed ita ut Romanus Romanos, Pœnus Pœnos, ſemper laudaret. O præpoſterum ſtudium! ſed quo tamen pars longè maxima Hiſtoricorum infecta cernitur: Quam quidem in rem Poggium Florentinum ſic arguit Sannazarius;

Cicer. in Bruto cap. 16. T. Liv. Lib. VIII. cap. 40.

Polyb. Hiſt. Lib. I.

Dum patriam laudat, dum temnit Poggius hoſtem,
Nec malus eſt Civis, nec bonus Hiſtoricus.

Sanè, ſi Hiſtoricos ipſos audias, ſi Præfationes eorum legas, ſi eorum promiſſis, obteſtationibus, juramentis fidem adhibeas, crederes ne ſyllabam quidem à vero recedere; Ipſos *Maimburgios* & *Varillaſios*, natas ad omne mendacium pennas, veritatis ſtudio ductos atque accenſos dejerares. At ſi in rem ipſam inſpexeris, quæ fabulæ, bone Deus! quot figmenta deprehendentur? Et quomodo in rebus veteribus ac remotis fidem commodes, cum in vicinis ac hodiernis tam impudenter quotidie vim veritati illatam cernamus?

Neque verò Civilis tantùm, ſed & potiſſimùm ECCLESIÆ HISTORIA vitiis illis omnibus abundat. Etenim, quanta, primis Sæculis, Monumentorum penuria? Apoſtolis, viriſque Apoſtolicis, *de Libris ſcribendis parùm ſollicitis, utpote præſtantiore miniſterio, & pluſquàm humano, fungentibus*, prout notat Euſebius: Unde & Euſebius ipſe, qui quartô demùm Sæculô, & quidem jam adultô, ſcripſit, ſe ἐρήμην καὶ ἀτριβῆ ὁδὸν, *deſertam & à nullo calcatam viam* iniviſſe, in Hiſtoriæ limine teſtatur. Quot viciſſim ſpurii fœtus, quot Pſeudevangelia, Acta falſa, falſæ Epiſtolæ, temporibus illis adſcripta? Quot Scriptores rerum Eccleſiæ, minimo ingenio, judicii ferè nullius, σφόδρα σμικρὸς τὸν νοῦν, prout de *Papia* Euſebius? Et quis neſcit, quot

HISTORIA ECCLESIAST. *quam dubia ſit & imperfecta.*

Euſeb. Hiſt. Eccleſ. Lib. III. cap. 24.

Id. Lib. I. init.

Euſeb. Hiſt. Eccl. Lib. III. cap. 39.

X fabulis

fabulis ſcateant, quot putidis miraculis ac figmentis inquinentur innumeræ Sanctorum vitæ? Unde pluſquàm probabile ſit, quod à *Valerio*, Veronenſium Epiſcopo, & Cardinali, ſuo de Rhetorica Chriſtiana libro, memoriæ proditum eſt, pleraſque illas Martyrum vitas, quæ hodie venditantur, ab adoleſcentibus, in Cœnobiis, declamationum loco compoſitas, poſtmodùm in Cœnobiorum Bibliothecis repertas, pro genuinis habitas eſſe. In primis verò, quæ pars Hiſtoriæ, affectibus magis dedita, partium ſtudiis magis violata, quàm quæ de Eccleſiæ ſciſſuris & contentionibus diſſerit? Etenim, quotuſquiſque eſt Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſcriptor, qui Sectæ ſuæ impensè non faveat, reliquas non inſectetur? Quod quidem eò ſecuriùs faciunt, quòd non ſuam, ſed Dei cauſſam hic agere ſibi videantur. Quamobrem, non tam quid re verâ acciderit, non tam qualis quiſque fuerit, quàm quid hæc vel illa Secta diſſeminari velit, quid ejus interſit, quid ei expediat, ab Eccleſiæ Annalibus exquirere licet. Quæ quidem omnia, aliáque idgenus, qui attenta mente perpenderit, næ apud illum Hiſtoriæ fides ac reverentia non parùm nutabit.

Vid. Mercure Galant, Dec. 1695.

Jam, ſi per cæteras omnes Diſciplinas exſpatiari pariter liceret, quàm imperfectæ etiam, quot ſpinis, quot dubiis obſitæ reperirentur? ARTE MEDICA quid incertius? Latent utplurimùm morborum cauſſæ; Et, ſi generalia quædam principia, & medicamina non multa excipias, in cæteris nihil tuti eſſe, & meris ſæpiſſimè conjecturis agi, ipſi illi inter Medicos, qui agunt candidè, fateri coguntur. In ſtudio JURIS, quot nodi? Quid naturâ liceat, quid non, quoties ambigitur? Et Romani Juris tabulas, confusè admodum ac perturbatè à Triboniano digeſtas eſſe, ſive præcipitantiâ id egerit, ſive malô animô privatiſque affectibus, utpote qui jus vendidiſſe, & Leges pretio fixiſſe ac refixiſſe à Suida & Hotomano noſtro accuſatur, nemo in Legibus verſatus ignorat. Denique, in DIVINIS etiam, nos ex parte ſolùm cognoſcere, ex parte prophetare, nonniſi per ſpeculum, & opaciſſimum quidem, intueri, & de Dei eſſentia, attributis, conſiliis,

MEDICINA, JURISPRUDENTIA, THEOLOGIA, *quàm imperfectæ.*

Vid. Suidam in voce *Tribonian.* & Hotomani *Anti-Tribonian.* cap. XI. & XII.

1. Cor. XIII.

liis, infantium more balbutire, quodque triſtius, nos nativam illam Divinorum obſcuritatem proprii cerebri figmentis augere, experimento plus ſatis conſtat. Adeò ut qui univerſum Diſciplinarum orbem luſtraverit, non poſſit non, cum Viro magno, in hæc verba erumpere;

Qui curioſus poſtulat totum ſuæ
Patere menti, ferre qui non ſufficit
Mediocritatis conſcientiam ſuæ,
Judex iniquus, æſtimator eſt malus
Sui, naturæque; Nam rerum parens,
Libanda tantùm quæ venit mortalibus,
Nos ſcire pauca, multa mirari jubet.

II. *Inutilia quibus ſcatent Scientiæ.*

Verùm enimverò, AUDITORES, ſi modò pauca illa quæ ſcimus, utilia ſaltem eſſent, ſi modò anguſti illi Diſciplinarum limites nonniſi præſtantia & conducibilia complecterentur, eſſet aliquod profectò ignorantiæ noſtræ ſolatium, eſſet aliquid cur Diſciplinas, mancas licèt ac dubii plenas, in pretio haberemus. At quàm pauca, in illis omnibus, quæ ad uſum ſint accommodata? Quàm pauca, quæ, vel perfectiores, vel beatiores, nos efficiant? Quàm pauca, quæ, vel mentem ſanam, vel corpus ſanum, nobis præſtent? Quàm pauca, quæ, vel ad præſentis vitæ commoda, vel ad futuræ beatitatem, ſpectent vel minimùm atque dirigantur? Sumite Diſciplinas omnes, omnia Doctorum genera, omnes, qui de Scientiis prodierunt, & quotidie prodeunt, libros; Sanè partem longè maximam in vanis ac ſuperfluis occupatam deprehendetis: Niſi fortè, vel in literarum apicibus anxiè exagitandis, vel in nugis Rabbinorum nugaciſſimis congerendis, vel in vanis Scholaſticorum ſubtilitatibus, vel in putidis Alchymiſtarum deliriis, vel in contemptiſſimis auctoribus evolvendis ac compilandis, vel in rebus quas omnes nôrunt, quæ ab ancillis noſtris dicuntur, ſub nomine Patrum Eccleſiæ, emphaticè proferendis, vel in crambe centies cocta, in rebus millies jam dictis, iterùm iterúmque exſcribendis, vel in utiliſſima quæſtione, utrùm Achilles infans leonis medulla nutritus fuerit,

vel in ſaluberrima Syllogiſmorum in *Baroco*, *Bocardo*, &c. diſtributione, vel in momentoſo doctrinæ capite, quanam ex terræ ſpecie Adami corpus deſumptum fuerit, vel in omnibus Eccleſiæ fatis, in qualibet Scripturæ pagina, in hiſtoria Creationis, in Cantico Canticorum, in Oratione Dominica, in Epiſtolis Apocalypticis, & ubi non? miro acumine reperiendis, vel in Decretorum Divinorum ordine, non operosè tantùm, ſed & iracundè aſſignando, cùm tamen conſtet nullum talem ordinem in Deo ipſo reperiri, omniáque unico illum ac ſimpliciſſimo actu ſtatuere, vel in ſexcentis ejuſmodi Virorum Doctorum diſquiſitionibus, magnum operæ poſitum pretium eſſe videatur.

O curas hominum! ô quantum eſt in rebus inane!

Vid. Senec. Epiſt. 86.

Naturam accuſamus, quòd tam brevis ævi nos fecerit; Et nos labore importuno, breve nobis tempus facimus. Artem longam conquerimur; Et nos, inutilium perveſtigatione, longiorem illam præſtamus. Tot neceſſaria nos fugiunt; Et ſupervacanea ſectantes, operam abutimur, tempus terimus.

III. *Labor ac moleſtia, quibus Scientiæ conſtant.*

Quòd ſi tamen illa omnia, vel nullo à nobis labore, vel exiguo ſaltem, diſcerentur, tolerari quodammodo illæ Studiorum ineptiæ, illa temporis diſpendia, poſſent. At quantus labor, quanta moleſtia, in his parandis, ſubeunda? Quam difficiles hæ nugæ? Quot vigiliis, quot ſudoribus, quot crucibus, ſunt redimendæ? Neque ſolùm quietis jactura, & labore plus quàm ſervili, ſed valetudinis diſpendio, ſed lippitudine, cæcitate, pallore, macie, tabe, ſed vitâ languidâ, ſenectute præpropera, morte immatura, utplurimum conſtant. Adeò verum eſt illud eruditiſſimi & ſapientiſſimi Regis effatum, *Qui addit ſcientiam, addit & dolorem*: Unde & hanc doctrinæ ſitim, inter ſtultiſſima mortalium vota, inter *vanitates vaniſſimas*, nec niſi moleſtiarum ac ærumnarum procreatrices, non dubitat annumerare.

Eccleſiaſt. I. 18.

IV. *Doctorum non, aucorum Vitia ac nævi.*

At verò nihil hæc ſunt, AUDITORES, nihil hæc ſunt præ Vitiis, quæ ex Studiis ortum ducere, & Literatorum plerorumque animis, neſcio quo malo fato, adhæreſcere videntur.

Digitized by Google

tur. Enimverò, quot ſunt inter illos, qui memoriam tantum onerantes, miſerè utplurimùm de rebus judicant? O virum magnum, cujus in capite tot Lexica comprehenduntur! O virum præconio dignum, qui, ſi quid boni proferendum haberet (nihil autem habuit hactenus) tot variis linguis efferret! Quot rudes, tetrici, inofficioſi, nihil habentes liberale præter nomen? Quot uſu rerum expertes, in exemplis, in inſtitutis, in moribus ac voluntatibus civium ſuorum hoſpites, ſicque rebus gerendis inepti? Quot, qui, poſthabito omni examine, conceptis placitis mordicus adhærent? Quot, qui veri ſtudio planè vacui, affectibus unicè ſerviunt? Quot, qui ſe putant ſcire quæ neſciunt, qui inanis gloriæ vento tument, qui ſe mortalium ſapientiſſimos & præſtantiſſimos exiſtimant, alióſque omnes præ ſe contemnunt? Quot, qui de rebus minimis pugnant, & vel minimùm diſſentientes unguibus lacerant, dentibus arrodunt? Quot, qui iracundiæ, odiis, ſuperbiæ, zelotypiæ, ac dominandi libidini, ſine pudore vel modo indulgent, eò uſque ut *odium Theologicum* in proverbium abierit? Quot denique, qui, *adverſus ſua vitia facundi*, prout de Philoſophis Ethnicis Minutius, ea quæ damnant in aliis, perpetrare ipſi non verentur? Quæ quidem vitia, non paucis quibuſdam, ſed Literatis pleriſque ſolennia, quantùm dedecoris, quantum invidiæ, Literis ipſis ac Scientiis pariant, ſatis pro merito ingemiſcere ac lamentari non poſſumus.

Cicer. de Oratore Lib. II.

Minut. Felix. in Octavio.

V. *Quantùm publico commodo noceant Literæ.*

Atque hinc etiam patet, Auditores, quantùm nocumenti ex Literis, non in privatam modo rem, ſed publicam, non in res modo civiles, ſed & in ipſam Religionem, accreſcere videatur. Enimverò, quot eſſe cenſetis, qui, inani Studiorum obtentu, & ſibi ipſis, & reliquis, & Orbi, & Eccleſiæ, inutilem planè vitam degunt? Quam quidem in rem notabilia ſunt, quæ diſſerit Maximus Tyrius, eo ſermone quò vitam activam contemplativæ anteponit. Scilicèt, aliquem inducit, qui velut conditor urbis aut præfectus, mortales omnes in hanc vitæ lucem advenientes excipiat, ſciſciteturque à ſingulis,

Max. Tyr. Diſſert. V. p. 58. 59. Edit. Oxon.

 gulis,

gulis, quodnam opus, quam utilitatem, in Rempublicam ſint collaturi. Et Architectus quidem reſpondet, ſuum eſſe domos exſtruere, quibus ab injuriis æſtûs ac frigoris ſe ſe mortales tueantur; Textor, ſuum eſſe licio & ſubtemine veſtes contexere; Faber lignarius, aratrum, grabatum, aliáque hujuſmodi, ſibi deberi; Faber ærarius ac ferrarius, quicquid belli paciſve tempore ære vel ferro fabricatur: Unô verbô, quiſque ſuam ſymbolam, quiſque ſuam operam confert; Solus Literatus, ſolus Philoſophus, ſe in otio vitam ducere, ſe naturæ contemplationi ac ſtudiis tacitum incumbere, reſpondere ſuſtinet; Qua de cauſſa, à rerum Arbitro, tanquam inutile pondus, increpatur. O locum inſignem, & his temporibus, non minùs quàm illis, aptiſſimum! Etenim, quot ſunt Literas profeſſi, quot titulo tenus Doctores, quot Collegiorum Socii, quot Cœnobiorum incolæ, quot Canonici, Præſules, Abbates, quibus otii rationem reddere vix ac ne vix quidem licuerit? ſi ſutores,, ſi ſartores eſſent, utiliorem longè operam in publicam rem collaturi. At hoc parùm eſt, nihil juvare: Sed quot damna, quot incommoda, ex Literis oriuntur? Quot opiniones peſtiferæ, & humani generis paci, ſecuritati, ſaluti, adverſæ? Quot turbæ, quot rixæ, quot bella, à Literatis excitata? Et quis neſcit, nuſquam plùs ægrorum, quàm ubi plures ſunt Medici; nuſquam plùs litium, quàm ubi plures Juris periti; nuſquam minùs rationis, quàm ubi plures ratiocinantium ac philoſophantium argutiæ; nuſquam minùs virtutis, quàm ubi plures definiendarum ac dividendarum virtutum Magiſtri; nuſquam minùs pietatis, quàm ubi plures habitu ac ſermonibus pietatis ſtudia præ ſe ferentes? Et unde, quæſo, Errorum contagia, unde Hæreſium ac Schiſmatum fomites, unde vitiorum patrocinium, unde Atheïſmi ipſius fœditas malè ſanis rationum offuciis ac pigmentis incruſtata? Denique unde Religionis à Chriſto traditæ decor exſtinctus, unde vis ejus deperdita, unde majeſtas violata, &, ex cœleſti vitæ inſtituto, in aridiſſimam quandam Diſciplinam, nullius ad pieta-

pietatem, nullius ad virtutem uſûs, converſa? Quis non videat mala illa omnia non aliis quàm Literatis accepta ferenda eſſe? O redeant igitur, redeant, prima illa Eccleſiæ tempora, rudia quidem, ſed feliciſſima, quibus minùs ſcientiæ, plùs pietatis, minùs argutiarum, plùs virtutum, minùs ſermonum, plus factorum, ad rei Chriſtianæ ſummam & complementum requirebatur!

II.

DE SCIENTIARUM PRÆSTANTIA.

ET hactenus quidem, AUDITORES, Scientiarum mala & incommoda liberè expoſuimus; Nunc viciſſim earum laudes & commoda enarranda ſunt. Hactenus eas plus juſto deprimere atque damnare viſi ſumus; Nunc earum commendatio ac defenſio ſuſcipienda eſt. Neque tamen dicta refigere, vel nobiſcum ipſis pugnare, hac in parte neceſſe erit: Quippe ut laudes Scientiarum earumdem vitia non delent, ita nec earum defectus juſtas laudes poſſunt deterere. Imò verò, ſi rectè putentur quæ adversùs Literas attulimus, ſanè hominum potiùs vitia, quàm Literarum, eſſe conſtabit. At ſi illæ, ut decet, tractentur, ſi ad legitimos uſus referantur, dici non poteſt quem ornatum, quam voluptatem, quos fructus, quæ commoda, humano generi ſint allaturæ.

Et primò quidem, quid pulchrius, quæſo, quid majus, quid nobilius, quid homini convenientius, quàm notitia rerum illuſtrari, quàm illis ideis, illis præceptis, quæ in Scientiis traduntur, imbui? Quantus hinc ornatus mentis? Quanta intellectûs perfectio? Imò quanta totius hominis dignitas ac præſtantia? Nam ratio quidem hominem conſtituit; At niſi illa, Literarum ope, excolatur atque informetur, ſanè rubiginem ex ſe contrahit, & vix leviſſimam quandam nativi decoris ſpeciem ſervat. Et cùm cæteræ mortalium artes, vel corporis neceſſitati, vel ornamento inſerviant, ſolæ Literæ animum ipſum (qua ſola parte Homines ſumus) perficiunt atque exornant; ſolæ à ferarum ritu nos abducunt, & ad Deum attollunt; ſolæ hominem humanitati, hoc eſt,

eſt, ſibi ipſi reſtituunt. Ut verè dictum ab Antiquis fuerit, non magis oculatum à cæco, non magis hominem à bruto, non magis vivum à mortuo, quàm Literatum à Literarum rudi diſtingui.

Neque verò alium in finem nos natura procreavit, nobis hanc lucis uſuram indulſit, quàm ut, primo rebus cognoſcendis, deinde etiam vitæ juxta cognitionem illam inſtituendæ, operam daremus; Quibus duobus capitibus Diſciplinæ omnes continentur. Etenim, abſque his ſoret, *niſi ad hæc admitteremur*, ut veriſſimè Seneca, *non fuerat operæ pretium naſci. Quid enim erat*, addit ille, *cur in numero viventium me poſitum eſſe gauderem? An ut cibos & potiones percolarem? ut hoc corpus caſurum ac fluidum, periturúmque niſi ſubinde impleatur, farcirem, & viverem ægri miniſter, & mortem timerem, cui omnes naſcimur? Detrahe hoc inæſtimabile bonum, non eſt vita tanti, ut ſudem, ut æſtuem. O quàm contempta res eſt homo, niſi ſupra humana*, contemplatione & Diſciplinis, *ſe erexerit!* Rectè dictum, imò rectiſſimè. Enimverò, quo tandem fine, quo conſilio, qua ſapientia, eximiam illam Mentem auctor naturæ Deus condidiſſet, tot ideis rerum inſtructam, tot artibus idoneam, quæ præterita recondat, futura anticipet, Cœlos conſcendat, Aſtra metiatur, res ſpirituales pariter & corporeas intelligat, veri & falſi, juſti & iniqui, honeſti & turpis, diſcrimina noverit, quotsùm, inquam, excelſam illam ac verè divinam Mentem, niſi ut præclaræ illæ facultates in actum exſererentur, niſi ut nos Sapientiæ ſtudiis natos fabricatóſque eſſe conſtaret?

Senec. Natur. Quæſt. Lib. I. Præf.

Et quid aliud, obſecro, nos docet, illa mortalium omnium animis ingenita diſcendi cupido, quæ, quò ingenia excelſiora ſunt, eò etiam vividiorem & acriorem ſe prodit? Et quid aliud monet dulcis illa, quæ, in rebus cognoſcendis ac detegendis, ſentitur voluptas? unde tritum illud εὕρηκα, εὕρηκα; imò & hecatombe, ob unum Matheſeos inventum, oblata. Nam cæteræ quidem voluptates ſatietatem tandem & faſtidium ſui pariunt;

pariunt; Hæc nova ſemper, ac ſui ſimilis, neque faſtidio ullo turbata. Cæteræ turpes non rarò; Hæc puriſſima, & prorsùs divina. Cæteræ, neque temporum ſunt, neque ætatum omnium, neque locorum; „Iſta per omnes ætatum ac tem„porum differentias ſe ſe diffundit; ſiquidem hæc ſtudia ado„leſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res or„nant, adverſis perfugium ac ſolatium præbent, delectant do„mi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinan„tur, ruſticantur. Cicer. Orat. pro Arch. poët.

At nolite vanam ac ſterilem voluptatem illam cenſere; Quippe eximii fructus in Literis, eximia ad vitam omnem documenta continentur. Illæ ingenium acuunt; Illæ judicium dirigunt ac firmant; Illæ, de rebus omnibus propoſitis, non faciliùs tantùm, ſed & aptiùs diſſerere docent; Illæ, de regulis vitæ, de Societatum juribus, de Sacrorum ritu, (quæ quidem omnium intereſt nôſſe) ſapienter pronuntiare ac deligere nos faciunt; Illæ denique, ad mores formandos, caſtigandos, emolliendos, feritatem depellendam, cupiditates frænandas, otium profligandum, honeſtatem omnem ac virtutem, tum præceptis, tum exemplis, ingenerandam, ſunt aptiſſimæ. Qui quidem fructus, ſi aliquando in Illiteratis obſerventur, quantò meliùs, quantò perfectiùs, Literarum ope matureſcent? vel ſi contrà in Literatis ſæpiſſimè deſiderentur, nulla profectò Literarum, tota hominum, culpa cenſenda eſt.

Verùm, AUDITORES, ſi ſingulis hominibus, quantò magis Societati, ſi ad privata commoda, quantò magis ad publica, non utiles duntaxat, ſed & neceſſariæ ſunt Diſciplinæ? Quippe Munera illa omnia, officia, auxilia, quibus homines colligantur, quibus à ſe invicem juvantur, ſine Literis ſtare nequeunt. Enimverò, unde *Magiſtratus*, qui jura populis deſcribant, ſuum cuique tribuant, civium inter ſe diſſidia componant, de Republica conſilia capiant, capta aliis approbent, probata ad exitum ducant, ex præteritis exempla deſumant, de futuris ritè augurentur, quid faciendum,

Digitized by Google

quid omittendum, in quolibet caſu pronuntient, Legationes obeant, verba in Senatu, verba ad Populum, quoties opus fuerit, faciant, unde hæc omnia, niſi ex Literis? Et unde *Myſtæ*, qui Sacra doceant, certa aſſerant, dubia explicent, errores arguant, vitia profligent, contumaces terreant, afflictos ſolentur, dicendo teneant Chriſtianorum cœtus, mentes alliciant, voluntates impellant quò velint, & unde velint deducant, unde hæc omnia, niſi ex Literis? Et unde *Patroni*, qui cauſſas agant, conſilii indigos juvent, clientium honorem, fortunas, imò & vitam tueantur? Et unde *Medici*, qui vitæ ſuccurrant, humani corporis fabricam intelligant, pharmacorum vires noverint, eiſque ad depellendos vel præcavendos morbos utantur, unde hæc omnia, niſi ex Literis? Denique, unde tot præclara *Mechanicarum* Artium inventa, quibus innumera toti hominum generi, tum utilia, tum dulcia, parantur? Unde illa, ſaltem pleraque, niſi ex Literarum fonte deducta?

Cicer. de Orat. Lib. I.

Ite, AUDITORES, ite per omnia, & univerſum, quà ſe ſe diffundit, Diſciplinarum campum luſtrate; Sanè omnibus ſua eſſe commoda, ſuos uſus, comperietis. *Linguæ*, eruditionis omnis ſunt veluti claves & organa, quibus quicquid eximium, quicquid literatum, quicquid expolitum, univerſa Vetuſtas habuit, oculis noſtris ſubjicitur, ac veluti reſeratur. *Poëtæ*, *Oratores*, delectant, ornant, alliciunt, cogitata enuntiare docent, præcepta leniter in animos, & quidem *melius* aliquando *Chryſippo & Crantore*, inſtillant. *Philoſophia* mentem dirigit; facem Diſciplinis omnibus præfert; verum à falſo, certum ab incerto, æquum ab iniquo, diſtinguere docet; rerum naturam, ſi non perfectè, at quantum hactenus licuit, revelat. *Jus*, in variis civitatibus, quid agendum ſit, edocet, & ad lites dirimendas facit. *Ars Apollinea* mortalitati, quantùm poteſt, opitulatur. *Mathematicæ* Diſciplinæ per omnes belli pacíſque artes uſum ſuum extendunt, & Aſtra, terras, maria, flumina, totam denique corporum compagem, hominum commodis inſervire cogunt. *Hiſtoria*, quid? exempla

Horat. Epiſt. Lib. I. Ep. 2.

pla ſuggerit; &, in hac vitæ brevitate, nos omnibus quaſi ætatibus, omnibus terris, præſentes ſiſtit; ut omnium, qui unquam vixerunt, tum benè, tum pravè geſtis, tum ſucceſſibus, tum inſortuniis, tanquam ſi nobis ipſis accidiſſent, inter agendum adjuvemur. Quorum omnium qui utilitatem ac præſtantiam negaverit, ſanè mortalium iniquiſſimum aut ineptiſſimum eſſe, neceſſe eſt.

Quid, quòd ingenii monumentis, & latè patens uſus, imò & æternitas quædam, ſi ita loqui liceat, ex Literarum ſtudiis accedit. Loquens Plinius, ſi benè memini, de Aſinio illo Pollione, qui primus Bibliothecam Romæ dicaverat, cum *ingenia hominum rem publicam feciſſe*, aſſerit. Et Plinius alter, quadam in Epiſtola, de Hiſtoriæ laudibus agens, dicit eam *non pati occidere, quibus æternitas debeatur.* Dicta ſplendidè, & ad Literarum commendationem aptiſſima! Cùm enim breviſſimi temporis uſuram ſingulis hominibus natura dederit, & exigui menſurâ corpuſculi uni terræ angulo velut alligentur, quid ingenium, quid eruditio, quid prudentia, quid virtus, quid rectè facta dictáque omnia, quid illa, inquam, eſſent, quas in auras evaneſcerent, quantuli eſſent pretii, quantulo ſpatio continerentur, niſi Literarum auxilio, per omnem Sæculorum decurſum, & ad ultimos Populorum fines, pari auctorum gloria, & legentium emolumento, ſpargerentur?

Plin. Hiſt. Nat. Lib. XXXV. c. 2.

Plin. Epiſt. Lib. V. Epiſt. 8.

At verò ſummus, AUDITORES, qui ex Literis naſcitur fructus, in humanis non terminatur; ſed ad Dei notitiam & cultum, &, quæ ex utroque exſurgit, veram & perfectam hominis felicitatem, pertinet. Hinc ad Deum ſurgimus, cujus dum opera intuemur, non poſſumus quin Opificem agnoſcamus atque admiremur. Hinc animi à corpore ſecretio, & quæ hinc ſequitur immortalitas, haud fallaci ſe indicio prodit; ſiquidem (ut *Tullius*, Ethnicus licèt, arguebat) „cùm tanta celeritas animorum ſit, tanta memoria præteri„torum, futurorum prudentia, tot artes, tantæ ſcientiæ, tot „inventa, ſanè non poteſt ea natura, quæ tantas res continet,

Cicer. de Seneɛt.

„merè corporea ac mortalis eſſe.„ Hinc cæterarum omnium, quas Orbis coluit, Religionum vanitas ac ineptia, Chriſtiani verò ritûs præſtantia & dignitas, nullo negotio dignoſcuntur; Quod quidem non ignoratum Chriſtianorum illi acerrimo, ſed & ſagaciſſimo hoſti *Juliano*, qui inter artes, quibus uſus eſt ad Chriſtianam rem peſſundandam, hanc adhibuit, quòd Liberales Artes, Grammaticam, Poëticam, Rhetoricam, Philoſophiam, Chriſtianis tradi vetaret; gnarus ſcilicet excultum his literis ac præparatum animum, inepta Paganorum Sacra ſapientiſſimæ Chriſti diſciplinæ non facilè antelaturum. Et quid de Sacris Literis dicam, quarum qui textum intelligere, veteres Verſiones tractare, Interpretum opem implorare, obſcuris lucem inferre, in ſpeciem pugnantia componere, totam doctrinam rectè concipere, exponere, illuſtrare, ſine Linguarum, ſine Critices, ſine veterum conſuetudinum, ſine rerum naturæ peritia, ſine exculto denique bonis artibus animo, ſperet, pariter cum eo faciat, qui ſine oculis lùcem, ſine auribus ſonos percipere, in animum induxerit. Et quomodo Controverſiæ Chriſtiani Orbis tractari, ſophiſmata ſolvi, offuciæ diſpelli, errores revinci, ſuperſtitio abjici, verus Sacrorum ritus, vera Religionis facies redire, ſine adhibito earum omnium Diſciplinarum auxilio, valeant? Quod quidem experimento evidenter comprobatum eſt; dum, collàpſis in Europa Literis, Sacra miſerum in modum corrupta, at reſtitutis Literis, Sacra etiam fauſtis auſpiciis inſtaurata ſunt. Denique illa rerum omnium, potiſſimùm Divinarum, meditatio, ſi in generoſum pectus inciderit, dici non poteſt quàm illud erigat, ſupra mortalia omnia extollat, &, originis ſuæ conſcium, nonniſi ad cœleſtia & divina adſpirare faciat. *Tunc divitum pavimenta ridet*, ut hic quoque Senecæ verba uſurpemus, *& totam cum auro ſuo terram*; Tunc *contemnit porticus*, *& lacunaria ebore fulgentia*, *& tonſiles ſylvas*, *& derivata in domos flumina. Imò & totum terrarum orbem supernè deſpiciens*, *ſibi ipſe ait*, *Hoc eſt punctum*, *quod inter tot gentes ferro & igni dividitur? O quàm ridiculi ſunt mortalium ter-*

Sozom. Lib. V. cap. 18. Theodor. Lib. III. cap. 8.

Senec. Natur. Quæſt. Lib. I. Præf.

termini! Cùm te in illa verè magna ſuſtuleris, quoties videbis exercitus ſubrectis ire vexillis, libebit dicere,

It nigrum campis agmen.

Formicarum iſte diſcurſus eſt, in anguſto laborantium. Quid illis & nobis intereſt, niſi exigui menſura corpuſculi? Punctum eſt illud, in quo navigatis, in quo bellatis, in quo regna diſponitis. Surſùm ingentia ſpatia ſunt, in quorum poſſeſſionem animus admittitur. Cùm illa tetigit, alitur, creſcit, ac velut vinculis liberatus, in originem redit. Et hoc habet argumentum divinitatis ſuæ, quòd illum divina delectant, nec ut alienis intereſt, ſed ut ſuis. Tunc contemnit domicilii prioris anguſtias. Illic diſcit quod diu quæſivit; Illic incipit Deum nôſſe. Sic demùm magnitudo ſua illi redditur, quâ nihil majus excogitari poteſt. Hæc inſpicere, hæc diſcere, his incumbere, nonne tranſilire eſt mortalitatem ſuam, & in meliorem tranſcribi ſortem? Hæc Seneca, divinè prorsùs; Quibus quidem ſi Chriſtianos, non Stoïcos ſenſus ſubjeceris, ſi accuratum Numinis conceptum, ſi expurgatas Cœleſtium notiones, ſi denique non fluctuantem, qualem Seneca habuit, ſed certam ac indubitatam vitæ futuræ expectationem, quantùm roboris toti huic ſermoni, quantùm pretii ipſis Scientiis, acceſſurum exiſtimatis?

III. *Quæ dicta ſunt de* Vanitate Scientiarum *earum* Præstantiam *non tollere,*

Quæ cùm ita ſint, Auditores, quis Literarum præſtantiam, quis earum fructus & commoda, in controverſiam vocare poſſit? Neque verò ex ante dictis, ſi modò rectè attendantur, quicquam in contrarium colligere licet. At Scientiæ imperfectæ ſunt; at anguſtiſſimis terminis incluſæ; Verum

Eſt quodam prodire tenus, ſi non datur ultrà.

Neque ſi ſumma deſperamus; ideò turpe cenſendum eſt in ſecundis tertiiſque conſiſtere. At nihil certi, nihil explorati, in rebus humanis occurrit: Sed, qui hoc aſſerit, nonne hoc ſaltem pro certo ſtatuit, nihil certi eſſe? Rursùs, qui hoc aſſerit, nonne certus eſt ſe hoc aſſerere? ut & ſe, dum hoc aſ-

ſerit, non merum nihil eſſe? imò & ſe, hoc aſſerentem, rem cogitantem, intelligentem, ratiocinantem eſſe? Quibus omnibus cùm rei evidentia vel nolentes aſſentiri cogat, hinc ſequitur, quicquid ita liquet, ut de eo dubitari nequeat, certum pariter habendum eſſe. At, ſubjunges, quod uni evidens, alteri inevidens eſt: Verùm, ſi rectè ad rem advertimus, id non ita eſſe conſtabit; In illis quippe diſſidiis, vel fallitur alter, vel fallit; neque unquam evidentia evidentiæ contraria eſt. At Veritas in obſcuro latet, & veri ſpecie perſæpe decipimur; Verùm, ſi nihil præcipitanter, nihil temerè affirmemus, ſi aſſenſum cohibeamus, donec ſumma rei evidentia illum à nobis velut extorqueat, ſi denique nihil aſſeramus, niſi quod non poſſimus non aſſerere, (quæ quidem tutiſſima eſt indagandæ Veritatis regula) nullum erroris periculum erit. At pauca ſcimus; Verùm, ſi ſapimus, pauca illa, ad uſus noſtros, ad noſtram felicitatem, abundè ſat erunt. Etenim, quemadmodum ſenſus corporei non eo fine nobis conceſſi ſunt, ut, eorum ope, objecta omnia, quantumlibet vel mole exigua, vel locis diſſita, percipiamus, ſed ſolummodò ut corporis noſtri neceſſitati conſulamus, noxia propulſemus, utilia admoveamus; pari modo, nec ingenium, nec Scientiæ nobis datæ ſunt, ut omnia comprehendamus, ſed ut ea ſolùm quæ ad nos ſpectant, quæ ad felicitatem noſtram faciunt, cogitatione aſſequamur. At pauca ſcimus; Verùm id ipſum, quòd pauca ſciamus, ſcire, præſtantiſſima ſcientia eſt; Etenim, ut ſcitè Tullius, *quàm bellum eſt, velle confiteri potiùs neſcire quod neſcias, quàm iſta effutientem nauſeare, atque ipſum ſibi diſplicere!* At pauca ſcimus; Verùm id ipſum, quòd pauca ſciamus, nôſſe, nos in indagando vero cautiores, nos ab errore tutiores, præſtat;

Cicer. de Natur. Deor. Lib. I.

Nam qui fateri nil poteſt incognitum,
Falſo neceſſe eſt placet ignorantiam,
Umbráſque inanes captet inter nubila,
Imaginoſæ adulter Ixion Deæ.
Magis quieſcet, minùs errabit animus,

Conten-

Contentus eruditione parabili;
Nec quæret illam, ſi qua quærentem fugit.
Neſcire quædam, magna pars ſapientiæ.

At pauca ſcimus; Verùm id ipſum, quòd pauca ſciamus, nôſſe, modeſtiam ingenerat, docilitatem parit, facit ut in diſſentientes æqui ac manſueti ſimus. Unde Auguſtinus ad Manichæos; *Illi in vos ſæviant*, inquit, *qui neſciunt cum quo labore verum inveniatur, & quàm difficilè caveantur errores. Illi in vos ſæviant, qui neſciunt quàm rarum & arduum ſit carnalia phantaſmata piæ mentis ſerenitate ſuperare. Illi in vos ſæviant, qui neſciunt cum quanta difficultate ſanetur oculus interioris hominis, ut poſſit intueri ſolem ſuum. Poſtremò illi in vos ſæviant, qui nullo tali errore decepti ſunt, quali vos deceptos vident.* Auguſtin. cont. Epiſt.Fundam.

Fatendum etiam, multa inutilia Diſciplinis vulgò admiſceri. Sed quid inde concludere eſt, niſi, inutilibus illis, quantùm fieri poteſt, ſepoſitis, præcipuam in rebus utilibus collocandam operam eſſe? Imò verò, quæ inutilia primâ fronte viſa fuerant, nonnunquam, progreſſu temporis, utiliſſima deprehenduntur. Sic, quis Magnetem, quis Cycloïdem, quis illos Jovis ſatellites, quis alia idgenus inventa, tanti fore ad Aſtronomiam, ad rem Nauticam, ad Geographiam, ad Mercaturam, momenti, quanti nunc ſunt, exiſtimâſſet? Rursùs, quis neſcit multa ex ſe ipſis utilia propriè non eſſe, ſed quæ ad utilia viam ſternunt, ſed quæ utilibus lucem miniſtrant, ac proinde non ſunt omittenda? Eodem ferè pacto, quô, ut corpus aliquod clariùs cernamus, circumjacentia etiam corpora illuſtrari non inutile eſt; Quemadmodum ingenioſè notat ille Regiæ Scientiarum Academiæ, quæ Pariſiis congregatur, Amanuenſis politiſſimus. Denique, nec fructu caret, rerum quarundam inutilitatem experimento didiciſſe, ne illas magni faciamus, ne illis decipiamur, ſed ad alia tum feramur ipſi, tum alios perducamus: Quod ſi fiat, ſanè acti temporis, licèt in nugis quibuſdam conſumpti, lamentari jacturam non decet. Preface de l'Hiſt. de l'Acad. Royale des Sciences.

Neque

Digitized by Google

Neque verò illud negandum eſt, magnum laborem, multas moleſtias in Studiis devorandas eſſe. Verùm quis neſcit, in omnibus artibus, in omnibus vitæ inſtitutis, non minorem laborem requiri? Quis neſcit, laboris pretio, nulla non mortalibus vendita? Quis neſcit ardua in primis quæ pulchra? Sed & quis neget, ipſamet vitia, ipſas profligatæ nequitiæ ſcholas, magnos labores utplurimùm, magnas ærumnas ſecum trahere? Quamobrem, non animos demere, non induſtriam frangere debent, illi Studiis adjuncti labores; cùm hæ omnes difficultates, & ſingulari rei præſtantia, & eximiis fructibus, imò & ipſa ſuavitate, ſatis ſupérque compenſentur.

Sed quid de vitiis dicam, Auditores, quorum contagio gens literata utplurimùm dehoneſtatur? Equidem, ſi illa per ſe gigneret, commendaret, foveret Scientia, cauſſam non dico cur non juſtiſſimam eo nomine invidiam ſubiret. At quid iniquius, quàm hominum culpas, rebus quas tractant miſerè abutentium, in rei, non dicam innocuæ, ſed & ſanctiſſimæ contumeliam vertere? Quod ſi liceret, nec ipſæ fruges, quibus hominum vita ſuſtentatur, nec Solis lumen quod cuncta illuſtrat, imò nec ipſa Dei Oracula, ab invidia liberarentur. Contrà verò, ſi Doctorum animi ita comparati eſſent, ut par eſt, ſi ad ipſam Scientiarum naturam, & earum ſequelas attenderent, ſi eas ad fines legitimos, ad quos per ſe tendunt, referrent, ô quantùm à ſe ipſis immutati conſpicerentur! Non tam memoriam quàm judicium excolerent; Non tam mentem, quàm mores formarent; Non tam inanem oſtentationem, quàm veros fructus, in Studiis quærerent; Non quid ab aliis acceptum, non quid à ſe ipſis aſſertum, ſed quid verius, quid certius, quid æquius, ſemper curarent; Veritatem undecunque oblatam, utut ſuis opinionibus, ſuis affectibus, ſuis commodis, ſuæ philautiæ adverſam, generosè amplecterentur; Denique ſemper modeſti, ſemper dociles, ſemper manſueti, ſe veræ Sapientiæ diſcipulos & Candidatos demonſtrarent.

Atque

Digitized by Google

Atque hoc pacto, AUDITORES, quid Civitas, quid Religio, quid Orbis, quid Eccleſia, à Diſciplinis ſibi metuant? Quid non ſibi fructûs é contrario, quid non commodi, quid non dignitatis, ab eis polliceantur? Non erit inutilis gens Literata; ſiquidem ad publica commoda ſuos omnes labores referet. Non Clauſtra, non Collegia, non Academiæ, non Eccleſiæ, otioſis literarum cultoribus, & fruges conſumere natis, abundabunt; Etenim omnes de communi bono promovendo erunt ſolliciti. Non in vanis, non in ſuperfluis, minùs in pravis atque damnoſis, opera eorum conſumetur; quippe ſat multa præſtantia, ſat multa verè utilia eorum induſtriæ etiamnum patent. Nullæ rixæ, nulli tumultus, nulla æmulatio, niſi ad bonum. Non Atheiſmus metuendus; Nam quid ad Deum potentiùs ducit, quàm operum ejus contemplatio? Non hæreſes atque errores; Nam ſi modò ſincerè ac placidè in veritatem inquiratur, fieri non poteſt, quin illa, in neceſſariis ſaltem, emergat. Denique nulli libidinis patroni, nulli vitiorum promotores, inter Doctos numerabuntur; Contrà ad omnem honeſtatem, pietatem, ſanctimoniam, eorum mores pariter atque labores componentur.

O quidni ergo talis eſt, AUDITORES PRÆSTANTISSIMI, Reipublicæ Literariæ facies? O quidni hac indole, his ſtudiis, his moribus, omnes vivunt Muſarum alumni? O quantum hinc Literis decus! O quanta laus apud omnes, quanta commendatio accederet! Verùm, quod de Eloquentia ſuo ævo corrupta Petronius, illud ad Literarum ſtudia generatim aptari poteſt. *Pace veſtrâ liceat dixiſſe*, ô vos viri Literati, *vos primi omnium Literas perditis.* Equidem ſæpe animi dubius atque anceps mecum cogitavi, plus-ne boni ex Academiis, an mali, oriretur; adeò vana, incondita, ab uſu recedentia, in Academiis pleriſque traduntur; adeò pervertendo ingenio, quàm excolendo, ſunt aptiores; adeò vitiorum potiùs, pertinaciæ, arrogantiæ, altercandi, vitilitigandi, & convitiandi libidinis, Petron: Satyr. init.

Z bidinis,

bidinis, quàm ſapientiæ, pietatis, ac virtutum ſemina animis infundunt. Vacat, fateor, vacat ferè his vitiis, (quæ Dei eſt benignitas, quæ veſtra eſt laus, VIRI CLARISSIMI) vacat, inquam, magna ſaltem ex parte, his vitiis Academia noſtra; Quâ illuſtriores quidem aliæ, antiquiores, celebriores, ſed (præfiſcinè dicere liceat) neſcio an ulla ſanior, ac bonæ menti ingenerandæ aptior ullibi reperiatur. At ſi quid adhuc vitii ſupereſt, (ſupereſſe verò quis negare auſit?) ſi quid labis, ſi quid defectûs, per Deum immortalem, quiſque noſtrûm, pro captu ſuo, in ea quam tuetur ſtatione, illud emendare, corrigere, ac ſupplere ne deſiſtamus; Idque apud nos ſtatuamus, fruſtrà ſermonibus commendari Literas, fruſtrà eſſe qui doceant, fruſtrà eſſe qui doceantur, niſi quod Literis tribuimus pretium, ipſo facto probatum demus, niſi earum præſtantiam & commoda, Studia noſtra & mores demonſtrent. DIXI.

ORATIO

ORATIO VII.

DE

ERUDITIONIS ET PIETATIS NEXU.

Dicta eſt Statis ACADEMIÆ GENEVENSIS Solemnibus, die XVII. Maii, Anno M. DCC. VI. cùm Auctor quintum RECTORATUS ACADEMICI annum ageret.

Digitized by Google

JOH. FRID. OSTERVALDIO
SUO
ECCLESIÆ NEOCOMENSIS
PASTORI VIGILANTISSIMO
ILLUSTRISSIMÆ SOCIETATIS
QUÆ AD
PROPAGANDUM EVANGELIUM
IN ANGLIA INSTITUTA
EST
SOCIO DIGNISSIMO
VIRO
SI QUISQUAM ALIUS
SOLIDE ET PIE DOCTO
CUJUS
LABORES OMNES
AD PIETATIS INCREMENTUM
TENDUNT
CONJUNCTISSIMO FRATRI
ANIMÆ DIMIDIO SUÆ
HANC
DE ERUDITIONIS ET PIETATIS CONSORTIO
ORATIONEM INSCRIBIT
JOH. ALPHONSUS TURRETTINUS.

Digitized by Google

Lactant. Divin. Inſt. Lib. I. Cap. I.

Neque religio ulla ſine ſapientia ſuſcipienda eſt, nec ulla ſine religione probanda ſapientia.

ORATIO VII.

DE

ERUDITIONIS ET PIETATIS NEXU.

Proceres Ampliſſimi, Patriæ Patres,

Viri plurimùm Reverendi, Eccleſiæ & Academiæ Paſtores & Profeſſores,

Hoſpites Nobiliſſimi,

Auditores omnium ordinum Præſtantiſſimi, Humaniſſimi,

Vóſque,

Digitized by Google

Vóſque, cura noſtra commiſſi, & ad bona omnia ſurgentes Juvenes,

QUÆ ſint fœdera Eccleſiæ & Scholæ, Pietatis & Eruditionis, humanarum divinarumque Literarum, quàm benè inter ſe conveniant, quàm amicè conſpirent, quantum ſibi invicem ornatum, quantas ſibi mutuò ſuppetias ferant, dicere animus eſt. Cujus quidem conſilii noſtri, ita evidens per ſeſe, ita omnium oculis expoſita eſt ratio, ut nemo ſit in ampliſſimo florentiſſimoque hoc Conſeſſu, qui eam, tacentibus nobis, ſatis ſupérque non perſpiciat. Præter quàm enim quòd hoc argumentum, & præſtantiſſimum eſt in ſeſe, & Scholæ noſtræ rationibus aptiſſimum, & loco accommodatiſſimum, & huic denique quam nos ſuſtinemus perſonæ convenientiſſimum, nova cauſſa hodierno die, nova occaſio ſeſe prodit, quæ hujus materiæ delectum, non tam ſuadere quàm imperare, ſuo quodam jure nobis videatur. Cùm enim hodie primùm, ſapientiſſimo conſilio, & Republica Chriſtiana digniſſimo, non Eruditio ſolùm, ſed Pietas, non in humanis modò Literis, ſed & in divinis facti progreſſus, novâ Procerum munificentiâ, præmiis decorati ſint, quid convenientius à nobis, quid opportunius fieri poſſet, quàm ſi ſaluberrimi hujus conſilii rationes aperire, & amicam illam Pietatis cum ſæculari Doctrina concordiam, novo fœdere quaſi confirmatam, celebrare aggrediamur? Dicam igitur, AUDITORES, dicam cum Chriſtiano Cicerone, illo Sapientiæ & Religionis conciliatore LACTANTIO, *neque ullam, ſine Religione, probandam ſapientiam, neque Religionem ullam, ſine ſapientia, ſuſcipiendam eſſe.* Dicam, quid commodi Literarum ſtudia à Religione mutuentur, ſine qua, imperfecta admodum, cæca planè atque ineptiens, noxia utplurimùm, certè parùm utilis, doctrina omnis futura eſt. Dicam vice verſâ, quid utilitatis à Literis accipiat Religio, quæ, & argumenta quibus confirmetur, & arma quibus defen-

Lactant. Inſtit. Lib. I. cap. 1.

defendatur, & lucem, & ornatum, & ſubſidia omnis generis, inde arceſſit. Si qua igitur, Viri Præstantissimi, ſi qua Sacrorum cura vos tangit, ſi quis Literarum amor vos ſtimulat, ſi qua Eccleſiæ, ſi qua Academiæ reverentia ducimini, de amico horum conſortio, indivulſóque nexu dicentem, atque in ampliſſimo dicendi campo ſumma tantùm veſtigia legentem, ſolitâ veſtrâ benevolentiâ, hîc loci toties jam exploratâ, ſublevare ne renuatis.

I.

Quantùm Religio *ad* Scientias *conferat.*

Principio, quin earum omnium, quibus homines erudiuntur atque informantur, Diſciplinarum, magna ſit laus, magna præſtantia, quin iis omnibus excolatur animus, illuſtretur, exornetur, quin ab iis innumera commoda, ſubſidia, oblectamenta, in humanum genus redundent, haud equidem inficias ivero; Quod & à nobis ante annum, haud levibus rationum momentis, hoc ipſo in loco demonſtratum eſt. At hoc tamen aſſerere auſim, cæteras omnes Diſciplinas, ſi Divinorum notitia abſit, mancas admodum atque imperfectas, potiſſimâque ac nobiliſſimâ ſui parte deſtitutas eſſe. Inquirant aliæ in rerum naturam; Quid illud eſt, ſi naturæ parens & architectus ignoretur? Luſtrent omnia, quibus iſthæc rerum univerſitas conſtat, Entia, cœleſtia, terreſtria, animata, vitæ expertia; Quid illud eſt, ſi Ens ſupremum, Ens omnium præſtantiſſimum, & à quo cætera pendent, neſciatur. Enarrent quicquid uſpiam gentium, ab omnibus retrò Sæculis contigit, Populorum ortus ac interitus, migrationes, fœdera, belli paciſque viciſſitudines, virorum fortium res præclarè geſtas, quicquid denique memoriâ dignum poſteris commendavit & conſecravit Antiquitas; Quid illud eſt, ſi ſupremi omnium Moderatoris & Monarchæ Dei, Gentiſque Deo ſacræ, Heroúmque ſub Deo militantium, res geſtæ ſileantur? Deſcribant Jura Civitatum, Edicta Principum, Senatuum conſulta; Quid illud eſt, ſi Divinæ Leges, ſi æterni Juris Pandectæ, ſilentio obvolvantur? Explicent Dialectos omnes, quibus unquam Mortales uſi ſunt; Evolvant quic-

 quid

quid Librorum, déque argumentis quibuſlibet, humana induſtria unquam peperit; Quid illud eſt, ſi Dei ſermones, ſi æternæ Mentis effata, ſi ſapientiſſimi Doctoris afflatu conſignata volumina, neglecta jaceant & ignorata? Sanè, quantùm Cœli convexa ſupra Terram noſtram attolluntur, quantùm lux tenebris diſtat, quantùm æterna caducis, infinita finitis, Divina humanis præſtant, tantùm Cœleſtis Diſciplina humanas omnes doctrinas ſuperat; tantùm proinde, illâ ſublatâ, de harum pretio ac perfectione decedere exiſtimandum eſt.

PHILOSOPHIA ſine RELIGIONE, cæca eſt.

Verùm, quid nos imperfectas dicimus, ſi Dei notitia abſit, Diſciplinas, cùm nullæ potiùs exiſtimandæ ſint, cùm, ſine Deo, ſine Religione, cæcutire illæ penitùs atque ineptire deprehendantur: Quod quidem in *Philoſophia*, in *Hiſtoria*, in *Juris* Doctrina, (ut cæteras jam Scientias mittamus) ita clarum apertúmque eſt, ut Solis radiis ſcriptum videatur. Sic eſt profectò, AUDITORES; Deo indiget, quanta quanta eſt, PHILOSOPHIA noſtra, Deum clamat, Deum requirit; Adeò ut, ne res quidem minimas, ne vulgatiſſima quidem phænomena, ne tenuiſſimi quidem oleris, ne viliſſimi quidem inſecti ſtructuram, ſine Deo explicare valeat. In his omnibus, nihil non obſcurum, nihil non abditum, nihil non impervium Philoſophia reperit, dum in ipſa hæret natura; neque aliter ab his ſe anguſtiis, ab his ſe tenebris extricare poteſt, niſi Deô ἀπὸ μηχανῆς, ut ita loquamur, adductô, qui inſolubiles aliàs nodos, neque tanto indignos vindice, reſolvat. Luſtrate oculis, luſtrate mentibus, immenſam illam quæ nos circumambit univerſorum corporum congeriem, tantâ rerum varietate, pulchritudine, ordine, inſignem, tantâ motuum æquabilitate ac proportione temperatam, tantâ denique, in mediis licèt mutationibus, conſtantiâ præditam, ut, per plura annorum millia, nihil de priſtino ejus ornatu ac ordine deceſſerit; Quis hæc, quis hæc omnia ſine mente, ſine conſilio, geri exiſtimet? Cernite in primis innumeros illos in Cœlis accenſos ignes; Cernite illum præ cæteris, qui lucis omnis, vitæ, ac ornatûs,

infimo

Digitized by Google

infimo huic Orbi cauſſa eſt; Illas anni tempeſtates, illas lucis noctiſque vices, tam provida lege definitas; Præſcriptos mari fines, terrámque medio libratam axe; Quis non videat hæc omnia

Conſilio firmata Dei? Claudian.

Quis hunc hominem dixerit, ut cum Tullio loquamur, qui cùm tam certos Cœli motus, tam ratos Aſtrorum ordines, tamque omnia inter ſe connexa & apta viderit, neget in his ullam ineſſe rationem? Quis tam ſtultè arrogans, prout idem alio loco, qui in ſe mentem & rationem putet ineſſe, in Cœlo mundóque non putet? Quis tam cæcus, qui, in arte factis, rationis quidem veſtigia agnoſcat, in naturæ verò operibus, tanto intervallo perfectioribus, rationem nullam deprehendat? Quis tam iniquus, qui Archimedem, in imitandis Cœli converſionibus plus valuiſſe arbitretur, quàm naturam in efficiendis, cùm tantis partibus ſint illa perfecta, quàm hæc ſimulata, ſolertiùs? Quis denique tam mentis inops, qui ea ſine ratione & conſilio geri exiſtimet, quæ quantâ ratione gerantur, ne ſummâ quidem ingenii noſtri ratione comprehendimus? Sed, ut illa ſublimia & ſupra nos poſita mittamus, quis Corporis noſtri fabricam, quis vel illud Oculi artificium, tot tunicis, tot humoribus, & tantâ quidem ſolertiâ conſtructum, ut, ſi vel pars minima abſit, aut de loco ſolùm moveatur, viſionis actum impediri aut vitiari ſaltem neceſſe ſit, quis innumera illa viſionis, loquelæ, nutritionis, generationis miracula, quis ſtupendam illam planè, inter cogitationes noſtras noſtroſque motus, connexionem, minus dico, quis vel minimi vermiculi opificium, minus dico, quis vel ſimpliciſſimum in rerum natura motum, quis vel globum à globo impulſum, ſine Deo concipere queat? Hæc ſiquidem meras tenebras, mera ænigmata eſſe, niſi Deus vindex advocetur, apud Recentiores Philoſophos eſt in confeſſo.

Cicer. de Natur. Deor. Lib. II. De Legib. Lib. II. Cicer. ibid.

Historia verò, Auditores, quibus illa etiam in tenebris, qua in ignoratione rerum verſabitur, niſi humanis Divina accedant, niſi cœleſte lumen affulgeat? Etenim, cur omnia,

Historia quantùm à Religione illuſtretur.

Digitized by Google

nia, quotquot ſuppetunt, univerſarum gentium monumenta adeò recentia ſunt, ut ultra pauca annorum millia nullum eorum porrigatur?

Lucret. Lib. V.

Cur ſupra bellum Thebanum, & funera Trojæ,
Non alias alii quoque res cecinêre Poëtæ?
Quò tot facta virûm toties cecidêre, nec uſquam
Æternis famæ monumentis inſita florent?

niſi quia

habet novitatem ſumma, recenſque
Natura eſt mundi, neque pridem exordia cepit?

Hæc verò rerum exordia ad Deum opificem eſſe referenda, non vetuſtiſſimus tantùm Hiſtoricorum Moſes, ſed univerſalis etiam Gentium penè omnium traditio docet. Rursùs, cur Antiquitas omnis, omnia rerum monumenta, ab Oriente originem ducunt? cur inde coloniæ omnes, omnes artes, omnes literæ? niſi quòd, illis in partibus, prout Sacræ Literæ teſtantur, genus humanum primitùs à Deo conditum eſt & collocatum? Adhæc, quis neſcit, ea ferè omnia, quæ, de primis rerum originibus, arcano tradidit volumine Moſes, velut de Chao rerum principio, de tenebris luce prioribus, de Dei Spiritu Orbi infuſo, molemque agitante, de Mundo ex ovo veluti excluſo, quò Hebræa vox מרחפת, juxta Judæorum Magiſtros, alludit, de homine ex luto formato, & ad Dei effigiem exſtructo, de aſſignato ipſi divinitùs in animantia reliqua dominio, de primæva hominum innocentia morumque ſimplicitate, de ſubſecuta depravatione, ex qua poſtmodùm omne mali genus, ipſaque mors terris incubuit, de Diluvio univerſali, de affectato in Cœlum itinere, déque innumeris rebus ejuſmodi, quis neſcit, inquam, hæc omnia, apud antiquiſſimos Ethnicorum, ſive Philoſophos, ſive Poëtas, ſive Hiſtoricos, paſſim deprehendi; adulterata illa quidem, & fabulis permixta, ſed aliquas tamen originis reliquias exhibentia; ἀμυδρὰς τινας ἐμφάσεις τῆς ἀληθείας dixit Plutarchus; Ut vel ex ipſis Fabularum nugis Divina Veritas confirmaretur? Iterùm, quis capiat, apud Gentes omnes, tantiſper ſaltem ingenii

Vid. Grot. de Verit. Relig. Chriſt. Lib. I.

Plutarch. de Iſide & Oſiride.

genii lumine & motibus excultas, tantam in aſſerendis, & Mundi Natalibus, & Dei exiſtentia, & Providentia, & Pœnis ac Præmiis, conſenſionem unquam futuram, niſi hæc omnia, vel lumen naturæ, vel antiquiſſima quædam, à primævis hominibus deducta, traditio docuiſſet? Denique tota, ſive Moſis, ſive Chriſti Domini hiſtoria, Miracula, Vaticinia, tam evidentibus ab Hiſtoriæ fide teſtimoniis confirmantur, ut, qui hæc negare ſuſtineat, apud eum præteriti temporis memoriam omnem vacillare, imò corruere penè neceſſe ſit.

Sed, ne illas tantùm Diſciplinas, quæ in contemplando poſitæ ſunt, ad Deum ducere exiſtimetis, ipſa etiam vivendi præcepta, ipſæ Juris humani tabulæ, quid tandem tuti habebunt, quibus tandem fulcris nitentur, niſi ſupremi hominum Arbitri auctoritas acceſſerit? Enimverò, ſi ex noſtra tantùm vel publica utilitate Juris præcepta deriventur, prudentia quidem vel imprudentia, utilia vel damnoſa, facta noſtra dici poterunt; At juſta vel iniqua cur dicantur, nulla ratio erit. Quamobrem, niſi Ens detur, à quo genus humanum pendeat, cujus imperio ſubjaceat, cujus Legibus adſtringatur, utique nulla obligatio, nullum officium, nulla virtus, nullum denique Juris fundamentum, inter homines conſtare poterit. Verum eſto, dentur Jura quædam ex mutuis pactis deducta: ſed, unde iis reverentia, unde iis robur accedet? Quis occulta cohibebit? Quis valentioribus metum injiciet? Quænam fides jurisjurandi? Quænam, adverſus veneficia, proditiones, fraudes occultas, ſecuritas ac defenſio? Quænam, dico, niſi ex Judicis, ſemper vigilantis, ſemper attenti, omnéſque, prout ſe geſſerint, ad rationes olim vocaturo, altè impreſſa mentibus, &, ne ab ipſis quidem tyrannis, hominumque profligatiſſimis, excutienda reverentia? Atque ideò Religionem Civitatum vinculum eſſe, Ethnicis ipſis fuit perſuaſum; prout *Ariſtoteles*, *Cicero*, *Seneca*, alii bene multi, prægnantiſſimis verbis teſtantur. Unde *Plutarchus*, "Si terram obeas, Ur„bes quidem reperiri poſſe ſine muris, ſine literis, ſine legi„bus, ſine domibus, ſine opibus, ſine numiſmate, ſine gym„naſiis,

Jus ſine Religione nullum eſt.

Plutarch. adv. Colotem.

„naſiis, ſine theatris; At Urbem templis Diiſque carentem, „neminem unquam vidiſſe; quinimò *faciliùs Urbem ſine ſolo, quàm ſine Diis conſtare poſſe*, affirmare nullus dubitat; ſiquidem Religio, ut ipſe ait, eſt συνεκτικὸν ἁπάσης κοινωνίας, καὶ νομοθεσίας ἔρεισμα. Sed quid Ethnicos dicimus, quando ne ipſi quidem Religionis hoſtes acerrimi, ne ipſa quidem impietatis & Atheiſmi propudia, Religionis in Civitatibus neceſſitatem inficiantur, dum eam ſapientiſſimæ Politicorum arti adſcribunt; Ita res ſcilicet moderante Deo, ut ab ipſo hoſtium ore laudem ſuam quaſi extorqueat, ut illi ipſi qui Religionis veritatem pernegant, non poſſint tamen à teſtimonio ejus ſapientiæ perhibendo ſibi temperare.

Abſurda, quibus premuntur, qui Religionem tollunt.

Verùm, AUDITORES, ut clariùs pateat Religionis ſapientia, ejúſque neceſſaria cum cæteris Scientiis connexio, age, videamus quas ad anguſtias, quas ad ineptias adigantur, qui, ſepoſitô vel ſublatô Numine, de rerum cauſſis diſſerere tentant. Pauca tantùm de multis exempla. Negent oportet, oculos ad videndum, aures ad audiendum, dentes ad comminuendos cibos, ſexuum diſcrimen ad generationem, lac quô materna ubera turgent ad infantium alimentum, denique innumera ejuſdem generis ſuos ad uſus comparata eſſe: Quibus quidem negationibus quid vel fingi abſurdius queat, haud equidem perſpicio. Dicant oportet, quicquid eximium, quicquid pulcherrimum, quicquid utiliſſimum, iſthæc univerſitas rerum complectitur, cæca ex neceſſitate, aut legis neſcio caſu, prodiiſſe: Quod perinde eſt ac ſi hæc Ædes, hæc tecta, hæ columnæ, ex fortuito lapidum occurſu; illud horologium, cum ſuis rotis, occultis organis, tintinnabulis, ex fortuita metalli diviſione ac diſpoſitione; Ciceronis Orationes, Virgilii Poëmata, ex fortuita literarum ac typorum coagmentatione, coaluiſſe exiſtimentur. Quæ quidem qui proferat, eum omnes amentiæ terminos tranſiliiſſe, quis eſt ſanæ mentis qui non fateatur? Statuant neceſſe eſt, rudem illam maſſam, quam materiam appellamus, quâ nihil vilius ſtupidiuſve, ſi ſola ſpectetur, cogitari poteſt; rudem, inquam, illam

maſ-

maſſam, excellentiſſimo omnium attributo præditam eſſe, ut nullum ſcilicet initium habuerit, ut ex ſe ſemper exſtiterit, ut nullam ſui cauſſam, nullum à quo deſtrui poſſit, agnoſcat. Neque hoc modò; ſed & bruta illa ſtupidáque materies, ſi iſtis ſcilicet hominibus credatur, intelliget, judicabit, diſſeret, ratiocinabitur, præteritorum memoriam recolet, futurorum anticipatione gaudebit, ſe ipſam cognoſcet, ſe ipſam deſpiciet, ſe ipſam à ſe ipſa abſtrahet ac diſſociabit, omnem rerum intelligentiam, omnem ſapientiam, omnem doctrinam, tot virorum doctorum ideas, tot Mathematicorum calculos, tot Politicorum diſcurſus, univerſas denique virtutes, omnem animi magnitudinem, prudentiam, fortitudinem, patientiam, interritum animum, quid? bruta, inquam, illa materies, quâ lapides & ligna conſtant, illa omnia ex ſe generabit, illa omnia in ſe complectetur. O inſanientem ſapientiam, quæ tanta prodigia concoquit? O credulam incredulitatem, quæ tam alienis ab omni ratione, tam incredibilibus fidem adjungit! Dicant neceſſe eſt, pulcherrimam illam humani generis Societatem, ad quam nos naturâ fictos ſexcentis indiciis certiſſimis liquet, mirum ordinem quô illa conſtat, virtutes omnes quibus continetur, omnem fœderum religionem, omne Sacramentorum robur, omnem beneficiorum memoriam, omnia amicitiæ jura, denique pacem omnem, fiduciam, ſecuritatem, illa, inquam, omnia tam pulchra, tam utilia, tam neceſſaria, mero figmento innixa eſſe; Homines naturâ belluas; non ad pacem, ſed ad bellum natos; quicquid expedit, id ſtatim æquum; ſcelera ipſa nefaſque, modò tutò perpetrari queant, & aliquid inde commodi exſurgat, hac mercede placere poſſe: Quæ omnia qui cogitare, nedum aſſerere audeat, eum, non fatuum, non imprudentem, ſed furiis agitatum, ſed rabie percitum, ſed humani generis probrum portentumque eſſe neceſſe eſt.

Neque verò hic audiendi illi verè inſanientis ſapientiæ conſulti, quantâcunque objectorum mole, Pelion Oſſæ velut imponentes, Cœlum ipſum petere, Deique Numini ac Providentiæ

Difficultates, Manichaeorum nomine propoſitæ, diluuntur.

Petrarch. Epiſt. ſine titulo. Epiſt. 5. dentiæ dicam ſcribere velle videantur. *Redde Neronem*, *precor*, *redde Domitianum*, aïebat Petrarcha. Ego verò, Redde Celſos, redde Porphyrios, redde Julianos: Apertior quidem erit pugna; paſſis vexillis dimicabitur; ſed hinc etiam facilior defenſio, paratiorque victoria. Ecce prodeunt, ex ſepulta pridem Zoroaſtri diſciplina, aut deſerto Manetis grege, acutiſſimi oppidò doctiſſimique Diſcipuli; Et mala omnia, quæ, providente ac dirigente Deo, eveniunt, magno apparatu, magna pompa, nobis opponunt. Quid verò nos? An cauſſam prodemus? An in re ſeria ludos faciemus? An, ſub ementita Fidei cum Ratione pugnantis larva, nodum hunc planè inſolubilem, cauſſamque Dei ac Providentiæ inferiorem fatebimur? Abſit. Tentabimus potiùs, num quid, ex ipſis Diſciplinarum penetralibus deſumptum, his retundendis telis, his ſolvendis

I. nodis inſerviat. Et ante omnia quidem, AUDITORES, quis illius Fidei quam jactant, quam præ ſe ferunt Manetis cauſſidici, quæ puriſſimis rationis noſtræ luminibus adverſetur, quæ non modò ſupra rationem, ſed contra rationem poſita admittat, quæ communes notiones, axiomata per ſe nota, infringat; quis, inquam, ejuſmodi Fidei ineptiam ac falſitatem non deprehendat? Utpote quâ, nihil tuti in rebus humanis ſupereſt, & in Pyrrhoniorum caſtra tranſeundum; utpote quâ, Deus ipſe, qui non minùs rationis quàm revelationis auctor eſt, mendacii arguitur; utpote quâ, neque Scripturæ Divinitas, neque quòd certa dogmata in Scripturis contineantur,

II. neque proinde ulla fides, ulla religio, conſtare poteſt. At verò, ſi rationi contraria nec admitti debent, nec poſſunt, tamen plurima rationis noſtræ captum excedentia, plurima difficultatibus non levibus obnoxia, in Scientiis omnibus, & in Philoſophia ipſa, occurrere, nemo eſt Philoſophus qui non fateatur. Sic, cùm hodie dentur Entia, æternum aliquid neceſſe eſt eſſe: At quantis difficultatibus æternitas ipſa obruatur, quivis facilè experiri poteſt. Sic materiam in infinitum diſſociabilem eſſe, non Metaphyſicis tantùm, ſed Mathematicis argumentis conſtat: At, quis dubia omnia hinc naſcentia

tia expedire poſſit? Igitur, ſi quas in rebus divinis tenebras deprehendimus, non ideò vel rejiciendæ, vel cum ipſis rationis principiis pugnare exiſtimandæ ſunt; non magis quàm ſuprà dicta placita, in Philoſophicis certiſſima, æternitas v. g., materiæ diviſibilitas, aliáque idgenus, ob eas quas continent difficultates, cum ratione pugnare dicuntur. Verùm, quandoquidem hi Manetis aſſeclæ contra infinitam Dei bonitatem potiſſimùm argumentantur, obſervandum, ne ſummam quidem, ne infinitam quidem bonitatem, *ad extremum virium*, ut aïunt, ſemper agere debere: Quod ſi eſſet, nullum unquam Ens niſi infinitè perfectum, nullum unquam Ens niſi æternum, nullum unquam Ens niſi immutabile, nullum unquam Ens niſi infinitæ perpetuæque felicitatis, auctor naturæ Deus condidiſſet; Imò verò nulla varietas, nulla mutatio in Orbe accideret, ſiquidem Entia omnia ſingulis momentis perfectiſſima ac feliciſſima eſſe oporteret: Quæ omnia quàm abſurda ſint, imò & ſecum pugnantia, nemo non videt. His poſitis, ſi jam quæratur, quomodo tot quæ cernimus mala, vitia potiſſimùm ac pravè facta, cum infinita illa Dei bonitate connectantur, dicendum ſtatim cum Sacris Literis, imò & cum Ethnicis ſapientioribus, malum omne à nobis oriri, culpam omnem in nos refundendam, Deum neminem ad malum tentare, παντελῶς τὸν θεὸν κακίας ἀναίτιον, prout *Simplicius* ad Epictetum ſusè demonſtrat; Quod quidem proprio noſtro ſenſu abundè confirmatur; cùm nemo ſit, qui, pravè agens, ſi in ſe ipſum deſcendere velit, ſe verè αὐτεξούσιον, verè liberum eſſe non ſentiat. Quòd ſi verò ulteriùs quærant, quî fiat ut optimus ille ſapientiſſimuſque Deus, damnoſum illud Libertatis donum, fatalem illam malè agendi facultatem homini indiderit, (in quo eſt præcipuè cardo quæſtionis) ſequentia vice verſâ quæram. Quæram, an Deo indignum ſit, velle eligi à Creaturis, velle amari præ cæteris omnibus, ac proinde Creaturas quaſdam electionis capaces finxiſſe? Quæram, an Deo indignum ſit, Judicem ſedere velle, Judicis partes velle exercere, Ju-

III.

IV.

Simplic. Comm. in Epict. pag. 24. Edit. Salmas.

V.

dicis virtutes velle demonſtrare? Quæram, an Deo indignum ſit, humanis virtutibus locum permittere? quis verò neſcit, virtutes pleraſque in vitii fuga ſitas eſſe? Quæram, an Deo indignum ſit, quòd ſummæ hominum virtutes excitentur atque ſplendeſcant? ſummas autem virtutes, in mediis ærumnis, inter aliorum iniquitates, calumnias, ſævitias, opprobria, quàm maximè elucere, nemo ignorat. *Cicuta magnum Socratem fecit. Rutilii innocentia ac virtus lateret, niſi accepiſſet injuriam: Dum violatur, effulſit.* Et notus eſt Platonis locus, de viro juſto duriſſima quævis, ad ipſum uſque ſuſpendium, ferente; quibus (ut id obiter notemus) Platonem diceres Chriſtum Dominum in animo habuiſſe. Quæram, an Deo indignum ſit, homines ejuſmodi duriſſima quæque ob virtutis amorem paſſos, approbare, diligere, fovere, conſolari, tandemque dignis ſummo rerum Arbitro præmiis afficere? Quæram, an Deo indignum ſit, ſe placabilem, ſe miſericordem, ſe μακρόθυμον exhibere? Quæram, an Deo indignum ſit, ipſos ſceleratos, impios, in omne nefas ruentes, tantâ patientiâ tolerare, tot beneficiis afficere, denique tot adhibere media, ut ad meliorem frugem revocentur? ſi noluerint, ſpretiſque Dei curis, in vitiis porrò perſtiterint, æquas ab iis pœnas exigere? Quæram, an Deo indignum ſit, pictore illo excellentiſſimo, umbris picturas ſuas diſtinguere? Quæram, an Deo indignum ſit, πολυποίκιλον ſuam ſapientiam, in variis Entium generibus producendis, exhibere, aliis quidem perfectioribus, aliis minus perfectis, aliis ſupra omnem peccati ac miſeriæ aleam poſitis, aliis in lubrico adhuc conſtitutis, ſed ita tamen ut per Deum non ſtet quominùs fiant feliciſſima? Quæram, an Deo indignum ſit, tantis in tumultibus, tantis in procellis, quibus mundi cymba agitatur, res tamen ita moderari, Societates ita dirigere, ut nullum hinc naſcatur Chaos, ipſaque mala, Deo providente, tam eximios fines ſortiantur? Quæ quidem omnia quiſquis attentè ac ſeriò reputaverit, is profectò, hominem ſui juris, talem proinde qui peccare poſſet, à Deo conditum eſſe

Senec. Epiſt. 13. & 79.

Plato de Repub. Lib. II.

eſſe non mirabitur. Quòd ſi verò iſtis omnibus difficultas nondum planè tollitur, age, cogitent quanto intervallo Deus ſupra nos ſit conſtitutus, quàm *vilis homuncio res ſit*, ſi cum æterna illa atque infinita Mente conſeratur, quàm nihil nobis debeat, quámque omnia ipſi debeamus, quantis nos bonis afficiat, quantis nos curis inſtituat, quantis incitamentis ad bonam nos mentem impellat, quantas ad ſpes, quàm magnificas, quàm ſupra omnem captum poſitas, nos miſeros vermes erigat: Quæ omnia qui recoluerit, immenſas quidem gratias agendi, at ne minimam quidem carpendi vel quiritandi anſam inveniet. Denique, ſi hæc nondum faciant ſatis, age, ſupra anguſtos hoſce Mundi fines mentem attollamus. Punctum eſt id omne quod vivimus. Punctum, quicquid hic noſter Orbis, & exſtitit, & porrò exiſtet. Punctum, id in quo degimus, in quo bellamus, in quo navigamus, in quo regna diſponimus. Sursùm ingentia ſpatia ſunt; Sursùm immenſæ, ſive temporum, ſive locorum intercapedines, in quibus hauddubiè infinitis modis, menti noſtræ planè imperviis, Dei ſapientia ſe ſe exerit. Quamobrem, dum nos Dei vias carpimus, miſeri ruſtici, qui in tugurio, vilis formicæ, quæ in foramine, Regis conſilia culpare vellet, imitari ineptiam videmur. Erunt, erunt illa tempora, quibus in intimam ſummi rerum Arbitri familiaritatem admiſſi, videbimus

VI.

VII.

quanta ſub nocte jaceret
Noſtra dies.

Lucan. Lib. IX.

pleniorem que arcanorum ejus notitiam adipiſcemur.

Sed hæc obiter. Jam, ſi ab utili Diſciplinas æſtimare liceat, quis ſingula hic enumeret Eruditionis non piæ incommoda? Quis ſingulos contrà Pietatis Eruditioni adjunctæ fructus? Vacuum pietate pectus, vanis diſquiſitionibus, nugis nugerrimis, operam impendit: At vir doctus pietate præditus, utilia, quantùm poteſt, & publicum ad commodum tendentia ſectatur. Vacuum pietate pectus affectibus præpeditur, quominùs verum poſſit dignoſcere: At viri pii mens ſerena

Doctrina, *ſine* Pietate, *noxia, vel ſaltem parùm utilis;* Cum Pietate, *utiliſſima.*

 eſt,

eſt, & ad verum cernendum aptiſſima. Vacuum pietate pectus, non aliud quàm gloriolæ fumum, non aliud quàm hominum laudes atque plauſus in ſtudiis quærit: At vir doctus pietate præditus, ſeſe Deo approbare, conſcientiæ ſatisfacere, ritè officio defungi, ſtudet. Vacuum pietate pectus intoleranda ſuperbia tumet, alioſque omnes præ ſe contemnit: At vir doctus pariter ac pius, propriæ tenuitatis ſenſu ad modeſtiam effingitur. Vacuum pietate pectus in alios dominari, aliorum animos ac placita ſibi ſubjicere quâvis arte tentat: At vir doctus pariter ac pius tantùm ſibi juris non ſumit, ſe hominem eſſe recordatur, liberumque de propriis placitis judicium reliquis facit. Vacuum pietate pectus, invidiæ, zelotypiæ, diſſidiis, odiis, indulget; Circa res minimi momenti, exardeſcit, furit, debacchatur: At vir pius pariter ac doctus, ab his affectibus ſibi temperat, & cœleſtis illius ſapientiæ, quæ pura eſt & pacifica, ſeſe alumnum profitetur. Denique in venenum abeunt quæcunque à viris non piis addiſcuntur atque tractantur: At Pietas, apis adinſtar, quicquid decerpit, quicquid guſtat, ſuaviſſima in mella, ſaluberrimos in uſus convertit.

Jac. III. 17.

Verùm demus, hæc abeſſe vitia: At quantuli cenſenda eſt pretii vel maxima Eruditio, dum in humanis ſeſe continet! quanti verò uſûs, quantæ præſtantiæ, ſi humanis divina, ſi profanis ſacra acceſſerint! Nam cæteræ quidem Diſciplinæ, quantâcunque illæ dignitate, quantôcunque ſplendore fulgeant, infra hominem ferè ſubſidunt: Hæc hominem verè decet, cujus mens *divinæ* eſt *auræ particula*, quique *hoc habet argumentum divinitatis ſuæ, quòd eum divina delectant, nec ut alienis intereſt, ſed ut ſuis.*

Ovid. Metam. Lib. I. Senec. Natur. Quæſt. Lib. I. Præf.

Separat hæc nos
A grege mutorum: Atque ideò venerabile ſoli
Sortiti ingenium, divinorumque capaces.

Juven. Satyr. XV.

Cæteræ ineptiis ſcatent, in futilibus ſæpe occupantur: Hæc, res omnium maximas, ac ſummi momenti, tradit. Cæteræ hominem non alia ratione quàm ut terræ incolam ſpectant: Hæc,

Hæc, ut civem univerſi Orbis, cœlo potiùs quàm terræ natum, quem ad opera ſua ſpectanda ad breve tempus Deus hic poſuit. Cæteræ denique intra arctiſſimos hujus vitæ fines includuntur: Hæc mentis noſtræ immortalitati veluti adæquata, aditum nobis ad ſempiternas Beatorum ſedes diſponit. Cujus quidem divinæ lucis, etſi nonniſi ſubobſcuri quidam apud Ethnicos radii fuêre, tamen quoties mentis oculos ad crepuſculum illud intendebant, exſultare mirum in modum, imò extra ſe rapi cernebantur. Unde Seneca, eam Philoſophiam, quæ de rebus divinis agit, ſupra reliquas Philoſophiæ partes, mirè extollit atque deprædicat: *Altior hæc,* inquit, *& animoſior: multùm permiſit ſibi: non fuit oculis contenta: majus eſſe quiddam ſuſpicata eſt ac pulchrius, quod extra conſpectum natura poſuiſſet. Denique tantùm inter duas intereſt, quantùm inter Deum & hominem. Altera docet, quid in terris agendum ſit, altera quid agatur in cælo. Altera errores noſtros diſcutit, & lumen admovet, quô diſcernantur ambigua vitæ: Altera multò hanc caliginem, in qua volutamur excedit, & è tenebris ereptos illò perducit unde lucet.* Senec. ubi ſuprà.

II. *Quantùm* Scientiæ *ad* Religionem *conferant.*

Et hactenus quidem, Auditores, quid Religio ad Literas conferat, ſatis ſuperque diximus. Nunc vice verſâ quid fructûs ex Literis ad Religionem perveniat, breviter demonſtrandum eſt.

Abſit verò hîc, Auditores, abſit ut, præpoſtero quodam Eruditionis ſtudio abrepti, ei Pietati quæ in rudibus ac indoctis deprehenditur, ſuam laudem detractam velimus. Eſt illa ſanè, in quemcunque cadat, quemcunque informet, ſemper eximia. Eſt hic theſaurus, etiam in fictilibus reconditus, pretioſiſſimus. Eſt hæc Cœli filia, non in auro modo & purpura, ſed & paſtoritiis ſub indumentis, pulcherrima. Quinimò rudes ac illiteratos non rarò hîc doctis præire, & ſacræ paginæ monent, & experientia abundè teſtatur.

tatur. Unde indignabundus quaſi, & doctrinæ ferè pertæſus, in hæc erumpit verba Auguſtinus; *Quid patimur? Quid eſt hoc? Quid audiſti? Surgunt indocti, & cœlum rapiunt: Et nos, cum doctrinis noſtris, ſine corde, ecce ubi volutamur, in carne & ſanguine.* Sed & ſolam probitatis laudem doctrinæ omni præponderare, ne ipſis quidem Ethnicorum Sapientibus ignotum fuit. Hinc Seneca, *Magno*, inquit, *temporum impendio, magna alienarum aurium moleſtia, laudatio hæc conſtat, O virum literatum! Simus hoc titulo ruſticiore contenti, O virum bonum!* Unde in illa ingenioſiſſima, & veræ ſapientiæ præceptis refertiſſima Cebetis tabula, vulgaribus quidem Diſciplinis, Rhetoricæ, Dialecticæ, Poëticæ, Geometriæ, Criticæ, aliiſque, ad bonam mentem parùm tribuitur; Qui eas omnes profitentur, inter falſæ Eruditionis ſectatores numerantur; Neque aliter ſanari poſſe, quàm ſi aliam ingreſſi viam, ignorantiam, opiniones, omnia denique vitia, ejuraverint, pronuntiantur. At, quanquam hæc nimio plus vera, tamen, ſi probitati, ſi virtuti, ſi Religioni, Eruditio comes adjungatur, quin magnum exinde decus, multa commoda ſint proditura, nemo eſt tam barbarus ac rudis, nemo tam omnium ignarus rerum, qui facilè non intelligat.

Auguſtin. Confeſſ. Lib. VIII. cap. 8.

Senec. Epiſt. 88.

Cebet. Tabula.

Nam, quòd, initio Chriſtianæ rei, plebeiis tantùm hominibus, ac literarum neſciis, publicanis, piſcatoribus, tabernaculorum artificibus, qui præter telonia, cymbas, textrinas, ſcholam nullam frequentaverant, quibus nec doctrinæ penus, nec eloquentiæ vires, nec Philoſophiæ humanæ peritia, nec aliæ dotes ingenii erant, quòd, inquam, talibus præconibus, ſub ipſa ſtatim initia, Dei ſapientia uti voluerit, illud quidem ad demonſtrandam Evangelii veritatem, & divinam vim, pertinebat; Quippe quod, nullis hominum præſidiis, nullis humanæ ſapientiæ artibus, neque excogitatum primò, neque per totum terrarum orbem, inter tot tantaque obſtacula, diſſeminatum appareret. At, poſtquàm magnum illud opus, mirabili iſta ratione, editum eſt

&

& confirmatum, ad conſueta redeundum fuit, neque aliter quàm inſtitutione, humaniſque diſciplinis, cœleſtem Doctrinam illuſtrare, propagare, promovere, licuit. Sanè, quô tempore debiles Mortales, & cæcis viſum, & claudis greſſum, & mutis vocem, & mortuis vitam, reſtituere verbo cernebantur, quô tempore, inſpectantibus plurimarum gentium hominibus, iis quas nunquam didicerant linguis magnalia Dei loquebantur, quô tempore, ſi quis ſceleſtus, ſi quis ſacrilegus, ſi quis contumax, cum plagis divinitùs miſſis, vel ipſa etiam morte mulctabant, quid mirum eſt, ſi, tanta muniti ornatique potentia, humanarum Diſciplinarum auxiliis non indigerent? At, Eccleſiâ ſemel conſtitutâ, Dei virtus ſtupendis his modis ſeſe exſerere ampliùs noluit; ſicque humanas Diſciplinas, ad Religionem aſſerendam, defendendam, exponendam, omni denique modo illuſtrandam, adhibere neceſſe fuit.

Et primò quidem, ad aſſerendam Religionis veritatem, quantùm humanæ Diſciplinæ valeant, vel ex iis quæ jam dicta ſunt, proclive eſt exiſtimare. Nam, ſive de illis agatur Religionis principiis, quæ à natura omnes docentur, qualis eſt Dei exiſtentia, ejuſdem perfectiones, juſti ac injuſti diſcrimen, Providentia, vita futura, quis hæc omnia feliciter adſtruat, niſi qui ſolida rerum cognitione animum excoluerit, niſi qui naturæ opificium, ipſamque inprimis hominis naturam attentè conſiderârit, niſi qui etiam Sapientes Ethnicos, & ſcitè ab iis cogitata vel dicta in promptu habuerit? ſive ad illas deinde Veritatis Divinæ partes, quæ, tum à Moſe & Prophetis, tum à Chriſto & Apoſtolis, revelatæ ſunt, deſcendatur, quis Doctrinæ illius præſtantiam, quis ejuſdem ſanctitatem, quis efficaciam, quis ſucceſſum, quis Factorum veritatem, quis Miraculorum pondus, quis Oraculorum complementum, quis ſacrorum voluminum γνησιότητα & auctoritatem, quis invictam Martyrum conſtantiam, quis eximias Fidelium virtutes, quis denique ab Adverſariis vi veritatis expreſſa teſtimonia, quis hæc omnia intelligere, ur-

gere,

gere, diducere, ſine ampla ſatis Literarum ſupellectile, valeat?

Quemadmodum verò confirmandæ, ſic & defendendæ Religioni, & ab hoſtium quorumvis telis atque cavillis vindicandæ, Literarum ſtudia non parùm proſunt. Illis, falſa revincuntur, ambigua explicantur, nodi ſolvuntur, offuciæ pelluntur, imò & ipſi Adverſarii ſæpiſſimè οἰκείοις πτεροῖς, propriis pennis configuntur, prout Julianus Apoſtata à Chriſtianis ſui temporis adversùs Ethnicos factum querebatur: Quæ omnia, ſine præparato excultóque Diſciplinis animo, quicunque tentare velit, non modò nihil promoveat, ſed & contrà impiorum auſis atque triumphis famuletur. Teſtes vos advoco, ô vos primi temporis nominis Chriſtiani defenſores; te, *Juſtinum*, qui, luſtratis omnibus Philoſophorum familiis, ταύτην μόνην φιλοσοφίαν ἀσφαλῆ τε καὶ σύμφορον, *ſolam hanc Philoſophiam tutam pariter atque utilem* reperiſti; vos, *Quadratum*, *Ariſtidem*, *Athenagoram*, *Melitonem*, *Apollinarem*, *Theophilum*, *Tatianum*, *Miltiadem*, *Tertullianum*, *Clementem*, *Origenem*, *Cyprianum*, *Minutium*, *Lactantium*, ut ſequentes jam omittamus; Vos hic, inquam, teſtes appello; Dicite, quantum, in doctis veſtris conſcribendis Apologiis, illa veterum monumentorum, illa Poëtarum ac Philoſophorum, illa Hiſtoriæ, illa Eloquentiæ, illa omnigenæ doctrinæ peritia, quâ Vos ornatos fuiſſe liquet, operæ pretium contulerit. Sed &, noſtrâ Patrumque memoriâ, quâ nulla ætas magis erudita, nulla Diſciplinis excultior fuit, quis neſcit quot eximii *de Veritate Religionis* conſcripti fuerint Libri, quibus quicquid Veterum doctiſſimi diſertiſſimique hac de re ſcripſerant (parcite, ô vos, illorum Manes) longo intervallo ſuperatur? Ut pateat, quantùm in Scientiis promovendis ac perficiendis, tantundem etiam in aſſerenda Religione profectum fuiſſe.

Theodor. Hiſt. Eccl. Lib. III. cap. 8.

Juſtin. Mart. Dialog. cum Tryph.

Quòd ſi verò de interpretandis Sacri Codicis tabulis agatur, quô id tandem auxiliô fiet, quô id tandem ſucceſſu tentabitur, niſi vocatâ in ſubſidium omnis generis Eruditione, niſi iis intellectis Linguis, quibus Libri illi conſcripti ſunt, niſi

niſi iis cognitis moribus, inſtitutis, placitis, ad quæ Auctores illi alludunt, niſi collatis Verſionibus, Interpretibus, Criticis, qui locis obſcuris lucem fœnerentur, niſi denique Arte ratiocinandi, Criticæque regulis, ut par eſt, adhibitis? Quæ quidem ſubſidia, magna ſaltem ex parte, cùm pleriſque Veterum deeſſent, hinc infelices non raro Interpretes Scripturæ fuerunt: At inſtauratâ, his poſtremis Sæculis, tum Linguarum, tum Antiquitatum, tum Critices, tum Philoſophiæ, verâ ac ſanâ cognitione, hinc etiam longè accuratiùs, longè felicioribus auſpiciis, in Sacris Literis intelligendis atque exponendis laboratum eſt.

Jam, ſi in ipſas Sacrorum partes penitiùs introſpiciatur, ſi de veris dogmatibus à falſis ſecernendis, ſi de optima Cultûs Divini ratione deligenda, diſceptatio oriatur, quis ſine ſolida rerum notitia, quis ſine exculto Diſciplinis animo, rectum de his judicium ferat? Nonnunquam, fateor, nonnunquam doctrina erroribus anſam præbuit: At nonniſi doctrina falſa, nonniſi ψευδώνυμος γνῶσις, qualis à Paulo caſtigatur. Enimverò, unde apud Ethnicos tanta Sacrorum depravatio? unde tot Dii fictitii, qui tanto miſerum urgebant Atlanta pondere? unde tam indigna iis adſcripta? unde tot fœdi barbarique ritus? Nonne horum omnium mater ignorantia? Nonne horum omnium

I. Tim. VI. 20.

cauſæ mortalibus ægris
Naturam neſcire Dei?

Sil. Italic.

Et ſapientiſſimam Chriſti diſciplinam, quid infecit, quid adulteravit, quid totam penè perdidit, niſi incubans Orbi Chriſtiano, per tot retrò Sæcula, barbaries? Et eandem quid expurgavit, quid nativo ſuo decori quodammodo reſtituit, niſi felix illa Literarum, Sæculis potiſſimùm XV. & XVI., non ſine Numine facta inſtauratio? Et noſtris denique temporibus, quid tot ſomnia Enthuſiaſtarum, tot Fanaticorum deliria, tot propudioſa malè ſanæ Theologiæ dogmata, in medium profert ac fovet, niſi veræ Eruditionis (in quam illi prudenter ſanè nec ſine cauſſa invehuntur) omnimoda ferè abſentia? Ut, ſtante doctrinâ, ſtare Sacra, cadente cadere, propè neceſſe ſit.

Digitized by Google

Quis verò ſingulos Literarum fructus, ad pietatem & Sacra ſpectantes, oratione perſequi poſſit? Illarum ope, viri pii animus, ad innumera Societatis ac Religionis officia, longè aptior efficitur; Putà, ad ignaros docendos, ad incredulos convincendos, ad pravos coërcendos, ad bonos confirmandos, ad afflictos ſolandos, ad diſſidia componenda, denique ad virtutes omnes, mille modis efficaciſſimis, commendandas ac promovendas.

Illarum ope, viri pii animus, ab innumeris Superſtitionibus, vaniſque terroribus, liber efficitur. Quis enim neſcit quantis ineptiis, tum circa rerum præſagia, circa Eclipſes, circa Cometas, tum circa Spirituum φαντάσματα, circa Magiam ac ſortilegia, etiam piæ mentes faſcinentur? Quæ quidem nugæ, *ſeria in mala* non raró ducunt. At his omnibus, veræ doctrinæ, in primis verò recentioris Philoſophiæ auxilio, hodierno die mentes liberantur.

Rursùs, quis neſcit, ad æquitatem, manſuetudinem, moderationem, quantas vires habeat Doctrina? Quippe, juxta dictum vetus, experimento plus ſatis firmatum, *homine imperito nihil eſt iniquius.* Certè, nulli de rebus leviſſimis acriùs digladiantur, nulli partium ſtudia magis fovent atque incendunt, quàm qui rerum minimè ſunt gnari. At é contrario, quò quis ulteriùs in rerum notitia profecit, quò quis accuratiores ſibi conceptus efformavit, quò quis rationes ultrò citróque diligentiùs ponderavit, eò æquiùs etiam de rerum momentis judicat, ſéque in omnibus mitiorem præbet.

Quid multis? Summus ex Doctrina viris piis ornatus accedit. Hinc Auguſtinus, de viris doctis, qui ante ſua tempora vixerant, docet eos, Moſis exemplo, Ægyptiorum divitias in Eccleſiam intuliſſe; *Nonne aſpicimus*, inquit, *quanto auro, & argento, & veſte ſuffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus doctor ſuaviſſimus, & Martyr beatiſſimus? quanto Lactantius, quanto Victorinus, Optatus, Hilarius, ut de vivis taceam? quanto, innumerabiles Græci? Quod prior ipſe fideliſſimus Dei ſervus Moſes fecerat, de quo ſcriptum eſt quòd eruditus fuerit omni ſapientia Ægyp-*

Auguſtin. de Doctrina Chriſt. Lib. II. cap. 40.

Ægyptiorum. Denique, ut in privatos Doctores, ſic & in totam Eccleſiam, ipſamque adeò Religionem, dici non poteſt quantum ex Doctrinæ ornatibus decus accreſcat. Scilicèt, inter criminationes, quibus conabantur veteres Ethnici Chriſtiano nomini invidiam creare, una ex præcipuis erat, quòd nonniſi apud ignaros, & literarum rudes, doctrina illa fidem obtineret. At, cùm tot clara nomina, tot rerum ſcientia præſtantes viri, inter Chriſtianæ Religionis Antiſtites numorati ſint, quis non videt, illam ab ignorantiæ, ſtultæque credulitatis labe, ſatis ſuperque abſolutam eſſe? Unde Hieronymus, Scriptorum Eccleſiæ Catalogum in lucem miſſurus, in Chriſtiani nominis hoſtes hac ratione invehitur; *Diſcant ergo Celſus, Porphyrius, Julianus, rabidi in Chriſtum canes, diſcant eorum ſectatores, qui putant Eccleſiam nullos Philoſophos & eloquentes, nullos habuiſſe Doctores, quanti & quales viri eam fundaverint, exſtruxerint, ornaverint; & deſinant fidem noſtram ruſticæ tantùm ſimplicitatis arguere.* Pariter & noſtrô hôc ævô, deſinant infauſta illa capita, deſinant jurati illi Sacrorum hoſtes atque irriſores, deſinant, inquam, Diſciplinam noſtram tanto ſupercilio deſpicere, quaſi nonniſi imbecilles animos Sacrorum cura afficeret, cùm, & ingenii dotibus, & doctrinæ laude excellere, tot Religionis aſſeclæ ac defenſores conſpiciantur.

Hieron. Præf. in Catal. Script. Eccl.

O fauſtam igitur, Auditores, ô nullis non præconiis, nullo non plauſu digniſſimam, hanc Pietatis cum Eruditione, hanc humanæ divinæque Scientiæ, hanc Eccleſiæ & Scholæ, tot vinculis adſtrictam, tot rationum momentis firmatam conſtitutamque Societatem! O ſtet illa igitur inter nos ſancta in perpetuum atque illibata! Nec Pietas ab Eruditione, nec Eruditio à Pietate unquam divellatur: Sint illæ ſemper dextris implexæ; mutuumque ſibi ornatum, mutuum ſibi auxilium ferant. Primas teneat apud nos Pietas: Mox, quantùm quidem licebit, comes ei accedat Doctrina. Sed vera

Conclusio.

ſit ac ſincera Pietas: Sed ſolida ſit ac ſapiens Doctrina. Ita eruditi ſimus, ut omnis noſtra Eruditio, ſtudia omnia, ad Deum nos ducant. Ita pii ſimus erga Deum, ut omnis noſtra Pietas ſit prudens & oculata. Sit Schola noſtra, & Eruditionis, & Pietatis magiſtra. Utramque inſtillent, utramque promoveant, quos penès eſt docendi provincia. Utrique incumbant, utramque ſectentur, quotquot Scholæ noſtræ ſunt alumni. Sic mentes noſtræ perficientur. Sic ad munia Societatis, in propria quiſque ſtatione, aptiſſimi evademus. Sic ſinceriſſima voluptate, ſolidiſſimo gaudio fruemur. Sic denique, excuſſâ à nobis hujus mortalitatis caligine, ad ipſum lucis fontem, ad intimam cum ſupremo Numine ſocietatem admittemur. DIXI.

ORATIO

ORATIO VIII.

DE COMPONENDIS PROTESTANTIUM DISSIDIIS.

Dicta eſt Statis ACADEMIÆ GENEVENSIS *Solennibus, Idib. Jun.* M. DCC. VII. *cùm Auctor ſextum* ACADEMICI RECTORATUS *annum ageret.*

Adjectæ ſunt momentoſæ quædam de eodem argumento Epiſtolæ.

Digitized by Google

Extrait des Regîtres de la Venerable Compagnie des Paſteurs & des Profeſſeurs de GENEVE.

Du Vendredi 1. Juillet 1707.

La Compagnie a auſſi unanimément prié Monſieur le Recteur de vouloir faire imprimer la Harangue qu'il prononça aux Promotions dernieres : Ce qui ſervira encore de témoignage public, que l'Egliſe & l'Academie de Genéve deſire ardemment la réünion des Proteſtans.

Muſſard *Secretaire.*

REGIÆ

REGIÆ MAJESTATI

FRIDERICI

D. G. BORUSSIÆ REGIS,

MARGRAVII BRANDENBURGENSIS, S. R. I. ARCHICAMERARII ET PRINCIPIS ELECTORIS, SUPREMI ARAUSIONUM PRINCIPIS, MAGDEBURGI, CLIVIÆ, JULIACI, MONTIUM, STETTINI, POMERANIÆ, CASSUBIORUM, VANDALORUMQUE NEC NON IN SILESIA ET CROSNÆ DUCIS, BURGGRAVII NORIMBERGENSIS, PRINCIPIS HALBERSTADII, MINDÆ, CAMINI, ET MURSII, COMITIS ZOLLRIÆ, RUPPINI, MARCÆ, RAVENSBERGI, HOHENSTEINII, TECKLENBURGI, LINGÆ, BURÆ, ET LEERDAMI, MARCHIONIS VEHRÆ ET ULISSINGÆ, DOMINI RAVENSTEINII, LAVENBURGI, BUTOVIÆ, ARLAYÆ, ET BREDÆ, &c.

SE-

Digitized by Google

SERENISSIMO
POTENTISSIMOQUE
PRINCIPI

QUEM
BRANDENBURGICI ET PALATINI SANGUINIS
CUM NASSAVIO ARAUSIONENSI
FELIX MISTURA
AD MAGNA
AD EXCELSA
AD PRÆCLARA OMNIA
FINXIT

QUI
UT MAJORUM TITULIS
ET AUGUSTISSIMÆ DOMUS
INSIGNIBUS
REGIAM ADJUNXIT
PURPURAM
SIC ET
REGIAM DIGNITATEM
VERE REGIIS VIRTUTIBUS
ORNAT

DITIONUM AMPLITUDINE
SUBDITORUM NUMERO
REDITUUM OPULENTIA
EXERCITUUM FORTITUDINE
FOEDERATORUM AUXILIIS
ÆDIFICIORUM POMPA
AULÆ SPLENDORE
INTER MAXIMOS

PIETATE IN DEUM
AMORE IN SUBDITOS
IN JUDICIIS ÆQUITATE
IN CONSILIIS SAPIENTIA
IN PROMISSIS FIDE
LIBERALITATE
MANSUETUDINE
CLEMENTIA
INTER
OPTIMOS PRINCIPES
NUMERANDO

Digitized by Google

PURIORIS FIDEI
ASSERTORI ET DEFENSORI
STRENUO
SACRORUM VINDICI
ECCLESIARUM INSTAURATORI
ACADEMIARUM ET SCHOLARUM
FUNDATORI

ERUDITO ET ERUDITORUM
FAUTORI
PIO ET PIETATIS
PROMOTORI
PROBO ET VIRTUTEM SECTANTIUM
PATRONO

INNUMERORUM
OMNIS ÆTATIS SORTIS ORDINIS SEXUS
RELIGIONIS CAUSSA PROFUGORUM
ASYLO
PRÆSIDIO
NUTRITIO
PARENTI

IN

IN
DIJUDICANDIS
PROTESTANTIUM CONTROVERSIIS
ÆQUISSIMO
IN
FERENDIS
QUI A SE DISSENTIUNT
MODERATISSIMO
ET
INSTAURANDÆ
INTER DISSIDENTES CONCORDIÆ
STUDIOSISSIMO

FRIDERICI WILHELMI
MAGNI
SUCCESSORI DIGNISSIMO
IMITATORI ASSIDUO
ET
FRIDERICO WILHELMO
PRINCIPI JUVENTUTIS
REGNI HÆREDI
VENTURÆ ÆTATIS SPEI
REGIARUM VIRTUTUM EXEMPLO
AD SUMMA OMNIA
VIAM MONSTRANTI

Digitized by Google

HAS PAGELLAS

QUIBUS

PACIS CONSILIA

OPTIMO PRINCIPI

ACCEPTISSIMA

INCULCANTUR

IMO

ET QUIBUS

SERENISSIMI REGIS

EPISTOLA

PIETATEM ÆQUITATEM

CARITATEM MODERATIONEM

INDEFESSUM CONCORDIÆ STUDIUM

UBIQUE SPIRANS

CONTINETUR.

HUMILLIME OFFEREBAT

REGIÆ MAJESTATIS

ADDICTISSIMUS DEVOTISSIMUS

ET OBSEQUENTISSIMUS

CLIENS AC SERVUS

JOH. ALPHONSUS TURRETTINUS.

ORATIO

ORATIO VIII.

DE COMPONENDIS PROTESTANTIUM DISSIDIIS.

Proceres Ampliſſimi, Patriæ Patres,

Comites Illuſtriſſimi,

Barones Generoſiſſimi,

Viri plurimùm Reverendi, Eccleſiæ & Academiæ Paſtores & Profeſſores,

Auditores omnium ordinum Præſtantiſſimi, Humaniſſimi,

Tuque,

Digitized by Google

Túque, deliciæ noſtræ, ad bona omnia ſurgens Juventus,

PErpendenti apud me ipſum, anxiéque diſquirenti, quid in Academicis huſce Comitiis veſtrâ dignum exſpectatione proferri poſſet, quô tot illuſtrium, tot nobilium, tot eruditorum Hominum, non ſine aliquo emolumento, aures tenerentur, tædiúmque ex importuno ſextùm jam hinc dicentis ſermone hauddubiè naſciturum quodammodo abſtergeretur, multa ſtatim ſeſe ingerebant obtrudebántque argumenta, quæ, ſuâ, partim dignitate, partim utilitate, partim etiam opportunitate, dubium huc illuc atque ancipitem impellerent animum. Quòd ſi enim in res præſentes & hodiernum *Europæ* ſtatum oculos conjicimus, quônam unquam temporis articulô, quânam poſt hominum memoriam ætate, major univerſi Orbis convulſio, plures in Regnis ac Rebuſpublicis penè omnibus converſiones, notabiliora deníque parturientis undiquaque Sæculi miracula, obſervata ſunt? Orbem cernimus, pluribus jam annis, ferali colliſum duello, exhauſta Regna, populatos agros; Reges Regibus, non una in gente, rarô exemplô, contrapoſitos; Exercitus utriuſque partis terrâ maríque numeroſiſſimos; nec de minimis, ut olim ſæpe, non de quibuſdam honoris inſignibus, non de mercaturæ commodis, non de Mari libero vel clauſo, non de Provinciarum finibus producendis vel contrahendis, ſed de ipſa rerum ſumma, ſed de ampliſſimis Regnis, dimicantes; denique, ut Europæ noſtræ, ſic & *Novi Orbis* non temnendam partem, incertam animi atque pendulam, cujus in imperium ſit conceſſura. Et, ad fortunatam quidem illam Inſulam, imò Inſularum Principem *Britanniam*, ſi animum advertimus, quid felicius, quid exoptatius, quid noſtris dignius præconiis, quid Regni pariter & Religionis ſecuritati aptius, illâ *Angliæ* cum *Scotia* in unam gentem coalitione, toties expetitâ, toties tentatâ, ſed quæ auſpicatiſſimis & omni laude

laude cumulatiſſimis Annæ temporibus reſervabatur. A Britannis, ſi deinde ad *Belgas*, *Germanos*, *Sarmatas*, *Italos*, *Hiſpanos*, cogitatione transferamur, quanta dicendorum ſeges occurreret, ſi quæcunque apud illos omnes, hujus unius curriculo anni, rara, ſtupenda, inaudita, memoriâ digna contigêre, oratione, non dicam diducere, ſed vel attingere liberet. Quod ſi verò ab Orbe in *Eccleſiam*, à Politicis ad Sacra, tranſitum faciamus, duplex ſtatim ſe ſe offeret, ſibi invicem contraria, ſed & attentione digniſſima, purioris Eccleſiæ facies: Pars ſævis jactata undis; Pars dies agens halcyoneos: Pars humi jacens, pulvere ſordida, afflicta, expers ſolatii, ut aridorum illorum oſſium Ezechieli viſorum, quàm viventis cujuſdam corporis, ſimilior videatur; Pars lætiſſima & florentiſſima, cui Reges nutritii, Principes fœminæ nutrices obtigêre, ut non tam militantis quàm triumphantis Eccleſiæ quandam veluti ſpeciem præſerat. Illa externa: Jam, ſi ad nos ipſos, & dulciſſimæ Patriæ fata, oculorum aciem deflectimus, quis non miretur Genevæ noſtræ, tam diuturnam, tam conſtantem, inter tot caſus, conſervationem? Quis non ſtupeat, Arcam hanc exiguam, exundantibus undique Diluvii fluctibus, ſalvam? Quem non moveat, cæteris Populis bello diſcerptis, pax noſtra? cæteris trepidantibus, noſtra ſecuritas? cæteris ſub duro gementibus ſervitio, hujuſce regiminis æquitas ac lenitas? cæteris expilatis, & ad inopiam redactis, illa quâ fruimur rerum omnium copia? Sed quem in primis noſtrûm non tangat, quem non recreet, quem non ad gratias ſummo Numini agendas impellat, illa, poſt Civiles turbas, illuceſcens Concordiæ aurora? Quæ quidem bona ſi agnoſcamus, eáque non convellere, ſed ſarta tecta tueri, ſerúſque ad poſteros tranſmittere laboremus, haud ſcio equidem an ulla ſit Gens, *ab ortu Solis ad Heſperium cubile*, quæ de felicitate nobiſcum contendere poſſit.

Ezech. XXXVII.

Iſa. XLIX. 23.

Verùm, Auditores, licèt hæc omnia ampliſſima nobis ſuppeditent, & tempori quidem aptiſſima, diſſerendi argumenta, tamen aliud, non minùs nobile, neque minùs opportunum,

tunum,

tunum, imò & noſtræ forſan perſonæ convenientius, ita nos movet, ita nos trahit, ut alio divertere mentem non liceat. Vincit nimirùm amor Eccleſiæ; Tangit, Chriſti tunicæ, in tot lacinias diſcerptæ & comminutæ, miſeratio; Urit, ruentium in mutua viſcera, inde ab annis penè ducentis, Proteſtantium calamitas: Cui malo ſi medicam manum, per tenuitatem noſtram, admovere non liceat, quod unum poſſumus hoc in negotio, animi ſenſa propalare, cæteros ad hanc curam excitare, obices quinetiam deſideratiſſimæ pacis pro virili removere, denique vota nuncupare, ut, quæ pax terris exſulat, polo tandem demittatur, id, ut ſpero, nec temerarium, nec inconſultum cuiquam videbitur. Quod quidem opus Theologi noſtri, tum ſcriptis, tum ſermonibus, urgere nunquam deſtiterunt; De quo, ante annos quinquaginta, hoc ipſo in loco, hac ipſa ex ſede, & pari Solennium luce, piæ memoriæ Parens noſter dixit, quô tempore *Joannes Duræus*, vir piiſſimus & laude digniſſimus, negotium hoc irenicum tantô per Europam ſtudiô promoveret; Cujus Pacis quanto teneatur univerſus noſter Cœtus deſiderio, cùm aliàs ſæpiſſimè, tum datis nuper ad Sereniſſimum BORUSSIÆ REGEM literis, non obſcurè teſtatum fecit; Quæ res denique, ſi unquam aliàs, hoc tempore, hoc rerum ſtatu, ob rationes nemini obſcuras, potiſſimùm urgenda videtur. O ſi vox noſtra ad ultimos uſque Septentrionis fines penetraret! O ſi pacis conſilia, non dictis modò commendare, ſed inſculpere animis liceret, quàm ſuavi, & ex imis præcordiis, voluptate perfunderemur! *Sed non hominum iſtud eſt opus: Tuum eſt, ô* DEUS PACIS, *hoc quicquid eſt conſilii perficere. Tu ſolus inolitas opiniones animis evellere, Tu ſolus tumultuantes affectuum fluctus moderari, Tu ſolus, diſcordiarum ventis ac procellis compoſitis, ſerenum reducere potes; Quod uſquedùm conceſſeris, Te votis ac ſuſpiriis fatigare non deſinemus.*

Diſſidii origo & progreſſus. INITIO, hîc non referam infauſti hujus diſſidii primordia, incrementa, progreſſus: Quod, inde ab ipſo fermè Reformationis exordio natum, ad noſtra uſque tempora, non ſine maximo

maximo bonorum luctu, perduravit: Quod, ex minimis ortum ſcintillis, ex privata, *Lutherum* inter & *Caroloſtadium*, diſſenſione, mox in publicum totius Germaniæ, imò & totius Reformati Orbis, incendium proceſſit: Quod in uno doctrinæ capite, de *Euchariſtia* nempe, principiô incluſum, inde alias atque alias Quæſtiones traxit, omniumque ultimam vexatam illam, de *Prædeſtinatione* & annexis, controverſiam, quæ, nulla tempore Reformationis, imò nulla longo pòſt tempore, inclinante demùm Sæculô illô in medium proferri, maximóque deinceps animorum æſtu agitari cœpit; Quod non ſemel, optimorum Principum, ac Theologorum piorum curis, aliquatenùs componi viſum, velut in *Colloquio Marpurgenſi*, in *Concordia Wittembergica*, aliiſque pacificis Congreſſibus, mox infauſtis humanorum affectuum flabellis excitatum eſt, & innumeris ultrò citróque concertationibus agitatum. Triſtem hiſtoriam, cujus animus meminiſſe horret, & æterno potius obruendam ſilentio, quàm revocandam in mentes, & oratione exornandam!

Mala ex hoc diſſidio orta.

Neque verò hìc ediſſeram, quot mala pepererit, hodiéque pariat triſte hoc divortium; Quantùm temporis in infauſtis illis diſputationibus conſumptum, quod in ſtudiis utilioribus meliùs longè collocatum eſſet; Quantum vitilitigandi & altercandi cacoëthes; Quot jurgia, quot rixæ, quot iræ, animis cœleſtibus heu nimis indignæ; Quot convitiorum plauſtra, quibus ſe mutuò diſcerpere irritabile Vatum genus non erubuit; Quanta oblivio Chriſtianiſmi; Quantus veræ pietatis & caritatis neglectus; Quantus obex beatæ noſtræ Reformationis progreſſibus, quæ latiùs hauddubiè palmas extendiſſet, ſi communibus ſtudiis adversùs communem hoſtem certâſſemus; Quot artes Adverſariorum, neque verò ſemper irritæ, ut inteſtinis noſtris diſſidiis in rem ſuam uterentur, nóſque per nos ipſos perderent; Quantus hinc bonis dolor; quantum infirmis ſcandalum; quantus hoſtium triumphus; quanta Eccleſiis noſtris pernicies. Iſta omnia plus ſatis nota; Teſtantur acta; Res ipſa loquitur; Neque quiſquam eſt, vel ita cæcus qui hæc non

 videat,

videat, vel ita impius qui his non tangatur. His igitur ſilentio preſſis, PACEM, PACEM, vox noſtra ſonet, Pacem ſuadeat, Pacem commendet; Ad quam quidem ſi reluctantes Fratrum animos minùs flectamus, id ſaltem præmii feremus, ut penès nos non ſtetiſſe compertum fiat.

Cùm omnes idem ſentire nequeant, levis diſſenſus, ſalvâ pace, tolerandus eſt.

Optandum ſanè, AUDITORES, imò votis omnibus optandum foret, ut, quotquot Chriſto nomen dederunt, eorum una eſſet mens, eadem de rebus omnibus ſententia. Quando verò, ut ſunt res mortalium, & hac humanarum mentium caligine, id ſperare non licet, proximum eſt, ut, inter illos, qui circa fidei ſummam conſentiunt, in levioribus verò diſcrepant, illibata maneat concordia, vel, ſi ſemel abrupta ſit, denuò redintegretur; Quo ſine, totum Chriſti corpus miſerè diſſolvi atque lacerari, totidemque propemodùm Sectas, quot capita, eſſe neceſſe eſt.

Nunquam inter Chriſtianos omnimodus conſenſus fuit.

Neque verò ullum unquam extitit, inde ab ipſis Eccleſiæ primordiis, ad noſtram uſque ætatem, ita fortunatum Sæculum, quô non varia ac multiplex fuerit, inter viros piiſſimos, & de Eccleſia optimè meritos, ſententiarum diſcrepantia. Ipsô in terris agente Chriſtô, caligabant adhuc in variis, atque inter ſe diſſidebant, *Apoſtolorum* mentes. Quinimò, poſt accepta etiam Spiritûs Sancti chariſmata, in diverſa nonnunquam viri illi ſancti abiêre. Fuêre *Pauli* & *Barnabæ*, fuêre *Petri* & *Pauli*, fuêre *Antiochenorum*, *Corinthiorum*, *Galatarum*, *Romanorum*, *Philippenſium*, *Coloſſenſium*, de Cæremoniis Moſaïcis, de delectu ciborum, de abſtinentia ab idolothytis, aliiſque, in Sacro Codice memorata diſſidia. Quòd ſi ad *Patrum* ætatem deſcendas, vix unum & alterum reperies, in omnibus doctrinæ capitibus ὁμόφρονας & ὁμοψήφους. Par fuit ſequentium temporum, par eſt noſtræ ætatis ratio: Neque profectò, in tanta hac ingeniorum diverſitate, quæſtionum perplexitate, hominum imbecillitate, fieri unquam poterit, ut eadem de omnibus Chriſtiani omnes ſentiant. Verùm in id opera danda eſt, juxta Apoſtolorum effata, ut illam ſenſuum diſcrepantiam unitas Spiritûs regat, ut diverſum opinantes pacis vinculum ſemper colliget, ut qui præſtant intelli-

intelligentia debiliorum nævos ferant, ut omnes denique, in iis ad quæ pervenerint, eâdem incedant regulâ, donec ignaris atque errantibus veritas illuxerit. Quæ quidem regulæ dum obſervatæ ſunt, feliciſſima fuit Eccleſia. At inde mala, inde Schiſmata, inde odia, inde bella, inde Eccleſiæ deformatus ac penè extinctus decor, quòd vel minimus diſſenſus Chriſtianos inter ſe commiſerit, illáque à Chriſto & Apoſtolis tantoperè commendata caritas, manſuetudo, tolerantia, neglecta utplurimùm jacuerit & ignorata.

Epheſ.IV. 3. Rom. XIV. Philip. III.15.16.

Fateor equidem, Auditores, ſi qui lethales errores foveant, ſi qui Cultus Idololatricos & à Supremo Nomotheta prohibitos exerceant, ſi qui denique regiminis forma cum Chriſti legibus pugnante utantur, nullam cum iis pacem Eccleſiaſticam, nullam Sacrorum communionem, conſtare poſſe. Imò verò, ſi, vel in leviſſimis, conſcientiæ vis inferatur, & ad ea profitenda quæ non ſentiamus adigamur, ne tum quidem ullum pacis fœdus, ulla fidei conteſſeratio haberi poterit. At ejus Pacis quam nos ſuademus aliam longè rationem eſſe, & utrumque Proteſtantium cœtum, ſive *Doctrinam* illorum ſpectes, ſive *Cultum*, ſive *Politiam*, vitiis lethalibus eſſe immunem, quiſquis, ſedatis affectibus, & partium ſtudiis ſepoſitis, rem expenderit, facilè, ut quidem puto, convincetur.

Quis diſſenſus intolerandus, quis verò tolerandus ſit.

Et de *Cultu* quidem, Auditores, atque *adminiſtrandæ Eccleſiæ ratione*, haud exiſtimo litem ullam futuram, apud eos qui meminerint, & Cultum utrorumque ab Idololatriæ, utrorumque Regimen à tyrannidis ſuſpicione liberum eſſe; &, ſi qua ſit rituum varietas, ut in *cereis*, in *imaginibus*, in *exorciſmo*, aliiſque, leviſſimam, ac innoxiam, neque verò omnibus eandem; & hoc quicquid eſt ex eo eſſe genere quod ſtatui pro lubitu ac immutari ab Eccleſiis valeat, ſalvâ interim manente concordiâ, quemadmodum in utrorumque *Confeſſionibus* disertè ſtatuitur; Ita ut, quominùs alii aliorum cœtibus interſint, & ſecum invicem Sacris operentur, hæc nullatenùs obſtare debeant. Neque verò his immorantur, qui pacis conſilia reſpuunt; In Doctrina potiùs capitalem diſſenſum urgent, qui proinde à nobis potiſſimùm expendendus venit.

In Cultu *&* Regimine *utriuſque partis Proteſtantium nihil occurrere, quod eorum concordiam impediat.*

Confeſſ. Auguſt. art. 7. & 21. Bohem. art. 15. Gallic. art. 32. Angl. art. 34. Scotic. art. 20. Helvet. cap. 27.

Primaria FIDEI *capita apud utroſque illibata eſſe.*

Verùm, AUDITORES, quid multis opus eſt, ut eandem nobis eſſe *Fidem*, eandem ſummam religionis, in aperto collocetur, cùm res ipſa ſatis per ſe pateat, cùm, & privata Doctorum, & publica Eccleſiarum inſtrumenta ſatis loquantur, oſtendantque primaria omnia, de credendis & faciendis, Doctrinæ Chriſtianæ capita, utriſque noſtrûm communia eſſe; Quemadmodum vel ex collatis utrorumque *Confeſſionibus*, & *Harmonia* earundem à viris piis concinnata, abundè conſtare poteſt. Equidem, AUDITORES, prodigii loco illud ſemper habendum cenſui, eos qui tot colligantur vinculis, qui tot circa res tamque momentoſas eadem ſentiunt ac profitentur, ob levem quandam diſcrepantiam, ob unum vel alterum doctrinæ caput, de rebus arduis atque involutis, non eôdem prorsùs modô expoſitum, ob unam vel alteram Scripturæ vocem, non eôdem planè ſenſu intellectam, à ſe invicem diſcedere, ſe pro fratribus habere nolle, &, cùm eadem ipſis ſint Sacra, à Sacris unà faciendis nòn minùs abhorrere, quàm ſi

Serpentes avibus geminentur, tigribus agni.

Quid igitur? An hoc nihil eſt, quòd eundem vèrum Deum agnoſcamus, & quem miſit Jeſum Chriſtum? quibus tamen in capitibus, ipſô teſte ac judice Chriſtô, vita æterna continetur. (Joh. XVII. 3.) An hoc nihil eſt, quòd, valere juſſis humani cerebri figmentis, ſola Dei oracula pro fidei norma admittamus? An hoc nihil eſt, quòd, ejuratô rerum creatarum cultu, unum Deum colamus, uni Deo vota nuncupemus, in uno Deo ſpem omnem ac fiduciam collocemus? An hoc nihil eſt, quòd de fide, de juſtitia, de caritate, denique de virtutibus omnibus, quibus Cœlo aſſerimur, quibus Dei ſimiles ac Deo digni effingimur, eadem utriſque mens eſt, eadem utroſque conſtringunt jura? An hoc nihil eſt, quòd ejuſdem lavacro aquæ Chriſto gignimur, ejuſdem ſolennibus convivii Dominicæ Paſſionis memoriam recolimus? An hoc nihil eſt, quòd in eundem fidei ducem & conſummatorem oculos defigentes, & eâdem Teſtium nube, Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, Martyribus, Sanctis, circumſeſſi, in eodem ſtadio decurrimus, & eandem palmam exſpectamus? (Heb. XII. 1. 2.) An hæc omnia

pro

pro nihilo erunt, & plus valebit ad nos disjungendos, de trium vocularum ſenſu, & impenetrabilibus Dei conſiliis, levis diſſenſio, quàm tot tantáque, de quibus conſentimus, ad nos colligandos?

Virum pium, quamvis in capitibus controverſis diſſentiat, Chriſtiana communione indignum non eſſe.

Ponite vobis ante oculos hominem, qui, de controverſis inter nos capitibus, vel in ignorantia jaceat, vel judicium cohibeat, vel etiam hallucinetur, ſed qui cæterùm omnes viri pii & probi partes impleat; qui ſe miſerum peccatorem coram Deo agnoſcat, gemat, ſuſpiret in conſpectu Dei, & ſeria delictorum pœnitentia ducatur; qui, nihil medicaminis apud ſe reperiens, ad Dei miſericordiam toto pectore confugiat, Chriſto ſeſe totum tradat, ejus gratiam anhelet, in eo fiduciam omnem reponat; qui, divinâ adjutus gratiâ, nihil intentatum relinquat, quo ſe peccati ſordibus purget; qui pietatis in Deum, juſtitiæ & caritatis in proximos, temperantiæ, patientiæ, modeſtiæ, ſua ſorte contenti animi, nulla non officia exſequatur; qui, in hoc vitæ inſtituto, novos quotidie progreſſus faciat; qui, nec ulla ſpe, nec ullo metu, nec voluptatum illecebris, nec minis inſtantis tyranni, ab hoc propoſito dimoveatur; qui denique, ita faciens, ita bellum peccatis indicens, ita ſanctitatis operibus vacans, ſupremam attingat horam, ſuamque Deo, cujus ad nutum ſe ſe compoſuit, animam commendet: Quis hunc, quis hunc hominem, Auditores, ab ovium Chriſti albo eradat? quis eum à corpore Chriſti abſcindat? quis eum Orco adjudicet? Si verò ſit ovis Chriſti, ſi ſit ejus corporis membrum, ſi ſit ejus gloriæ particeps futurus, quis ab ejus ſocietate, quis ab ejus communione ſeſe ſubtrahat? Næ intemperantis cujuſdam rigoris eſt (ne quid ampliùs dicamus) eum pro fratre habere nolle, quem Deus ipſe pro filio habet, ab ejus ſe communione divellere, quocum Chriſtus ipſe communionem colit, eum à Sacris noſtris removere, qui cum ipſo Angelorum Beatorumque choro, imò & nobiſcum ipſis, niſi noſtra nos ſpes fallat, noſtræque obſtiterint diſſenſiones, æterna in Cœlis Sacra agitabit.

Tres præcipuæ, inter Refor.

Verùm, ut in cauſſæ arcem invadamus, & ad ea accedamus capita de quibus diſceptatur, triplex tantùm eſt, Auditores, alicujus

manos & Auguſt. Confeſſ. Fratres, Controverſia.

alicujus ſaltem momenti, inter nos Controverſia; Cæteræ enim, vel ab his pendent, & ad eas referuntur, vel adeò leves ſunt ut ne memorari quidem mereantur. *Prima*, de modo quô Chriſti corpus in Euchariſticis Sacris præſens eſt; *Altera*, de humanæ Chriſti naturæ ſublimitate & dotibus; *Tertia* denique, de excelſis illis circa æternam hominum deſtinationem myſteriis, quæ captum noſtrum ſuperare omnes fatentur. At verò, quiſquis æquô animô, & pacis ſtudioſô, in his expendendis verſabitur, is profectò diſſenſum leviſſimum, imò & conciliationem facillimam eſſe perſpiciet.

De Controverſia circa EUCHARISTIAM.

Nam de *modo* quidem *præſentiæ Chriſti corporis in Euchariſtia*, (quæ prima fuit ac præcipua, imò & longo tempore unica diſſidii materies) ſanè quantacunque appareat, primo adſpectu, hæc Controverſia, tamen ad ſe ita accedunt utriuſque partis ſententiæ, ſi accuratè expendantur, ut quod ſupereſt leviſſimum ſit. Enimverò, utrinque conſtat, panem quidem panem, vinum eſſe vinum non deſinere; utrinque conſtat, Chriſtum ipſum in his Sacris præſentem eſſe; imò conſtat, ipſum Chriſti corpus (quanquam de modo non planè convenit) in his Sacris verè exhiberi, & manducari à fidelibus; utrinque tamen conſtat, corpus illud non per *localem incluſionem* ibi adeſſe, non modô corporibus ſolenni, atque in ſenſus incurrente, ſed modô tantùm *Sacramentali*, hoc eſt tantùm adeſſe quantùm Sacramenti ratio poſtulat; utrinque etiam conſtat, corpus illud extra Sacramenti uſum ac celebrationem nullatenùs adeſſe; utrinque porrò conſtat, contra Eccleſiæ Romanæ placita, neque panem in Chriſti corpus converti; neque adorandam Euchariſtiam; neque illam eſſe ſacrificium; neque illam circumgeſtandam, ritu Pontificio, atque aſſervandam; neque calicem ſubtrahendum Plebi; neque veritatem Sacramenti ab intentione Miniſtri, vel alius cujuſcumque pendere; poſtremò utrinque conſtat, ſolam illam manducationem, quæ fide peragitur, ſalutiferam eſſe. Hæc omnia in confeſſo ſunt. Quod reliquum Controverſiæ eſt, de mira quadam & capi neſcia corporis Chriſti præſentia, cùm ab aliis vera quidem, ſed ſpiritualis tantùm

tùm aſſeratur, an id tanti momenti eſt, ut fœdera pacis abrumpantur? Quinimò hoc quicquid eſt, *ferè plus curioſitatis quàm fructûs habere*; &, *ab iis qui Sacramentum juxta inſtitutionem Chriſti celebrant, idem quoad ſubſtantiam accipi, nec plus nec minus, utut de re inviſibili* (h. e. de modo præſentiæ) *diverſa ſentiant*, judicium eſt Viri illarum partium doctiſſimi & celeberrimi, *Samuelis Puffendorfii*.

Puffend. Jus Fecia. Div. pag. 221. 222.

De controverſia circa Personam Christi.

Quod ad alteram Quæſtionem attinet (quæ ex prima illa ortum duxit) de *Humanæ* nempe *Chriſti Naturæ ſublimitate & dotibus*, ſanè vix ulla realis occurrit, rem accuratè expendentibus, ſenſuum diſcrepantia. Etenim, utrinque conſtat, duas in Chriſto naturas eſſe, divinam ac humanam; utrinque conſtat, naturas illas *unione*, quam vocant, *perſonali* conjunctas eſſe; utrinque conſtat, unione illâ, neque naturas confundi, quod damnatum in Eutychianis, neque perſonam dividi, quod damnatum in Neſtorianis; utrinque conſtat, unionem illam, *ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως*, juxta veterum Conciliorum ſanctiones, concipiendam; utrinque conſtat, Chriſtum omniſcium, Chriſtum omnipotentem, Chriſtum præſentem ubique, Chriſtum denique divinis omnibus attributis exornatum; utrinque conſtat ex adverſo, humanam Chriſti naturam, humanam ſemper eſſe, neque humanam eſſe deſiiſſe; poſtremò utrinque conſtat, illam Dei & Hominis in Chriſto factam conjunctionem, ita miram ac ſublimem eſſe, ut captum noſtrum ſuperet. Quid ergo hic controvertitur? Vix quicquam, Auditores. Mera hic eſt, mihi credite, mera hic eſt logomachia, prout adductis *Joh. Gerhardi*, Theologi inter Auguſtanos celeberrimi, teſtimoniis, probatum dedit accuratiſſimi limatiſſimíque Vir ingenii, Heidelbergenſium dum viveret Doctor, *Joh. Ludovicus Fabricius*.

Fabric. Medit. de Controv. circa Perſonam Chriſt.

De controverſia circa Praedestinationem *& annexa.*

Supereſt tertia Controverſia, (quæ nulla quidem initio, aſt hodie omnium præcipua, imò ferè unica cenſetur) de *æternis* nempe illis ſummi rerum Arbitri *conſiliis*, quibus *de hominum ſalute vel exitio* definitum eſt. Verùm & hîc capitalia omnia apud utroſque in confeſſo eſſe, &, ſi quod ſupereſt dubi-

Digitized by Google

diſſidium, facillimè componi poſſe, cum Theologis perſpicaciſſimis affirmare non dubitamus. Enimverò, nonne omnes fatentur, bonum omne à Deo procedere? nonne omnes fatentur, malum omne à nobis oriri? nonne òmnes fatentur, hominem ita liberum eſſe, ut laude vel vituperiô, præmiô vel pœnâ dignus habeatur? nonne omnes fatentur, neminem unquam hominem excuſabilem eſſe cùm peccat? nonne omnes fatentur, neminem eſſe mortalium, qui, ſi Evangelio credat, & pœnitentiam agat, Deum ſibi benè velle, & ſalutem ſibi certam eſſe, tutò confidere non poſſit? nonne omnes fatentur, neminem eſſe mortalium, qui, ſi donis Dei ſibi conceſſis rectè uteretur, Deo non foret acceptiſſimus? nonne omnes fatentur, neminem eſſe mortalium, quem officio fungi, & ſalutis participem eſſe, Deo gratiſſimum futurum non eſſet? nonne omnes fatentur, quicunque ſalute excidunt, non ullô quidem Dei defectu, ſed ſuâ tantùm culpâ excidere, ſuíque exitii auctores eſſe? Nonne omnes porrò fatentur, nihil in tempore accidere, quod in æternis Dei conſiliis definitum non fuerit? nonne omnes fatentur, nullâ temporis ſucceſſione, non variis propriè conſiliis, ſed uno actu ac ſimpliciſſimo, omnia à Supremo Numine, & cognita, & conſtituta? nonne omnes fatentur, æterna Dei conſilia rerum naturas non invertere, nihil libertati noſtræ officere, neque nos ex Dei decretis, ſed ex propriis factis, judicandos? nonne omnes fatentur, quicquid accidat, æquiſſimum tandem Dei judicium fore, nullam apud eum προσωποληψίαν, & quò quis plus acceperit, eò plura etiam ab ipſo requirenda? Denique, ſi quid hic ſupereſt, quod captu ſit difficile, nonne omnes cum
Rom. XI. 33. Paulo fatentur, *incomprehenſibilia Dei judicia* eſſe, *& vias ejus inperveſtigabiles*? & nonne hoc Pauli, ὦ βάθος, in utrorumque Scholis perpetuò ingeminatur? Hæc omnia utrinque conceſſa. Quidni igitur hîc ſubſiſtimus? Quidni intra hæc nos continemus? quæ ſanè abundè ſufficiunt, & ultra quæ (quidni enim dicamus?) nonniſi vanæ quæſtiones, meræ utplurimùm logomachiæ, mera laſcivientis ac nimio plus ſapientis ingenii figmenta reperiuntur.

Verùm,

Verùm, Auditores, ut clariùs pateat, quàm leve ſit horum momentum, quàm facilis conciliatio, quàm æqua tolerantia, age, nonnullas obſervationes, quæ id ulteriùs confirment, atque in aperta luce collocent, quantâ fieri poteſt perſpicuitate ac brevitate, ſubjungamus.

Controverſiarum illarum momentum ulteriùs expenditur.

Et primò quidem, nemo non videt, Quæſtiones illas omnes, quæ inter nos agitantur, in mente tantùm ſubſiſtere, nihil ad Cultum, aut mores ſpectare. Jam, fateor Doctrinas illas, quibus, vel Cultus divinus conſtat, vel vitæ ratio inædificatur, gravem hauddubiè diſſenſum efficere; At verò, quæ nihil ad Cultum, nihil ad vitæ regulas pertinent, ſanè tanti non ſunt faciendæ, neque tantum, apud æquos judices, ſarciendæ concordiæ obicem ponunt.

1. Quæſtiones illæ nihil ad Cultum aut mores ſpectant.

Secundò, Quæſtiones illæ, ut accuratè expendantur, plebis captum ita ſuperant. Scholæ ideis ac diſtinctionibus ita ſunt implicitæ atque intricatæ, ut vel id unum indicio ſit, illas ad Fidei ſummam & cardinem non pertinere; ſiquidem Religio, in neceſſariis, plana, facilis, ſimplex, & vel rudiſſimorum hominum captui eſt attemperata.

2. Sunt quæſtiones Scholaſticæ, Plebis captum ſuperantes, adeóque non neceſſariæ.

Et quis dubitet, Auditores, quis dubitet innumeros eſſe, dico in utrorumque caſtris, neque modò in rudi plebe, ſed & inter Literatos ipſos, qui circa Quæſtiones ejuſmodi, vel parùm aut nihil intelligunt, vel judicium cohibent, vel dubiis præpediuntur, vel imprudentes errant, vel, quæ de his in Scholis dicuntur, ne fando quidem audivêre? An igitur illi omnes à Fidelium cenſu expungentur? Expungendi utique forent, ſi hæc inter neceſſaria Fidei capita numerarentur. At viderint, qui ita ſentiunt, quantam ſuæ Communionis partem tam dura ſententia feriat. Viderint, quot ex ſuis liberis, amicis, propinquis, diſcipulis, ab Eccleſiæ tabulis eradant, imò & ſalutis ſpe dejiciant, dum hæc tantô ſupercilio, tanquam creditu neceſſaria, ab ipſis requiruntur. Profectò malè ageretur cum Chriſtianorum rebus, ſi à Quæſtionibus iſtiuſmodi, arduis oppidò atque intricatis, & Fidelium inter ſe compages, & æterna ſalus penderet.

3. Plurimi in utriuſque partis Eccleſiis, quæſtiones illas parùm intelligunt.

4. Controverſiæ illæ, non tam circa res, quàm circa rerum modum, verſantur.

Ad hæc, non tam circa res ipſas, (ſi ſedulò adverteris) quàm circa modum & circumſtantias, Controverſiæ noſtræ verſantur. Enimverò, ſi, vel arcta illa, quæ Chriſtum inter & Fideles intercedit conjunctio, quæque *manducationis* nomine in Scriptura indigitatur, vel ſuprema ac verè divina Chriſti Domini noſtri præſtantia, vel credentium ſalus, vel incredulorum exitium, in dubium vocarentur, inde, fateor, non exigua labes Chriſtianæ fidei adſpergeretur. Verùm hæc omnia, rem ipſam quod attinet, apud utroſque illibata manent; De horum duntaxat modo & circumſtantiis quibuſdam ambigitur: Quæ in Divinis perfectè noſci, neque noſtra ſinit imbecillitas, neque verò, ad colendam pacem, vel ad aſſequendam ſalutem, requiritur.

5. Utriuſque partis hypotheſes ex pio conſilio proceſſerunt.

Sed & illud à Pacis amantibus ſedulò attendi velim, utriuſque partis hypotheſes non ex malo proceſſiſſe animo, ſed ex pio potiùs fine & conſilio derivatas. Ac ſanè, qui verba Euchariſtica literali ſenſu accipiunt, Scripturæ reverentia ſine dubio eò adducuntur: Contrà, qui ſenſum figuratum urgent, non alia id agunt de cauſſa, quàm quia res ſecum pugnantes in mentem admittere nequeunt, & quia etiam ſententiæ ſuæ non parùm præſidii in Scripturis eſſe arbitrantur. Pariter, circa Perſonam Chriſti, quid cordi eſt Auguſtanis Fratribus, niſi ut Chriſto honos tribuatur, niſi ut humana ejus natura quàm maximè extollatur? Contrà, quid movet Eccleſias noſtras, niſi quòd Chriſti naturas inter ſe confundi metuant, neque illa unquam Homini, quantacunque illius ſit dignitas, competere poſſe exiſtiment, quæ Dei ſunt propria? Sic etiam in Quæſtionibus de Prædeſtinatione, quis ſcopus eſt Reformatorum, niſi ut tota, quanta quanta eſt, ſalutis noſtræ gloria in ſolidum Deo aſſeratur? Quæ verò mens Auguſtanis Fratribus, niſi ut Deus culpa liberetur, omniſque excuſatio peccatori adimatur? Qui quidem fines omnes ſine dubio laude digni ſunt, idque ſaltem debent efficere, ut ne nos damnemus invicem, ſed alii alios feramus.

6. Pleraque ex his quæſtioni-

Nec id etiam omittendum eſt, quò momentum harum quæſtionum non parùm deprimitur; ſcilicèt, nihil ferè aliud, in ple-

bus ad reprobos tantùm pertinent.

plerisque iſtis controverſiis, quàm quæ ad reprobos pertinent, diſquiri. Etenim, ſi de Chriſti corporis manducatione agatur, quæ manducatio ſalutem parit, ea nempe quæ fide peragitur, apud utroſque in confeſſo eſt; De illa ſola ambigitur, quæ ad ſalutem nihil facit, ſiquidem probis pariter atque improbis communis habetur. Sic etiam, cùm de æternis Dei conſiliis agitur, quæ Fideles ſpectant clara ſunt, & extra omnem controverſiæ aleam poſita; Quid de reprobis ſtatutum fuerit, quibus illos Deus oculis adſpiciat, id unum ferè in quæſtionem venit. Quidni igitur iſta omittimus, quæ ad reprobos pertinent? Quidni illos Deo relinquimus? ea verò ſolum curamus, quæ nos Deo gratos efficere poſſunt? quæ quidem nulli quæſtioni, nulli dubio ſunt obnoxia.

7. Quæſtiones de Gratia & Prædeſtinatione, quaſcunque partes elegeris, inſuperabilibus difficultatibus premuntur.

Quòd ſi verò addam, Auditores, pleraſque ex his Quæſtionibus, eas præſertim quæ de Dei Gratia & æternis conſiliis agunt, quamcunque elegeris partem, cuicunque te Sectæ addixeris, inſuperabilibus propè difficultatibus obſeptas eſſe, nihil dixero quod viri docti jampridem non experti ſint, hodiéque experiantur. Hinc ſiquidem premit Dei auctoritas, dominium, præſcientia, conſilia ab æterno capta, nec eventu unquam caritura. Illinc pugnat Dei ſanctitas, bonitas, juſtitia, libertas hominis, futurum judicium: Quorum omnium conciliatio quàm ardua ac perplexa ſit (dico, quaſcumque elegeris partes) iis abundè perſpectum eſt, qui ad hæc intelligenda, atque inter ſe componenda, omnes ingenii nervos intenderunt.

8. Quæſtiones illæ omnium temporum & Religionum fuêre.

Neque verò nobis propriæ ſunt, aut in Scholis noſtris natæ, ejuſmodi Controverſiæ. Omnium ætatum, locorum, religionum, communes fuêre. Viguêre apud *Ethnicos*, inter *Pythagoricos*, *Platonicos*, *Stoicos*, *Epicureos*. Viguêre apud *Judæos*, inter *Phariſæos*, *Sadducæos*, *Eſſæos*. Vigent etiamnum inter præcipuas *Muhammedanorum* ſectas. Et quàm variæ de his ſententiæ inter *Chriſtianos* fuerint, inde à primis Eccleſiæ temporibus, ad noſtram uſque ætatem, illi demum ignorare poſſunt, qui Scriptores Eccleſiaſticos, & res in Eccleſia geſtas, ne à limine quidem ſalutârunt. Agitata hæc apud *Pontificios*,

 inter

inter *Thomæ* & *Scoti*, inter *Dominici* & *Franciſci*, inter *Molinæ* & *Janſenii* familias? Neque tamen Eccleſia illa, quæ ſe errare neſciam jactat, quæque anathematum ac dirarum plus ſatis eſt prodiga, alterutros ſinu ſuo unquam expulit. Illa Societas, quæ *Jeſu* dicitur, in antiquiſſimis ſuis Statutis, ad docendam *D. Thomæ* Theologiam adſtringebatur; Mox tamen contraria dogmata, non modò amplexi ſunt, ſed & eô, quem Orbis vidit, fervore propugnârunt. Cæteros quid memoro? Ipſi *Proteſtantes*, quorum hic cauſſa agitur, variè admodum de his ſenſêre. *Reformatores*, ut in multis aliis, ſic & in hoc doctrinæ capite, *Auguſtinum* ferè ſecuti ſunt. In his fuêre *Lutherus*, *Zuinglius*, *Calvinus*, aliique. In diverſa abiit *Melancthon*, neque tamen id intimæ illi, quæ ipſi cum reliquis erat, amicitiæ quicquam detraxit. Poſtmodùm Lutheri diſcipuli à Magiſtro diſcedere, & Melanchonis ideas anteponere non dubitârunt. Sed neque inter *Reformatos* ipſos omnimodum conſenſum fuiſſe, multos jam tempore Reformationis circa iſta diverſum ſenſiſſe, multos hodie, tum in Britannia, tum in Germania, tum alibi paſſim, ad Auguſtanos Fratres accedere, multos mediam inſiſtere viam, multos denique, nec inſipientes, aſſenſum hic cohibere, & hæc arcana Deo relinquere, nôrunt quicunque in hodiernis Eccleſiæ Reformatæ rebus non omninò ſunt peregrini. Quæ omnia ſatis evincunt, quæſtiones illas intricatiſſimas, quæ ab omni retrò ævo & apud Gentes omnes agitatæ ſunt, quæque, quò plus agitantur, eò pluribus involvuntur tenebris, imò verò circa quas diſſentiunt earundem partium Theologi, parùm æquam infauſtis noſtris diſſidiis materiam præbere.

9. Proteſtantes, utriuſque partis, variè de his ſenſerunt ac ſentiunt.

10. Si viverent multi viri pii, ut Auguſtinus, Lutherus, &c. *an à Sacris arcerentur?*

Quòd ſi verò (ut hoc quoque addamus) quòd ſi in has luminis auras tot redeant Eccleſiæ Patres, tot Martyres, tot viri pii, qui cum Eccleſiis noſtris ſenſêre, ſi redeat *Auguſtinus*, illud Eccleſiæ Chriſtianæ jubar, quô haud ſcio an ullum ſplendidius celebriúſve unquam exſtiterit, ſi redeat *Lutherus* ipſe, benedictæ in omne ævum apud Proteſtantes omnes memoriæ, ſi redeat, inquam, *Lutherus*, & eadem docere pergat

Digitized by Google

gat quæ contra *Eraſmum* ſcripſit, ſcire velim, de magnis illis Viris quid Auguſtani Fratres ſtatuerent? An eos à Sacris ſuis removerent? Equidem adduci non poſſum, ut eos tam immiti futuros animo exiſtimem. Quòd ſi autem pios illos Viros, nihil obſtante ſuâ illâ de capitibus inter nos controverſis diſcrepantiâ, ſuos in cœtus, ſua ad Sacra, nihilominùs velint admittere, quid cauſſæ eſt cur Eccleſias noſtras, ob eadem placita, imò fortè minùs dura, fraterna communione indignas pronuntient?

11. Plurimæ ſunt non minoris momenti Quæſtiones, circa quas, ſalvâ pace, diſſentire licet.

Quid multis? Innumeræ ſunt in Doctrina Sacra quæſtiones, quæ ab earundem partium Theologis variè admodum determinantur, innumera Scripturæ loca variò planè ſenſu expoſita, innumeri circa mores nodi (*caſus conſcientiæ* vocant) contrariò prorsùs modô explicati; Quæ quidem non minoris ſunt, imò quædam longè majoris, quàm controverſiæ noſtræ, momenti; ſed de quibus tamen diſſentire liberum ac ſolutum eſt, neque propterea Theologi ſibi mutuò infenſi ſunt, vel Eccleſiæ in partes vocantur. Quidni igitur, circa paucas illas quæ nos dirimunt quæſtiones, eadem manſuetudo, eadem æquitas ſervari queat?

12. Deus ſolus judex eſt: ſed nunquam dogmata noſtra exitialia pronuntiavit.

Optat. Lib. V. cont. Parmen. Donat.

Verùm, quid tot ambagibus utimur? quid tot rationum momenta ac pondera coacervamus? Una eſt inſtar omnium, & cauſſæ jugulum petit. Scilicet ut quædam dogmata exitialia pronuntientur, & illi qui ita ſentiunt à Communione noſtra arceantur, quis arbiter, quis judex erit? *Vos dicitis, licet; nos dicimus, non licet*, Donatiſtis aïebat Optatus. *Inter licet veſtrum, & non licet noſtrum, nutant & remigant animæ populorum. Nemo vobis credat, nemo nobis. Omnes contentioſi homines ſumus, & ſtudiis veritas impeditur. De Cœlo quærendus eſt Judex.* Hic pariter inter nos ambigitur, ad fraternam Chriſtianorum communionem quid requiratur? an certa profitentes dogmata, lethaliter vel non lethaliter errare exiſtimandi, an ad Sacra admittendi, an à Sacris removendi ſint? Hoc iſti, illud alii aſſerunt. Inter varia noſtra judicia nutant & remigant animæ populorum. Quis igitur litem dirimet? *De cælo quæ-*

quærendus eſt judex. Ita, ita eſt, AUDITORES. Unus Deus procul dubio, unus ille Legiſlator, quem penès eſt, & perdendi, & ſervandi arbitrium, unus, inquam, unus ille poteſt, & ſalutis & exitii, adeóque colendæ à nobis vel abrumpendæ communionis, limites ſtatuere. Imò verò, debet hoc judicium ita clarum apertúmque eſſe, ut nullus hæſitationi, nullus dubio ſuperſit locus. Hinc ſiquidem Dei bonitas poſtulat, ut mentem ſuam evidentiſſimè hac de re expoſuerit, dum ſcilicèt æternæ ſalutis vel exitii conditiones poſuit. Illinc nos ipſos à damnandis fratribus, & à communione noſtra arcendis, ita abhorrere par eſt, ut nonniſi inviti, reluctantes, mœſtiſſimi, ineluctabili denique divinorum Oraculorum evidentia coacti, ad hoc judicium ferendum ducamur. Jam verò, quis tali Oraculo, tam evidenti, tam ineluctabili, ad Eccleſias noſtras damnandas, noſque à Sacrorum fœdere arcendos, ſe coactum affirmare queat? Næ, qui hoc aſſerere auſit, is præcipitis admodum judicii, mentiſque affectibus & partium ſtudiis nimis excæcatæ notam effugere non poſſit.

Odioſa conſectaria Reformatis adſcripta diluuntur.

Scio equidem, AUDITORES (nec enim illud diſſimulandum eſt, ſiquidem hæc eſt una ex præcipuis ejus quam optamus Pacis remoris) Scio, inquam, illa non rarò Eccleſiis noſtris affingi, quæ quidem ſi teneremus, indigniſſimi mortalium eſſemus quibuſcum ulla iniretur concordia. Odioſa nempe conſectaria ex principiis noſtris eliciunt. Dicunt, nos Deum peccati auctorem facere, peccatores excuſare, Evangelium reſpectu maximæ hominum partis in ſcenam mutare; Sacramenta in figuras inanes convertere; Manichæiſmum, Stoiciſmum, Neſtorianiſmum, recoquere; aliáque idgenus, quæ ſi vera eſſent, cauſſam non dico cur non juſtiſſimè in omnium odia incurreremus, utpote qui Religionem totam & ſolidiſſima ejus fulcra everteremus. Verùm ſalva res eſt, AUDITORES; Pura eſt, quæ Dei eſt bonitas, ab impactis hiſce criminibus Reformatorum doctrina. Reclamant Doctores ipſorum, Libri, Scholæ, Pulpita, Subſellia; Imò & ipſa illorum praxis, quanquam ab ea quæ eſſe debuit, longiſſimè adhuc diſtat, eos

ta-

Digitized by Google

tamen de Dei virtutibus, & ſanctitatis ſtudio, non malè ſentire docet." Enimverò, Auditores, (ut quanta ſit iniquitas, in adſcribendis, etiam legitimis, ſed ab adverſario negatis conſequentiis, evidenter demonſtretur) fateor equidem tantam intercedere inter veritates omnes connexionem, ut ſæpe leviſſimus error, ſi accuratè inſpiciatur, cum graviſſimis ac evidentiſſimis principiis conſtare nequeat: Sed an ideò qui vel in leviſſimum errorem impegerit, ſtatim prima Scientiarum principia, ſtatim veritates momentoſiſſimas, negare exiſtimabitur? In Arithmeticis ac Geometricis, vel minimus in calculis error, cum principiis per ſe notis conſiſtere nequit: An ideò, qui, vel oſcitantiâ, vel falsâ quâdam deluſus ſpecie, malè calculos quoſdam ſubduxerit, ſtatim dicetur prima principia (velut, *totum eſſe majus ſua parte*, *ſi æqualibus æqualia demantur, reliqua æqualia fore*) ignorare vel inficiari? In Sacris pariter, quis neſcit innumera, ſive per inſcitiam, ſive per incogitantiam, ſive ex præconceptis animi opinionibus, viris piis excidere poſſe, quæ, poſitâ Dei exiſtentiâ & virtutibus, ſtare nequeunt? Numquid ſtatim viri illi pii Atheïſmi inſimulabuntur? Animas corporeas, *teneras & lucidas*, *aërii coloris*, *formæ per omnia humanæ*, Veterum multi ſomniabant, interque alios *Tertullianus*, quô quidem animi immortalitas non parùm convellebatur: An illi propterea animorum immortalitatem & vitam futuram negare dicendi erant? Humanam Chriſti Naturam verè paſſam negabat *Hilarius*: quô poſitô, Redemptionis veritas, & patientiæ Chriſti exemplum, penitùs evaneſcebant: An ideò pius ille Præſul Chriſtum ſervatorem abnegare cenſendus fuit? Poſſunt, fateor, conſectaria illa cum in finem rectè proponi, ut error unde fluunt revincatur, & illi qui ita errant ad ſaniorem mentem revocentur: At illa ipſa iis adſcribi, qui ea rejiciunt ac abominantur, quaſi illorum principia eſſent, utque ipſi exoſi præſtentur, id verò eſt, Auditores, quod per æquitatis leges non licet. Etenim, ſi illationibus, ex noſtra ductis ſententia, à nobis verò repudiatis, nobis invidiam conflare liceat, quidni & nos eodem jure,

Tertull. de Anima cap. 9.

re, iiſdem armis in Fratres utamur? Neſtorianiſmi nos inſimulant: Et nos Eutychianiſmi vice verſâ illos poſtulabimus. Manichæiſmum noſtris impingunt; Noſtri contrà Pelagianiſmum vel Semipelagianiſmum ipſis adſcribent: Quæ quidem agendi ratio, ſi iniqua ipſis videatur, cùm in ipſos admittitur, videant an æquum ſit, & caritati conſentaneum, eam ipſam in nos adhibere. *Omittamus ergo iſta communia* (ut hîc Auguſtini dictum uſurpemus) *quæ dici ex utraque parte poſſunt, licèt verè dici ex utraque parte non poſſint.* Quid, quòd, poſitâ Dei præſcientiâ, qualem Auguſtani Fratres confitentur, eædem propemodum difficultates, eadem fermè incommoda redeunt; ſiquidem, vel hôc ipſô, res humanæ ineluctabili neceſſitatis lege conſtringuntur: Quocirca, non nos mutuis ejuſmodi, quæ utriſque ferè communes ſunt, criminationibus infamare, ſed hæc arcana placidè modeſtéque expendere, rationes omnes ultrò citróque æquâ lance ponderare, quæque hypotheſes Dei virtutibus, & Scripturæ oraculis, convenientiſſimæ viſæ fuerint, eas, ſalvô aliorum judiciô, ſalvâ pace, eligere decet.

Quibus omnibus & hæc adjicimus, ad eximendos hanc in materiam Fratrum ſcrupulos non importuna. *Primum*, ſi quid aſperiùs à Theologis noſtris dictum ſit, nos in eorum verba non jurare, & illa indicta velle. *Alterum*, non minùs dura, imò fortè duriora, ipſi Luthero excidiſſe, prout vel ex ejus *de Servo Arbitrio* diatriba conſtare poteſt. *Tertium*, duriſſimas illas hypotheſes, *Supralapſariorum* dictas, quæ quidem præcipuam anſam noſtris accuſandis olim præbuerant, hodie ferè in totum proſcribi, & mitiora quotidie principia inter nos invaleſcere. *Denique*, & hoc adjicere non piget, ſi quid labis, ſi quid erroris, in Eccleſiis noſtris ſupereſt, ſi quid labis, ſi quid erroris, in Auguſtanorum Fratrum doctrina, (prout re verâ nemo eſt noſtrûm, qui ſeipſum vel ſuum Cœtum errare neſcium exiſtimet) id per illam quam urgemus Concordiam facillimè emendatum iri. Ac ſanè, dum partibus diſtrahimur, vix alii alios audimus; Quæ unus profert, alteri ſuſpecta ſunt. At,

Digitized by Google

At, ſublatis partium nominibus, alia longè erit rerum facies; nos non ampliùs ut adverſarios, ſed ut fratres, adſpiciemus; mutuámque nobis lucem, mutua auxilia, commodabimus. Si qua in parte meliùs ſentimus, lubentes Fratrum animos ad ſententiam noſtram trahemus. Si qua in parte meliùs ſentiunt, illi rationum ſuarum pondera ac momenta nobis probabunt. Sic ex pace lux orietur. Sic ſeſe mutuis Pax & Veritas oſculis excipient. Qui quidem fructus, ad commendanda ac ſuadenda Pacis conſilia, in minimis non eſt cenſendus.

Dies me deficeret, Auditores, ſi quæcunque ad minuendum Controverſiarum noſtrarum momentum, & componenda diſſidia, faciunt, oratione complecti vellem. Unum non poſſum omittere, antequàm manum de tabula ponam; quanto ſcilicet hujus pacis ſtudio Viri piiſſimi ac celeberrimi utriuſque partis ſemper flagraverint. De *Reformatis* haud opus eſt dicere, utpote qui, tot editis Libris, tot Theologorum Judiciis, tot Conventuum Eccleſiaſticorum ac Synodorum ſanctionibus, propenſiſſimam ſuam voluntatem abundè teſtati ſunt. Sed nec alio animo fuit, ubi ſaltem placidè ac ſedatâ mente loqueretur, ſummus ille Vir Dei *Lutherus*. Teſtis eſto Præfatio illa, quam Fratrum *Bohemorum*, ſive *Waldenſium*, Confeſſioni præfixit, quâ eos Fratres agnoſcit, in unum ovi„le ſub Chriſto ſummo Paſtore reductis gratulatur, eorumque „doctrinæ innocentiam, adversùs Papicolarum calumnias, defendit. Teſtis etiam amantiſſima ad *Waldenſes* illos Epiſtola, „quâ ſe vehementer optare innuit, ut qui Evangelium amant, „mutua charitate ſeſe proſequantur, neque ſeipſos mutuis odiis „ac diſcordiis perdant, *præſertim*, ait, *propter illas rés*, *de quibus tumultuari non eſt neceſſe*. Teſtes imprimis ſuaviſſimæ illæ ad Evangelicas Helvetiæ noſtræ Civitates Literæ, ubi, „quid ſentiat de Concordia, quantoperè illam exoptet, quan„tùm à clamoſis quibuſdam pacis oſoribus abhorreat, quan„tùm denique, tum in ſcriptis, tum in Concionibus, eam „promovere paratus ſit, prægnantiſſimis verbis teſtatur. Fa„teor equidem non ſemper illum eâdem uſum moderatione;

Viri ſũ utriuſque partis magno pacis ſtudio flagrarunt.

An. 1535.

An. 1537.

Verùm, ſi quid inclementius aliquando ipſi exciderit, liceat illud velo obtegere, ejuſque potiùs manſuetudinem, quàm fervorem nimium, ab aliis fortè excitatum, in exemplum nobis trahere. Et quis neſcit mite *Philippi* ingenium, tum in epiſtolis ad Calvinum noſtrum, tum alibi paſſim, conteſtatum? Sanctam animam, cujus ſi vota, conſilia, preces, valuiſſent, nunquam in has flammas creviſſet incendium. Et quis ignorat, quantâ pietate, quantâ ſapientiâ, quantâ manſuetudine, beatum hoc Concordiæ negotium promoverit optimus *Calixtus*? eò uſque ut malevolorum criminationibus ſeſe objicere, quàm à pio hoc propoſito deſiſtere, ſemper maluerit. Quæ mens etiam pio illi Præſuli, Strengnenſi Epiſcopo, *Joh. Matthiæ* fuit, qui, tum Literis ad Sueciæ Regem CAROLUM GUSTAVUM, hodierni Heroïs CAROLI XII. latè triumphantis avum, tum ſuô *Olivæ Septentrionalis Ramô*, quanto Pacis deſiderio teneretur, teſtatum reliquit. Ut jam alios non paucos, eodem afflatos ſpiritu, atque inter noviſſimos celeberrimum *Puffendorfium*, jam omittamus.

An. 1656.

Concordia Actis publicis non ſemel ſancita eſt.

Neque verò hæc privata tantùm quorundam ſententia fuit, ſed publicis Eccleſiarum Conventibus & Colloquiis non ſemel confirmata; velut in *Colloquio Marpurgenſi*, anno 1529. quô *Lutherus* & *Zuinglius*, in uno licèt de Euchariſtia capite diſſidentes, mutuam nihilominùs ſibi caritatem ſpopondêre; velut in *Concordia Wittembergica*, anno 1536. cui *Lutherus*, *Bucerus*, aliíque benè multi, ab utraque parte ſubſcripſêre, & quâ tota controverſia compoſita videbatur; velut in *Conventu Sendomirienſi*, anno 1570., ubi Eccleſiæ *Polonicæ*, Auguſtanam, Bohemicam, & Helveticam Confeſſionem profitentes, unum in corpus coaluêre; qui Conſenſus, & *Poſnaniæ* eodem anno, & *Cracoviæ* anno 1573., & *Petricovii*, anno 1578., & *Wlodiſlaviæ* anno 1583. & *Torunii*, anno 1595. frequentibus decretis confirmatus eſt. Quemadmodum verò Polonicæ, ſic & *Bohemicæ* Eccleſiæ, anno 1575. in hunc Conſenſum pedibus ivêre; Quarum quidem Fidei formula Maximiliano Imp. oblata, ab eo rata habita, & ſecuritate donata eſt. Denique, nuper

Digitized by Google

per elapſô Sæculô, quis neſcit, & in Colloquio *Lipſienſi*, anno 1631. & in Conventu *Torunienſi*, anno 1645. & in Colloquio *Caſſellenſi* anno 1661. & in variis Eccleſiarum & Academiarum Conventibus, mitiſſima ac ſaluberrima, ab utriuſque partis Theologis, conſilia capta eſſe? In quibus omnibus, ſumma eluxit, Sereniſſimorum atque omni laude digniſſimorum Principum, ex Domo imprimis BRANDENBURGICA, PALATINA, atque HASSIACA, pietas ac ſollicitudo, quibus auctoribus ac promotoribus Colloquia illa habita ſunt, quique, ad moderata conſilia, tum Theologis, tum populis ſuis inſtillanda, nihil omiſerunt. Quæ quidem omnia eâ mente refero, ut pateat Concordiam illam, tot Principum curis promotam, tot Theologorum calculis probatam, imò tot Eccleſiarum ſanctionibus ſtabilitam, facillimè ſub piorum Principum hodierno die regnantium præſidio, ſpeciatim verò ſub auſpiciis Potentiſſimi, Sapientiſſimi, Laudatiſſimíque Monarchæ FRIDERICI BORUSSIÆ REGIS, & ELECTORIS BRANDENBURGICI, quem non tam regium faſtigium, natalium ſplendori adjunctum, quàm regiæ virtutes illuſtrant, qui nihil antiquius habet, quàm ut Regnum Dei promoveat, ſubditoſque ſibi populos ad Chriſtianam concordiam impellat, cujus pietati tot tantáque jam Proteſtantium Eccleſiæ debent, quíque in hoc, ut cæteris omnibus, FRIDERICI WILHELMI MAGNI glorioſis inſiſtens veſtigiis, ad ſumma laudum ſurgit cacumina, Concordiam, inquam, illam, tot definitionibus jam inſtitutam, ſub feliciſſimis iſtis auſpiciis non renovari tantummodò, ſed & perpetuam ac univerſalem facili negotio ſanciri poſſe.

QUÆ cùm ita ſint, Auditores, equidem Vobis injurius ſim, ſi tam æquæ, tam neceſſariæ, tam Chriſtianæ Pacis amorem, longâ iterùm peroratione, ad affectus movendos compoſitâ, in Vobis accendere coner. Certè, ſi quid valent Chriſti mandata, quibus pacem diſcipulis ſuis tantoperè commendavit; ſi quid valent voces Apoſtolicæ, quibus tolerantia ac manſuetudo, in eos qui à nobis diſſentiunt, tam

Conclusio.

Argumenta ad concordiam im. ellentia congeruntur.

ite-

iteratis monitis præcipitur; ſi quid valet exemplum ipſum & praxis Apoſtolorum, qui, quanquam falli neſcii, tantâ tamen lenitate diverſum à ſeipſis ſentientes complectebantur; ſi quid valet ipſa indoles ac genius Chriſtianiſmi, non ad diſſidia & turbas, ſed ad animos tranquillandos colligandóſque comparati; ſi quid valet temporis redemptio, quod infauſtis illis Controverſiis penè totum abſumitur, dum tot aliis utilioribus nos exerceri potiùs deceret; ſi quid valet ſcandali, quod ex tot rixis & convitiis naſcitur, averſatio; ſi quid valet Eccleſiæ caritas, quæ importunis hiſce diſſidiis miſerè diſcerpitur, hoſtibúſque in prædam cedit; ſi quid valent Prophetarum Oracula, de *dilatandis Semi tentoriis*, regnóque Chriſti in terris ante rerum finem ampliando, quod quidem ſine mutua inter diſſentientes tolerantia vix fieri poteſt; ſi quid denique apud nos poſſunt tot divinæ dextræ indicia, in hodierno rerum ſtatu tam apertè ſe exſerentia; ſi quid, inquam, hæc omnia valent, utique pacem ineundam, exſtinguenda diſſidia, donandas Reipublicæ Chriſtianæ ſimultates, tantâ monent, tantâ clamant voce, ut ſurdus ſit qui hæc non audiat, & caute durior qui non moveatur.

Conſilia ad hanc Pacem ſpectantia proponuntur.

Ad hanc verò Pacem, AUDITORES, (noſtris ſi quis conſiliis locus) ſequentia non mediocriter profutura exiſtimamus. Si dignam primò Chriſtianæ Fidei nobis ideam efformemus, utpote quæ, non in minutis quibuſdam quæſtionibus, non in ſcholaſticis argutiis, ſed in divinarum virtutum effigie animis inſculpenda, atque exprimenda moribus, ſita eſt: Si deinde circa obſcura (quæ, bone Deus, quanto numero ſunt?) judicium cohibeamus, ἐν ἐμβατεύοντες ἃ μὴ ἑωράκαμεν, *non irrumpentes in ea quæ non vidimus*, quod in quibuſdam ſui ævi Doctoribus tantoperè damnabat Apoſtolus, ſed quod Doctoribus omnium temporum, heu! nimis ſolenne fuit: Si Quæſtionum omnium momenta accuratè ſemper ponderemus, ſedulóque diſtinguamus, ne ſcilicet fœnum & ſtipulæ cum ipſo Chriſtianiſmi fundamento confundantur: Si, neque nos, neque noſtros Cœtus, neque ullas Synodos, nec ulla denique humana Scripta, quan-

Coloſſ. II. 18.

1 Cor. III. 12.

tôcun-

tôcunque hominum numerô vel auctoritate confirmata, ab erroris periculo immunia eſſe recordemur; proindéque fidem omnem noſtram uni Dei Verbo alligandam; tum, ſi quid boni moneamur, id miſsâ priore ſententiâ, nullô pudore, nullâ pertinaciâ, generosè ampleċtendum eſſe: Si ſpeciatim affectuum vinculis ita nos liberemus, ſuperbiæ, zelotypiæ, dominandi ſtudio, ita nuntium mittamus, ut liberrimus veritati undecunque accedenti aditus pateat: Si controverſæ inter nos quæſtiones, in iis præſertim regionibus in quibus ſunt qui diverſa ſentiant, ad populum nunquam referantur; ſi quando verò agitentur in Scholis, magna ſemper cum lenitate ac moderatione tractentur: Si, tum in his, tum in aliis non minùs arduis quæſtionibus, Scholæ ideas atque locutiones, quantùm fieri poterit, vitemus, neque quidquam præter ipſiſſima Scripturæ dicta proferamus, quibus quidem nemo niſi impius aſſenſum negare auſit: Si denique in primariis, ac verè utilibus, Chriſtianæ Doctrinæ apicibus, pietate, ſanctitate, caritate, temperantia, tum in nobis ipſis producendis, tum aliis inſtillandis, ita tempus omne noſtrum, ita laborem omnem inſumamus, ut ad vanas & infrugiferas altercationes non ampliùs vacet: Hâc methodô, mihi credite, his ad praxim revocatis regulis, ad exoptatam illam pacem, imò & ad alias non paucas componendas Controverſias, tutiſſimam viam ſternemus. Quibus ſi accedat REGUM, PRINCIPUM, MAGISTRATUUM auctoritas (accedet autem, niſi nos ſpes fallant, tot piis, tot eximiis, tot omni laude conſpicuis PRINCIPIBUS ad clavum hodie ſedentibus) quin præclarum iſtud opus ad umbilicum tandem, imò verò noſtris diebus, perducatur, nulli dubitamus.

Verùm, Auditores, cùm hæc nimia ſint, quàm ut ab hominibus expectari queant, ad Deum iterùm vota dirigamus, qui diſſidentium oculos aperiat, affectus domet, corda flectat, efficiat denique ut, poſitis omnibus diſſidiis, unâ mente atque unô ore, Chriſti Regno promovendo ac defendendo operam demus. Dixi.

Ne paginæ aliquot vacarent, placuit ex epiſtola LUTHERI ad Evangelicas Helvetiæ Civitates, cujus mentionem pag. 233. injecimus, nonnulla hic exſcribere; quibus patebit, quanto Concordiæ ſtudio Vir ille ſummus flagraret, quàmque proinde ab ejus indole ac mente abhorreant, quicunque pacis conſilia averſantur.

Ex Epiſtola LUTHERI ad Evangelicas Helvetiæ Civitates, datâ 1. Decemb. 1537.

„Ac primùm vehementer gaudeo, me intelligere, quod, ſepoſita omni acerbitate ac ſuſpicione, quæ cum concionatoribus „veſtris nobis interceſſit, ſerio ex animo concordiam inire ac „promovere deliberatum habeatis. Deus & pater omnis con„cordiæ & dilectionis, cœptum hoc opus bonum clementer „perficere dignetur, ſicut ſcriptum eſt; *Cùm probavit Dominus „viam viri, etiam inimicos ejus dirigit ad pacem.* Difficulter „quidem atque vix fieri poterit, ut tantæ contentionis vulnus „repente atque illico abſque omni cicatrice conſolidetur. Erunt „enim tam apud vos quàm apud nos aliqui, quibus Concor„dia hæc parum probabitur, ſed ſuſpecta erit. Si tamen nos „utrinque, quibus illa cordi eſt, ſerio ſeduloque inſtabimus, „clementiſſimus Deus & Pater utique gratiam ſuam dabit, ut „& alii paulatim miteſcant, & aquæ turbidæ conſidant.

„Rogo itaque peramanter V. P. hoc agant & curent ſerio, „ut apud vos & veſtrates clamoſi illi, qui adverſus nos & con„cordiam blaterant, à vociferationibus ſuis abſtineant, ac po„pulum ſimpliciter doceant; & totum hoc concordiæ nego„tium illis curandum relinquant, qui ad talia vocati ſunt at„que idonei: nec eos impediant. Quemadmodum & nos hoc „loco, tum in ſcriptis, tum in concionibus, tranquillitati ſtudebi„mus, & ab invectivis in veſtros abſtinebimus: ne cauſam ul„lam concordiæ impediendæ præbeamus: quippe quam, Deo

teſte,

„teſte, toto pectore videre exoptamus. Et laus ſit Deo: di„micatum, declamatum hactenus fuit plus ſatis, ſiquidem ali„quid ſic profici potuiſſet. Cumprimis verò vos obnixè roga„tos volo, ita de me exiſtimetis, tanquam de eo, cui res to„ta ſumme ſit cordi, quique quantum omnino mearum erit „virium, nihil eorum ſit intermiſſurus, quæ ad Concordiam „promovendam pertinebunt. Novit id Deus, quem teſtem in„voco ſuper animam meam. Diſſidium enim hoc nec mihi „nec cuiquam profuit: Sed plurimum damni dedit: ex quo „profecto nihil utilitatis vel commodi ſperari potuit, vel etiam„num poteſt.

Mox, enumeratis iis articulis, de quibus Helvetii ſcripſerant, cùm de Cœna Domini dixiſſet, hæc continuò ſubjungit.

„Veruntamen, ſi, quod priùs dixi, omninò ſatis rectè men„tem mutuò percipimus, hoc in præſens optimum ſit, ut in„vicem amici ſimus, & optima quæque mutuo de nobis in„vicem polliceamur, donec gluma & fæculenta aqua tandem „ſubſidat. Poterunt hic & in reliquis omnibus D. Capito & „Martinus Bucerus optimè in medium conſulere: modo pecto„ra invicem componamus, ac ſimultates omnes faceſſere jubea„mus, ut Spiritui ſancto locus detur. Inſuper ut dilectio & „amicabilis Concordia inter nos perfecta vigeat, ex parte noſ„tra nihil faciemus reliquum: cumprimis ego, quantum ad „me, omnem offenſam penitus ex animo delebo, vobiſque „amorem & fidem omnem polliceor. Quantumvis enim nos, „qui rem hanc ſerio agimus, ſumma quæque egerimus; ſem„per tamen auxilio Dei & conſilio majore indigebimus: quan„doquidem Satan ſummus noſter & concordiæ hoſtis, facile „ſuos noverit invenire, per quos ſumma imis conturbet: ut „nihil ſit opus, nos diffidentiæ vel ſuſpicionibus invicem in„dulgere; ſed cumprimis neceſſarium, ut corda ſimul & dex„tras mutuo porrigamus, ne poſteriora fiant deteriora prioribus.

Deni-

Digitized by Google

Denique, in hæc vota deſinit, eundem pacis amorem ſpirantia;

„Commendo V. P. omnes & ſingulos cum omnibus veſtris „Deo Patri omnis miſericordiæ & conſolationis. Is gratia Spi„ritus ſui utrinque corda noſtra per Chriſtianam dilectionem „mutuo conglutinet, expurgetque ſcorias & ſordes humanæ „diffidentiæ & diabolicæ malitiæ ac ſuſpicionis, ad gloriam „& laudem divini ſui nominis: ad ſalutem multarum anima„rum: in deſpectum Diaboli & Papæ, omniumque illis adhæ„rentium: Amen. 1. Decembr. anno 1537.

V. P.

Addictus

Martinus Lutherus.

DE

DE PACE
PROTESTANTIUM
ECCLESIASTICA,

I. Epiſtola PASTORUM & PROFESSORUM GENEVENSIUM ad Sereniſſimum BORUSSIÆ REGEM.

II. Sereniſſimi BORUSSIÆ REGIS ad Epiſtolam illam Reſponſum.

III. Viri Illuſtriſſimi COMITIS A METTERNICH Sereniſſimi Boruſſiæ Regis *Miniſtri Statûs*, Ejúſque *ad Helvetios Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii*, Epiſtola ad PASTORES & PROFESSORES GENEVENSES, cùm Reſponſum Regium ad ipſos tranſmitteret.

Digitized by Google

LECTORI
PIO ET PACIS
STUDIOSO.

DE infauſto Proteſtantium Schiſmate, & exoptata Concordia, multa hîc præfari animus non eſt. Hoc unum monebimus, Auguſtiſſimum Potentiſſimúmque BORUSSIÆ REGEM, feliciſſimis auſpiciis hodie regnantem, ferventiſſimum quô tangitur promovendæ Concordiæ ſtudium, in reſponſoria ſua ad *Eccleſiæ & Academiæ Genevenſis Paſtores & Profeſſores* Epiſtola, non modò luculentiſſimè teſtatum dediſſe, ſed &, editis hiſce Literis, publicum regiæ ſuæ voluntatis monumentum exſtare voluiſſe. Qua in re, ut cæteris omnibus, quàm pium & fidum ſe gerat regiorum conſiliorum interpretem atque adminiſtrum Vir Illuſtriſſimus COMES A METTERNICH Sereniſſimi BORUSSIÆ REGIS *Miniſter Statûs*, *Legatus Extraordinarius & Plenipotentiarius*, Vir exquiſita eruditione, ſubacta prudentia, ſummis & magna cum laude geſtis Muneribus, ſed ſingulari cumprimis virtute ac pietate conſpicuus, ex ejus Epiſtola, Regiæ adjuncta, abundè liquet; Quam & nos hîc, illius juſſu, publici juris facimus.

Porrò, cùm ex his Epiſtolis, aliæ quidem Gallico, aliæ Latino idiomate conſcriptæ eſſent, nos Gallicis Latinam Verſionem, Latinis Gallicam hîc adjunximus; ne, qui alterutram Linguam ignorant, horum Scriptorum lectione, ullâ ex parte, fraudarentur.

Faxit DEUS Opt. Max. ut, tantis exemplis, cæteri REGES, PRINCIPES, MAGNATES, quique iis ſunt A CONSILIIS, nec non & Doctores omnes, omnéſque in univerſum Pii, ad exoptatam hanc Concordiam pro viribus urgendam & promovendam impellantur.

L

I.

Lettre des Paſteurs & des Profeſſeurs de l'Egliſe & de l'Academie de GENE'VE, à SA MAJESTE' LE ROI DE PRUSSE.

SIRE,

VOTRE MAJESTE' ſera peut-être ſurpriſe de la liberté que nous prenons de paroître devant Elle. Mais, quand Elle ſaura le ſujet dont nous avons à l'entretenir, nous oſons eſperer qu'il ne lui ſera pas déſagréable.

Dieu a ſuſcité VOTRE MAJESTE' pour de grandes choſes. Nous n'en ſaurions douter, SIRE, quand nous faiſons réflexion ſur les grandes qualitez dont VOTRE MAJESTE' eſt ornée, & en particulier ſur le zéle qu'Elle fait paroître pour tout ce qui peut contribuër à l'avancement du Regne de Dieu, & au bien de la Religion. Tant d'Egliſes, dont VOTRE MAJESTE' a procuré & procure encore tous les jours le rétabliſſement, tant de Fideles qu'Elle a reçûs, d'une maniere ſi gene-

Digitized by Google

genereuſe & ſi charitable, dans ſes Etats, & tant de beaux Réglemens qui ſe ſont faits ſous ſon Regne, pour l'éducation de la Jeuneſſe, & en faveur de la Réligion, ſont des monumens authentiques de la pieté & du zéle de VOTRE MAJESTE', qui engagent tous les Proteſtans à Vous regarder comme leur Pere & leur Protecteur commun, & à joindre Votre Auguſte Nom à celui des Conſtantins, *des* Theodoſes, *& des* Charlemagnes.

Mais entre les grandes choſes que VOTRE MAJESTE' a faites, & qu'Elle fait encore pour la Religion, une des principales ſans doute, ce ſont les ſoins qu'Elle ſe donne pour la Réünion des Proteſtans. Ce deſſein là, SIRE, eſt bien digne de VOTRE MAJESTE'; Et rien ne peut tant contribuër à la gloire de Votre Regne, que cette ſainte Réünion, qui eſt ſi juſte en elle-même, ſi conforme aux maximes de l'Evangile, ſi utile pour l'interêt commun de la Religion Proteſtante, ſi neceſſaire pour nous garantir des entrepriſes du Papiſme qui ne cherche qu'à nous perdre les uns & les autres, enfin qui eſt ſouhaitée avec tant d'ardeur par tous les gens de bien, & qui ne ſauroit manquer, ſi elle eſt une fois concluë, de contribuër infiniment à étendre les bornes de nôtre ſainte Reformation. Non, SIRE, il n'y a point de victoire, il n'y a point de trophée, qui ſoit comparable à la gloire d'avoir procuré une paix ſi Chrétienne, ſi neceſſaire, & ſi ſouhaitée.

Nous apprenons, SIRE, avec une extrême joye, combien VOTRE MAJESTE' a à cœur ce grand ouvrage, & avec quelle application Elle travaille à l'avancer. Nous applaudiſſons à une ſi ſainte entrepriſe. Nous beniſſons Dieu, qui en a inſpiré la penſée à VOTRE MAJESTE'. Et ſi nous étions aſſez heureux pour y pouvoir contribuër en quelque maniere, nous pouvons aſſurer VOTRE MAJESTE' que nous y travaillerions de toutes nos forces, & qu'il n'y a aucune démarche que nous ne fiſſions pour cela. Ainſi comme on nous a fait entendre, que, ſi nous expoſions là deſſus nos ſentimens à VOTRE MAJESTE', cela pourroit être de quelque uſage, nous nous y ſommes

Digitized by Google

mes déterminez ſans peine, & nous avons été ravis que cette occaſion ſe ſoit preſentée, pour nous approcher d'un Prince, que nous regardons avec tant de reſpect, dont la Perſonne nous eſt ſi chere, & qui a donné tant de marques de ſon affection & de ſa bienveuillance à cet Etat & à cette Egliſe.

Nous dirons donc à VOTRE MAJESTE' (ſi Elle veut bien nous donner quelques momens d'audience) que le ſentiment conſtant & unanime de nôtre Egliſe a toûjours été celui-ci: Que les Proteſtans des deux Communions conviennent ſur tout ce qu'il y a d'important & d'eſſentiel dans la Religion: Que, ni chez les uns, ni chez les autres, il n'y a aucune erreur fondamentale, ni aucun Culte idolatre ou defendu de Dieu: Que les queſtions qui nous ſéparent, ne ſont point eſſentielles à la foi, ni neceſſaires pour le ſalut: Qu'ainſi, nous devons nous ſupporter là-deſſus les uns les autres, comme on ſe ſupporte ſur pluſieurs autres choſes, à l'egard deſquelles les Docteurs d'une même Communion ſont partagez: Enfin, que ces differences-là ne doivent point nous empêcher de nous regarder tous comme Freres, d'aſſiſter aux Aſſemblées les uns des autres, de communier les uns chez les autres, ni, en un mot, de compoſer tous enſemble une ſeule Communion Eccleſiaſtique.

Pour ce qui regarde la maniere de reünir les deux Partis, nous n'eſtimons pas qu'on le puiſſe faire par des conteſtations & par des diſputes. Cette voye ſeroit infinie; Perſonne ne veut ceder; Et les diſputes aigriſſent les eſprits, plutôt que de les adoucir. Il vaut beaucoup mieux, ſelon nous, faire ceſſer toutes les diſputes ſur les queſtions qui nous diviſent, ne parler jamais de ces matieres qu'avec moderation & avec douceur, s'attacher ſur tout à faire voir que ces queſtions ſont peu importantes, &, au reſte, ſans entrer là-dedans, ouvrir nôtre ſein à ceux de nos Freres qui voudront venir à nous, & aller nous mêmes à eux, quand ils voudront nous recevoir; en un mot nous ſupporter charitablement les uns les autres, comme les Apôtres de Jeſus-Chriſt nous y exhortent en tant d'endroits, & comme ils nous ont montré qu'il falloit faire par leur exemple, juſques à ce qu'il plaiſe à

 Dieu

Digitized by Google

Dieu de diſſiper tous nos doutes, & de nous révéler aux uns & aux autres ce que nous ignorons.

C'eſt auſſi ſur ce fondement, que nôtre Egliſe a toûjours agi. Toutes les fois qu'on l'a conſultée, elle a répondu dans ce ſens-là. Pluſieurs d'entre nos Docteurs ont fait des Traitez exprès pour montrer que c'étoit là leur penſée. Quand il y a des perſonnes de la Confeſſion d'Augsbourg, qui ſouhaitent de communier avec nous, nous les recevons à bras ouverts, ſans exiger d'eux aucune abjuration de leurs ſentimens. Et s'ils nous veulent recevoir ſous la même condition, nous ſommes tous diſpoſez à communier avec leurs Egliſes.

Nous pouvons même ajouter un Fait, qui fera connoître à VOTRE MAJESTE' les ſentimens moderez & pacifiques de cette Egliſe; C'eſt que quelques particuliers de la Confeſſion d'Augsbourg ayant demandé, il y a quelques années, la permiſſion de communier ici de tems en tems, de la main d'un de leurs Miniſtres, nôtre Compagnie, qui fut convoquée deux fois pour en déliberer, y donna unanimément les mains; Après quoi, ayant porté cet avis à nôtre Magiſtrat, il ne ſe fit aucune peine de leur accorder leur demande. *

Enfin, SIRE, nous pouvons aſſurer qu'il n'y a peut-être aucune Egliſe dans tout le Parti Proteſtant, qui ait des ſentimens plus moderez & plus portez à la paix, ni par conſequent qui entre mieux dans l'eſprit & dans les vûës de VOTRE MAJESTE', que le ſont les Conducteurs de l'Egliſe de Geneve.

Quel bonheur, SIRE, ſi ce grand ouvrage, qui a été avancé ſi heureuſement par Vos Prédéceſſeurs, & en particulier par le Grand FRIDERIC GUILLAUME Vôtre Pere, de triomphante memoire, pouvoit enfin être amené, ſous les auſpices de VOTRE MAJESTE', à une heureuſe exécution! L'oſerons-nous dire, GRAND PRINCE? Toute l'Europe a les yeux ſur Vous. On Vous regarde comme le Protecteur de la Religion Proteſtante. Jamais les conjonctures n'ont paru ſi favorables. La

* Peu d'années après, une Egliſe Lutherienne a été établie à Geneve par autorité Publique.

Digitized by Google

La grandeur de VOTRE MAJESTE', le rang éminent qu'Elle tient dans le monde, ſes ſuccès, ſes Alliances, mais ſur tout la pieté & le zèle dont Elle eſt animée, toutes ces conſiderations nous préſentent un heureux avenir, & nous font eſperer de grandes choſes.

Puiſſiez-vous, SIRE, remplir nos eſperances; Et veuille le Ciel Vous conſerver pour cela, pendant une longue ſuite d'années, & répandre ſur VOTRE MAJESTE' ſes plus précieuſes benedictions. Nous fumes allarmez, il y a quelques ſemaines, par la maladie de VOTRE MAJESTE'. Mais Dieu a eu ſoin de ſon Egliſe, & Vous a rendu à nos vœux. Nous le prions, SIRE, avec toute l'ardeur & tout le zèle dont nous ſommes capables, pour la conſervation de VOTRE PERSONNE SACRE'E, pour la proſperité de toute la MAISON ROYALE, & pour le ſuccès de tous Vos grands & pieux deſſeins. Nous ſommes avec le plus profond reſpect, & la plus parfaite ſoumiſſion,

SIRE,

De VOTRE MAJESTE'

A GENEVE ce 22. Avril 1707.

Les très-humbles & très-obeïſſans ſerviteurs,
Les Paſteurs & les Profeſſeurs de l'Egliſe & de l'Academie de GENEVE.

Jean Alphonſe Turrettin *Moderateur, Paſteur & Profeſſeur en Theologie & en Hiſtoire Eccleſiaſtique.*
Benedict Calandrin *Paſteur & Profeſſeur en Theologie.*
Domaine Butini *Paſteur.*

Mi-

Digitized by Google

Michel de Turrettin *Paſteur & Profeſſeur aux Langues Orientales.*
Jean de la Rive *Paſteur.*
Vincent Minutoli *Paſteur & Profeſſeur aux Belles Lettres.*
Benedict Pictet *Paſteur & Profeſſeur en Theologie.*
Antoine Leger *Paſteur & Profeſſeur en Philoſophie.*
Jean Sartoris *Paſteur.*
Jean Saraſin *Paſteur.*
François Daſſier *Paſteur.*
Jean Pierre Galatin *Paſteur.*
Jean Antoine Fatio *Paſteur.*
Gabriel Fabri *Paſteur.*
Antoine Maurice *Paſteur.*
Jean Jaques Deſprez *Paſteur.*
Jean Louïs Calandrin *Paſteur.*
Benigne Muſſard *Profeſſeur en Droit.*
Jean Antoine Gautier *Profeſſeur en Philoſophie.*
E. Jallabert *Paſteur & Profeſſeur en Mathematiques.*
Abraham Chenaud *Paſteur.*
Pierre Violier *Paſteur.*
Thomas Lamon *Paſteur.*
Eſtienne Decarro *Paſteur.*
Pierre Pinaut *Paſteur.*
Jean Rocca *Paſteur.*
Iſaac Senebier *Paſteur.*
Leonard Baulacre *Miniſtre.*
Jacob Beſſonnet *Miniſtre.*
Jaques Vial de Beaumont *Miniſtre.*

Eadem

Digitized by Google

Eadem Epiſtola Paſtorum & Profeſſorum Eccleſiæ & Academiæ GENEVENSIS *ad Sereniſſimum BORUSSIÆ REGEM.*

Ex Gallico Latinè reddita.

SERENISSIME REX,

MIrum forſan REGIÆ TUÆ MAJESTATI videbitur, quòd ad Te in tanto collocatum faſtigio accedere audeamus: Verùm, ubi intellexeris quid cauſſæ ſit cur Te compellemus, in ſpem inducimur, rem Tibi minimè ingratam fore.

Ad magna, SERENISSIME REX, Te divina profectò finxit extulítque Providentia. Nec enim id dubium eſſe ſinunt tot eximiæ quæ in Te fulgent dotes, illáque in primis ferventiſſima in Deum pietas, quâ ad ea omnia accenderis, quæ ad Regnum Dei promovendum, Sacrorúmque incrementum, ſpectare poſſunt. Enimverò, tot Eccleſiæ, quas vel excitâſti hactenus, vel excitare etiamnum paras, tot pii Tuis in ditionibus tantâ benignitate excepti, tantâ munificentiâ ſuſtentati, tot denique, ad liberalem Juventutis inſtitutionem, & commodum Religionis, præclarè oppidò ac ſapienter, Te regnante, inſtituta, quid aliud ſunt niſi luculentiſſimum Tuæ in Deum pietatis ac zeli argumentum? Quô factum, ut illi omnes qui Evangelicam Fidem profitentur, Te communis Parentis ac Defenſoris loco habeant, Téque *Conſtantinis*, *Theodoſiis*, *Carolis Magnis*, aliiſque laudatiſſimis & de Eccleſia optimè meritis Principibus, ſuccenturient.

Digitized by Google

Verùm, inter præclara Tua in Eccleſiam merita, eminet illa procul dubio, Chriſtiano Rege digniſſima, de componendo Proteſtantium ſchiſmate, quâ tangeris, ſollicitudo. Ac ſanè, Tuo quid dignius faſtigio, Tui Principatûs illuſtrandæ gloriæ atque extendendæ quid aptius, quàm piæ hujus Concordiæ cura? quæ, & æquiſſima eſt per ſeſe, & Evangelii legibus apprimè conſentanea, & communi Proteſtantium cauſſæ & commodis utiliſſima, & ad fallendas Papatûs artes, utriſque noſtrûm inſidiantis, noſque disjunctos tantò faciliùs perdere geſtientis, perquàm neceſſaria, denique à bonis omnibus ferventiſſimis vòtis exoptata, quâque initâ dubium non eſt quin purioris Eccleſiæ limites longuè latéque extenderentur. Hôc titulô, SERENISSIME REX, hâc tam piâ, tam neceſſariâ, tot precibus expetitâ Concordiâ, meliùs longè quàm ullis victoriis trophæiſque reportatis, REGII TUI NOMINIS decus ſplendebit, & ad ſeram uſque poſterorum memoriam propagabitur.

Neque verò Tu id ignoras, REX INCLYTE AC SERENISSIME, utpote quem magnum illud opus quammaximè in votis habere, eíque promovendo indefeſsô ſtudiô incumbere, ſingulari cum animi voluptate accepimus. Cui quidem pio conſilio, & nos ex animo plaudimus, & Deo Optimo Maximo, qui ejus Tibi auctor exſtitit, immortales gratias agimus; hoc ſpondentes, ſi quid à nobis eum in finem conferri queat, nulli nos parcituros operæ, nihilque à nobis deſiderari unquam paſſuros. Quocirca, cùm non ita pridem ſignificatum nobis fuerit, ſi animorum noſtrorum ſenſa Tibi hac de re exponeremus, nos non operam prorsùs perdituros, id lubentiſſimè aggreſſi ſumus; nobis gratulati, quòd ad tantum Principem, quem tantoperè colimus, diligimus, ac veneramur, quíque propenſiſſimæ ſuæ in Rempublicam & Eccleſiam noſtram voluntatis tot tantaque ſpecimina edidit, accedendi, tam opportuna ſeſe nobis offerat occaſio.

Quòd ſi igitur pronas nobis aures aliquantiſper commodare REGIÆ TUÆ MAJESTATI grave non fuerit, conſtan-

tem

tem hanc atque unanimem Eccleſiæ noſtræ ſententiam eſſe, imò & fuiſſe, profiteri poſſumus: Nempe, utriuſque partis Eccleſias, in palmariis omnibus & momentoſis Fidei capitibus, inter ſe conſentire: Neutras, vel errore ullo fundamentali, vel ullo Cultu idololatrico aut à Deo prohibito, infectas eſſe: Quæſtiones illas, quæ nos disjungunt, nihil ad Fidei cardinem, vel Salutis ſummam, pertinere: Nos proinde, circa iſta, nos tolerare invicem debere, eôdem modô quô in multis aliis, circa quæ diſſentiunt earundem partium Theologi, tolerantiâ utimur: Denique diſſenſum iſtum neutiquam obſtare debere, quominùs nos invicem Fratrum loco habeamus, alii aliorum Sacris interſimus, alii apud alios S. Cœnam participemus, unô verbô, unam eandémque Eccleſiaſticam Societatem conſtituamus.

Quod verò pertinet ad ineundæ Concordiæ viam ac rationem, id contendendo ac diſputando fieri non poſſe exiſtimamus. Etenim diſputandi nullus eſt finis; Neutra pars alteri vult concedere; animiſque exacerbandis, quàm leniendis & conciliandis, diſputationes aptiores ſunt. Præſtat igitur, nobis judicibus, altercatione omni, de capitibus controverſis, abſtinere; nunquam de his quæſtionibus, niſi ſumma cum lenitate ac moderatione, loqui; id in primis operam dare, ut Controverſias illas parùm momentoſas eſſe pateat; cæterùm, his miſſis, eos ex Fratribus qui accedere ad nos voluerint, fraternè excipere; ſique ipſi nos excipere velint, ad eos accedere; unô verbô, mutuâ nos invicem caritate tolerare, prout Apoſtoli JESU CHRISTI tam iteratis nos monitis hortantur, ipſique ſuô etiam exemplô præivêre, donec dubia noſtra omnia diſcutere Deus dignetur, quæque à nobis ignorantur patefacere.

Neque verò alia unquam fuit Eccleſiæ noſtræ ſententia & praxis. Quotieſcunque quid ſentiret rogata eſt, ſemper id reſponſi dedit. Non pauci etiam Doctorum noſtrorum, eam ſibi mentem eſſe, ſcriptis datâ operâ Tractatibus, teſtatum fecerunt. Unde, ſi qui inter nos occurrant Auguſtanæ Confeſ-

ſionis Fratres, qui ad Sacram Synaxim à nobis admitti cupiant, eos ambabus ulnis excipimus, nullâ ab iis exactâ propriorum dogmatum ejuratione; Quâ quidem lege ſi & nos pariter ſuas in Eccleſias admittere velint, ad Sacra, eorum in Cœtibus, facienda parati ſumus.

Et hoc quoque adjungere poſſumus, ex quo, quàm amicè ac moderatè de illis ſentiat Eccleſia noſtra, REGIA TUA MAJESTAS intelliget. Scilicèt, cùm nonnulli Auguſtanæ Confeſſionis viri, ante aliquot annos, celebrandæ hic identidem ab aliquo ſui ritûs Paſtore Euchariſtiæ ſibi copiam fieri petiiſſent, Cœtus noſter ſemel atque iterùm ut hac de re deliberaret convocatus, eorum voto unanimi conſenſu annuit: Quô quidem judiciô poſtmodùm ad Ampliſſimos Proceres delatô, hæc facultas lubentiſſimè & nullô negotiô ipſis conceſſa eſt. †

Denique affirmare licet, inter eas omnes Eccleſias, quæ puriorem Fidem profitentur, nullam fortè moderatiorem, nullam inſtaurandæ inter Proteſtantes Concordiæ ſtudioſiorem, nullam proinde quæ REGIÆ TUÆ MAJESTATIS menti & conſiliis pleniùs conſentiat, quàm ECCLESIÆ GENEVENSIS Rectores, eſſe.

O rem fauſtam, SERENISSIME REX, ſi eximium illud opus, à Deceſſoribus Tuis, præcipuè verò à FRIDERICO WILHELMO MAGNO triumphantis memoriæ Parente Tuo, tam feliciter hactenus promotum, ſub REGIÆ TUÆ MAJESTATIS auſpiciis ad felicem tandem exitum perduci poſſet! Liceat dixiſſe, INCLYTE PRINCEPS; In Te omnium, quà patet Europa, oculi defixi ſunt. Te purioris Fidei Statorem ac Vindicem omnes appellant. Nunquam ita opportuni rerum tranſitus viſi ſunt. Tua illa magnitudo, eminentiſſimus ille, quem in Orbe occupas, locus, proſperi rerum Tuarum exitus, Fœdera à Te inita, magnas hæc omnia ſpes nobis ingenerant, & feliciſſima quæque pollicentur. Uti-

† *Paucis pòſt annis, ut Lutherana Eccleſia Genevæ inſtitueretur, Publica Auctoritate conceſſum eſt.*

Utinam, SERENISSIME REX, Utinam votorum noſtrorum Tuâ operâ compotes ſiamus: Téque propterea rerum Arbiter per longam annorum ſeriem conſervet, omníque exquiſitiſſimorum bonorum genere cumulet. Morbo illo, quocum nuper conflictatus es, penè exanimati fuimus; Verùm Eccleſiæ ſuæ Deus miſertus eſt, votiſque Te noſtris reddidit. Ab eo ſupplices, & eâ quâ poſſumus vehementiâ, contendimus, ut REGIAM TUAM MAJESTATEM in plurimos annos ſoſpitet, ut REGIAM DOMUM fortunatiſſimam florentiſſimámque efficere pergat, utque præclara Tua & pia conſilia ad optatos exitus perducat. Hæc vovent, hæc literis mandant, non ſine ſumma Tuæ dignitatis, Tuarumque virtutum veneratione,

SERENISSIME REX,

REGIÆ TUÆ MAJESTATIS

Datum GENEVÆ,
22. Aprilis 1707.

Obſervantiſſimi & obſequentiſſimi Cultores,

Eccleſiæ & Academiæ GENEVENSIS Paſtores & Profeſſores

Quorum nomina ſuprà adſcripta ſunt.

Digitized by Google

II.

Epiſtola Sereniſſimi & Potentiſſimi BORUSSIÆ REGIS ad Eccleſiæ & Academiæ Genevenſis Paſtores & Profeſſores, reſponſoria.

FRIDERICUS DEI GRATIA REX PRUSSIÆ, *Marggravius Brandenburgenſis, Sacri Romani Imperii Archicamerarius & Princeps Elector, Supremus Princeps Arauſionenſis, Magdeburgi, Cliviæ, Juliaci, Montium, Stettini, Pomeraniæ, Caſſubiorum, Vandalorumque, nec non in Sileſia & Croſnæ Dux, Burggravius Norimbergenſis, Princeps Halberſtadii, Mindæ, Camini, & Murſii, Comes Zollriæ, Ruppini, Marcæ, Ravensbergi, Hohenſteinii, Tecklenburgi, Lingæ, Buræ & Leerdami, Marchio Vehræ & Uiſſingæ, Dominus Ravenſteinii, Lavenburgi, Butoviæ, Arlaijæ & Bredæ*, Singulari gratia ac benevolentia Noſtra Regia præmiſſis. Reverendi, Doctiſſimi, Nobis ſingulariter Dilecti. Epiſtola veſtra die 22. Aprilis ſcripta rectè Nobis tradita fuit; cúmque magnam é veſtro in Nos affectu voluptatem cepiſſemus, majorem tamen é laudabili in Rem Evangelicam ſtudio percepimus. Etenim cùm Ipſi nihil prius habeamus, quam ut qui Nos regnare voluit, ipſe per Nos latiùs regnet, cúmque Is Deus ſit pacis, ut fideles Ejus triſti hactenus Schiſmate diviſi, amoris atque unitatis vinculo tandem conſtringantur; Impensè ſanè gaudemus, cùm alios fidei Noſtræ ſocios in ſanctiſſimarum curarum partem venire, Noſtriſque conatibus ſuccollare deprehendimus.

Maximè autem lætamur, in horum cenſum veſtram venire Ec-

Digitized by Google

Eccleſiam, quæ inter Evangelicas magnum & venerabile nomen ſortita, toti negotio pondus haud leve addet. Nihil verò Vobis Ipſis dignius, eoque, quem in Reformata Eccleſia tenetis loco, convenientius eſſe potuit, quàm ut qui fidei quondam facem Eccleſiis Evangelicis prætuliſtis, jam charitatis & amoris ſtudio iiſdem præluceatis. Conſilia veſtra Henotica, quæ Nobiſcum communicaviſtis, planè probamus, ut quæ iis quæ Ipſimet hucuſque agitavimus ex aſſe reſpondent. Sed ea cumprimis prudens Veſtra pietas placet, quod deſiderium Pacis & Unionis teſtati, media pariter huc ducentia (uti famâ nuper accepimus) providè adhibueritis, & exemplum Baſileenſium ſecuti, primario quod Eccleſiarum Evangelicarum coalitioni apud vos obicem ponere poſſet, obſtaculo ſublato, ipſum quaſi parietem intergerinum ſubruiſſe videamini. Singulari Divini Numinis beneficio ac vigili Majorum Noſtrorum pietate factum eſt, ut ſemina moderatioris Theologiæ in Eccleſia & Univerſitate Noſtra Brandenburgica uſque conſervarentur, cujus rei in tractando negotio Irenico, fructum percepimus uberrimum; cúmque eandem Vos quoque viam inſiſtere videamus, eventum negotio, ubi Divina acceſſerit benedictio, nonniſi lætum atque auſpicatum augurari poſſumus.

Cæterum & Vos iſthac ſtudii veſtri ſignificatione Noſtrum haud modicè accendiſtis; & ipſe ille morbus, qui nuper Nos afflixit, quemque ſuperatum piè Nobis gratulamini, calcar Nobis addet, ut abſque temporis jactura, promtius operi manum admoveamus.

Gratiſſimum verò nobis atque in rem negotii fuerit, ſi non ſolùm illud pro prudentia & pietate veſtra, oblata occaſione promoveatis, verùm etiam de Modo Agendi cum Epiſcopo Noſtro, cumque aliis Noſtris Theologis conſilia conferatis.

Nos operam dabimus, ne quod in Vobis laudamus, in Nobis unquam deſideretur.

Quod ſupereſt, Deum O. M. oramus, ut communia Noſtra conamina Nominis ſui gloriæ & Eccleſiæ bono deſtinata, ſanctiſſima ſua benedictione promovere dignetur.

Vos

Vos verò Regiæ Noſtræ gratiæ & propenſiſſimæ voluntatis certos eſſe cupimus, nullam Vos Eccleſiamque Genevenſem ornandi occaſionem prætermiſſuri. Dabamus Carolinæburgi die 28. Maii, Anno reparatæ ſalutis M. D. CCVII. & Regni Noſtri VII.

FRIDERICUS.

G. v. Wartemberg.

Ad
Paſtores & Profeſſores
Eccleſiæ & Academiæ
GENEVENSIS.

La

Digitized by Google

La même Lettre de SA MAJESTE' LE ROI *de* PRUSSE *aux Paſteurs & aux Profeſſeurs de l'Egliſe & de l'Academie de* GENEVE.

Traduite en François.

FRIDERIC PAR LA GRACE DE DIEU ROI DE PRUSSE, Margrave de Brandebourg, Archi-Chambellan & Prince Electeur du Saint Empire Romain, Prince Souverain d'Orange, Duc de Magdebourg, de Cleves, de Juliers, de Mons, de Stettin, de Pomeranie, de Caſſubie, de Vandalie, & dans la Sileſie, de Croſſen, Burgrave de Nuremberg, Prince d'Halberſtad, de Minde, de Camin, de Meurs, Comte de Hohenzollern, de Ruppin, de la Marck, de Ravensberg, de Hohenſtein, de Tecklenbourg, de Lingen, de Bure, de Leerdam, Marquis de Veere & de Fleſſingue, Seigneur de Ravenſtein, de Lavembourg, de Butow, d'Arlay, & de Breda. *Après les offres de notre ſinguliere faveur & bienveillance Royale. Reverends, très-doctes, & que nous aimons d'une façon particuliere, Votre Lettre dattée du 22. Avril, Nous a été bien renduë; Et quoique l'affection que vous avez pour Nous, nous ait fait beaucoup de plaiſir, néanmoins le zele que vous faites paroître pour ce qui regarde le bien de la Religion Proteſtante, nous en a fait encor davantage. Car, comme Nous n'avons rien de plus à cœur que d'étendre le Regne de celui qui a bien voulu Nous faire regner, & de faire en ſor-*

Digitized by Google

te que, comme il eſt un Dieu de paix, auſſi ſes Fideles qui ont été diviſez juſqu'à préſent par un triſte Schiſme, ſoyent enfin réünis par le lien d'un amour ſincere, & ne forment plus qu'un même corps, cela fait que nous avons une extrême joye, lorſque nous voyons ceux qui ſont profeſſion de la même Religion que Nous, entrer à cet égard dans nos vûës, & nous ſeconder dans une ſi ſainte entrepriſe.

Mais nous voyons ſur tout avec beaucoup de ſatisfaction, que votre Egliſe eſt de ce nombre; Elle dont le Nom eſt ſi celebre & ſi venerable entre les Egliſes Proteſtantes, & qui ne peut que donner un très-grand poids à cette affaire. Auſſi, rien ne pouvoit être plus digne de Vous, ni plus convenable au rang que vous tenez entre les Egliſes Reformées, que de leur donner à toutes un exemple de charité & d'amour, après avoir ſervi autrefois à les éclairer à l'égard de la doctrine. Nous approuvons entierement les penſées où vous êtes, & dont vous Nous avez fait part, par rapport à la Réünion; Et elles ſont parfaitement conformes à celles que nous avons ſuivies juſqu'ici Nous-mêmes. Mais ce qui nous agrée le plus, c'eſt cette pieté accompagnée de prudence, qui a fait qu'en témoignant de ſouhaiter la paix & l'union des Proteſtans vous avez auſſi employé fort à propos (à ce que Nous avons oüi dire il n'y a pas long-tems) les moyens les plus propres pour y parvenir; en ôtant, à l'exemple de l'Egliſe de Baſle, ce qu'il y avoit chez vous qui pouvoit apporter le plus d'obſtacle à l'union des Egliſes Evangeliques; De ſorte que vous avez renverſé, s'il faut ainſi dire, la muraille de ſeparation qui étoit entr'elles. Il eſt auſſi arrivé, par une faveur toute particuliere de Dieu, & par la pieté & la vigilance de Nos Ancêtres, que les principes d'une Theologie moderée ont toûjours été conſervez dans nôtre Egliſe & dans nôtre Univerſité de Brandebourg; Ce qui nous a été d'un très-grand uſage, lorſqu'il s'eſt agi de traiter de la Réünion: Aniſi, puiſque Nous voyons que vous ſuivez la même route, Nous pouvons eſperer qu'avec la benediction de Dieu, l'affaire ne ſauroit manquer d'avoir un bon & heureux ſuccès.

Au

Digitized by Google

Au reſte, en Nous témoignant vôtre zéle, vous n'avez pas peu contribué à exciter le nôtre; Et cette maladie même, dont Nous fumes attaquez il y a quelque tems, & dont vous Nous felicitez d'une maniere ſi pieuſe d'être heureuſement ſortis, Nous ſervira d'aiguillon, pour Nous porter à mettre au plûtôt la main à l'œuvre, & à ne point perdre de temps pour cela.

Vous Nous ferez un très-grand plaiſir, & ce ſera une choſe très-utile pour le ſuccès de l'affaire, ſi non ſeulement vous travaillez, ſelon vôtre prudence & vôtre pieté ordinaire, à avancer ce bon deſſein, à meſure que les occaſions s'en preſenteront, mais ſi vous voulez bien encore entrer en conference avec nôtre Evêque & nos autres Théologiens, ſur la maniere dont il s'y faudroit prendre, & vous communiquer reciproquement les uns aux autres les penſées que vous pourrez avoir là-deſſus.

De nôtre côté, comme Nous Vous loüons de ce que vous faites paroître tant de zéle pour cette affaire, auſſi nous ne manquerons pas d'y travailler fortement Nous-mêmes, & Nous ne negligerons aucune des choſes par leſquelles nous y pourrons contribuër.

Il ne nous reſte qu'à prier Dieu, qu'il lui plaiſe de répandre ſa ſainte benediction ſur Nos communs efforts, qui ne tendent qu'à la gloire de ſon Nom, & au bien de ſon Egliſe.

Et pour vous, Nous ſouhaitons que vous ſoyez bien perſuadez de nôtre faveur & de nôtre bienveillance Royale; Et Nous ne laiſſerons paſſer aucune occaſion de contribuër à vôtre bonneur & à vos avantages, de même qu'à ceux de l'Egliſe de GENEVE. *Donné à la Charlottenbourg ce 28. Mai, l'an de grace M. DCC. VII. & le VII. de Nôtre Regne.*

FRIDERIC.

Le Comte de Wartemberg.

Aux Paſteurs & Profeſſeurs de l'Egliſe & de l'Academie de GENEVE.

III.

Lettre de Son Excellence Monſeigneur le COMTE DE METTERNICH, Miniſtre d'Etat, Ambaſſadeur Extraordinaire & Plénipotentiaire de SA MAJESTE' LE ROI DE PRUSSE, aux Paſteurs & aux Profeſſeurs de l'Egliſe & de l'Academie de GENEVE.

MESSIEURS,

JE me fais un très-grand plaiſir de Vous faire tenir cette lettre du Roi. C'eſt la réponſe à celle que vous Lui avez écrite ſur la Réünion des Proteſtans, & dont vous m'avez envoyé une copie. Je l'ai luë, MESSIEURS, *avec une ſinguliere édification. En même tems que Vous y donnez à Sa Majeſté des marques d'une haute eſtime, d'une parfaite veneration, & d'un amour veritable pour ſa Perſonne Sacrée, Vous faites paroître Votre zéle pour l'avancement du Régne de Dieu, & pour le bien commun des Chrêtiens Proteſtans. J'ai admiré Vôtre excellente Lettre, je la regarde comme un chef-d'œuvre, & j'ai dit plus d'une fois en moi-même, que les conſeils de prudence, de ſageſſe,*

geſſe, de tolerance, de moderation, de charité & de douceur, dont elle eſt remplie, & qui ont fait tant d'impreſſion ſur le cœur du Roi, que ces conſeils, que Vous pratiquez Vous-mêmes, devroient, ce ſemble, entrainer les eſprits & les amener à cette union, qui mettroit la Réformation au deſſus de toute atteinte. Vous verrez, MESSIEURS, *que c'eſt une choſe que Sa Majeſté a toûjours extrémement à cœur, qu'Elle ſouhaite avec paſſion, & à laquelle il veut donner à l'avenir plus de ſoin que jamais. Cet Ouvrage en effet, qui a eu d'heureux commencemens ſous les Regnes precedens, cet Ouvrage eſt bien digne de la pieté du Roi, & de la Religion de ce* GRAND PRINCE, *qui ſemble être deſtiné du Ciel pour l'achever: Ce ſera un beau fleuron à ſa Couronne, ſi ſuivant ſes deſirs & vos ſouhaits, Dieu lui fait la grace de réüſſir. Outre la lettre de Sa Majeſté, que je vous envoie, je ſuis chargé en particulier de Vous temoigner, que le Roi a été très ſatisfait de la part que vous prenez à tout ce qui le regarde. Il vous en ſait bon gré,* MESSIEURS, *auſſi bien que de l'attachement que vous avez pour Lui; Il y répond de ſon côté par une affection pour Vous, qui ſans doute vous donnera de la joye. Ayant devant les yeux, & ce grand exemple du Roi, & celui de tant de têtes Illuſtres & Venerables, qui rendent l'Egliſe & l'Academie de Geneve l'admiration de l'Europe Proteſtante, Je ne puis qu'être touché d'émulation, & Vous aſſurer que je ſeconderai vos pieuſes intentions dans toutes les occaſions qui ſe préſenteront. J'ai deſſein, ſi Dieu me conſerve la vie, de faire de ce ſaint Ouvrage ma principale occupation, & d'y travailler ſur vôtre Plan, que le Roi approuve, qui eſt le veritable, & que je crois que l'on doit ſuivre exactement, ſi l'on veut ſerieuſement ſe raprocher. Je ne doute point,* MESSIEURS, *que Votre lettre n'excite le zéle de pluſieurs, ils verront qu'elle a eu l'approbation d'un Prince ſavant & éclairé, à qui toutes les matieres de Theologie ſont familieres, & qui penſe ſans ceſſe aux moyens de rétablir la Religion par tout où elle eſt tombée, de l'affermir où elle eſt chancellante, & de lui donner un luſtre, & un éclat, dont elle brilleroit par elle-même, ſi nous étions tous reünis dans les ſen-*

ſentimens d'une parfaite charité. Ne croyez-vous pas, MESSIEURS, *qu'ils voudront auſſi avoir quelque part à une gloire ſi ſainte & ſi digne d'être recherchée par tous les Theologiens, qui aiment ſincerement Jeſus-Chriſt, la juſtice, la paix, & la joye de ſon Royaume. Ne vous relachez point,* MESSIEURS, *Dieu benira vos travaux, & les recompenſera glorieuſement. Le Roi, animé de plus en plus de vos démarches, les rendra utiles. Pour ce qui me regarde, je ferai toûjours tout ce qui dépendra de moi pour vous donner des marques de mon zéle pour le bien & l'avantage de la Religion, & de l'extrême conſideration avec laquelle je ſuis,*

MESSIEURS,

Berne ce 26. Juin 1707.

Vôtre très-humble & très obeïſſant ſerviteur

METTERNICH.

Eadem

Digitized by Google

Eadem Epiſtola Viri Illuſtriſſimi COMITIS A METTERNICH, *Sereniſſimi* BORUSSIÆ REGIS *Miniſtri Statûs, Legati Extraordinarii, & Plenipotentiarii, ad Eccleſiæ & Academiæ* GENEVENSIS *Paſtores & Profeſſores.*

Ex Gallico Latinè reddita.

VIRI REVERENDI,

SUmma cum voluptate hanc ad Vos mitto Regis Epiſtolam: Reſponſionem continet ad eam quam Vos ad Ipſum de Proteſtantium ſyncretiſmo ſcripſiſtis, & cujus exemplum ad me miſiſtis. Hanc legi, VIRI REVERENDI, non ſine ſingulari ædificatione. Dum in ea, quantoperè SACRAM REGIS MAJESTATEM ſuſpiciatis, veneremini, ac diligatis, manifeſtum facitis, Veſtrum pariter, in promovendo Dei Regno, augendiſque communibus Proteſtantium Chriſtianorum commodis, ſtudium ac zelum demonſtratis. Eximiam veſtram admiratus ſum Epiſtolam; Opus ſuo in genere exquiſitiſſimum mihi videtur; mecúmque ſæpe reputavi, illa prudentiæ, ſapientiæ, tolerantiæ, moderationis, charitatis, & manſuetudinis conſilia, quibus ea referta eſt, & quæ Regis animum tantoperè affecerunt, illa, inquam, conſilia, quæ Vos ipſi ad praxim

xim revocatis, rapere animos debere, & ad hanc, ut videtur, Concordiam adducere, quæ Proteſtantium cauſam in tuto collocaret. Intelligetis, VIRI CLARI, nullam rem eſſe quæ Regi ſit antiquior, quámque vehementiori ſtudio exoptet, ad quam proinde in poſterum majores quàm aliàs unquam curas conferre ſtatuit. Et hoc ſanè opus, quod ſub præcedentibus regnis felicia habuit auſpicia, digniſſimum eſt Regis pietate, Magníque illius Principis religione, qui ad illud conficiendum & conſummandum deſtinatus à Deo videtur. Flos erit ſplendidus ipſius coronæ additus, ſi, juxta deſideria Ejus, veſtráque vota, ea res, Deo adjuvante, benè & proſperè ei ſuccedat. Præter Regis Litteras quas ad Vos mitto, in mandatis ſpeciatim habeo, vobis teſtari, acceptiſſimum Regi fuiſſe, quòd iis omnibus quæ ad Ipſum ſpectant vehementer tangamini; Quo nomine gratiam Vobis habet; Próque Veſtro in ſe ſtudio, mutuam Vobis benevolentiam exhibet, quæ magnâ hauddubiè Vos afficiet lætitiâ. Me quod attinet, cùm & Magni illius Regis, & tot illuſtrium ac venerandorum Virorum, qui Eccleſiam & Academiam Genevenſem Europæ Proteſtanti admirandam reddunt, exempla ob oculos mihi verſentur, non poſſum non æmulatione affici, Vobiſque ſpondere, me, quâvis datâ occaſione, pia veſtra conſilia eſſe adjuturum. Ad ſanctum hoc opus, ſi modò Deus vitam largiatur, ſtudia mea præcipua conferre in animum induxi; & quidem juxta formam à Vobis traditam, & Regi probatam, quæ ſanè vera eſt, & quam ad amuſſim ſequendam arbitror, ſi ſeria partium conciliatio quæratur. Non dubito, VIRI REVERENDI, quin Epiſtola veſtra multorum zelum excitatura ſit, cùm approbatam intelligent à Principe docto, acerrimi ingenii, qui Theologica omnia in promptu habet, quíque indeſinenter in mente agitat, quâ ratione Religionem, ubicunque lapſa eſt, inſtaurare, ubi vacillat, confirmare poſſit, eique fulgorem ac ſplendorem eum conciliare, quô ipſa per ſe coruſcaret, ſi omnes in perfectæ charitatis ſtudium conſpiraremus. Nonne putatis, CLARISSIMI VIRI, fore ut illi etiam in aliquam partem venire velint illius glo-

riæ,

Digitized by Google

riæ, tam ſanctæ, támque votis Theologorum omnium dignæ, qui quidem JESUM CHRISTUM, Regníque ejus juſtitiam, pacem, & gaudium, ſincerè amant? Nolite animum remittere, VIRI REVERENDI; Deus laboribus veſtris benedicet, & glorioſam mercedem retribuet. Rex magis ac magis conatibus veſtris accenſus, eos utiles reddet. Ego verò nihil omittam, quod in me ſitum ſit, quô teſtatum Vobis faciam quanto animi fervore ad Religionis commoda quærenda ac promovenda impellar, quantáque cum obſervantia ſim,

VIRI REVERENDI,

Datum Bernæ;
26. Junii 1707.

Nominis Veſtri Cultor addictiſſimus, & obſequentiſſimus

METTERNICH.

SAM. DE PUFENDORF *De Rebus Geſtis* FRIDERICI WILHELMI MAGNI *Electoris Brandenburgici*, Lib. II. §. 30. ad An. 1645. inter multa eximia, de ſententia Magni illius Principis, circa Controverſias Proteſtantium, hæc habet.

Eam ſibi rerum divinarum notitiam, ut in conſcientias ſuorum civium imperii nil arrogare ſibi velit, ſed id ſoli Deo relinquendum intelligat. Non ex opinionibus hominum, multò minùs è diverſis Evangelicorum libris ritualibus, ſed prout quiſque fidem ſuam fructibus pietatis probaverit, juſtum illum Judicem die decretorio ſententiam laturum. Cæterùm, teſte Numine ſibi conſtare, à ſe, ac majoribus ſuis, nullius civis ſui conſcientiam turbatam, cultumve impeditum; ac in poſterum ſe effecturum, ne cui juſta querendi cauſa ſit.

Aliàs Auguſtanam ſe Confeſſionem profiteri, nec ullum eſſe articulum in ea deciſum, qui inter Proteſtantes unquam in controverſiam vocatus fuerit; ſed ſuper quæſtionibus nonnullis extra illam poſitis hactenus diſceptatum. Per octoginta quoque jam annos utriuſque Religionis Ordines Auguſtanæ formulæ conſortes dictos, habitoſque. Unde mirum videri, per quoſdam Lutheranos Reformatis beneficium pacis ſacræ abjundicari, ob controverſias inter utriuſque partis Theologos agitatas, de quibus in Auguſtana Confeſſione ne apex quidem exſtet.

Sanè quid controverſiarum ſuper omnipræſentia Corporis Chriſti, inter Tubingenſes, Marpurgenſes, Saxonicos & Brunſvicenſes Theologos agitatum ſit, nemini ignotum; quarum opinionum nonniſi una vera eſſe queat. Quòd ſi quis ideò, quia alteri opinioni adſti-

adſtipuletur; conſortio Auguſtanæ Confeſſionis, paciſque ſacræ excludendus fuerit, multorum Ordinum ſecuritas vacillatura eſſet.

Colloquio Marpurgi inter Lutherum & Zuinglium habito, ſuper unico articulo, num verum Corpus & verus ſanguis Chriſti corporaliter in pane & vino ſit, conveniri non potuiſſe: ſuper reliquis tranſactionem initam, paucos ante menſes quàm Auguſtana Confeſſio exhiberetur; cujus articulo decimo, per ipſum Lutherum concepto, ejus controverſiæ nulla mentio exſtet.

Equidem haut inficiari, cum omnium Theologorum ſententiis ſe non conſpirare. Atqui nec ipſis inter ſe convenire; nec neceſſitatem quampiam ad amplectendas iſtorum opiniones nos adſtringere. Quin ipſi Luthero manducationem, quæ fide fit, præcipuam partem hujus myſterii haberi, de qua vulgus magis ſollicitum eſſe, quàm de Symbolorum in ſenſus incurrentium fruitione, optandum ſit. Nullo jure Reformatos Auguſtana Confeſſione excludi poſſe, quòd corporalem præſentiam & oralem manducationem corporis Chriſti mente concipere & credere nequeunt; cùm illi ipſi, qui eam præſentiam & manducationem docent, tam de modo præſentiæ quàm manducationis inter ſe haut conſentiant. Ac oralem illam manducationem opere extrinſeco conſtare, ac piis juxta improbiſque communem eſſe; cujus articuli ſi tanta neceſſitas foret, malè feciſſe Lutherum, quòd eundem Confeſſioni haut clariùs inſeruerit.

Ad officium Principis ſufficere, operam dare, ut fidei capita, quibus ſumma Religionis Chriſtianæ ſtat, rectè ſe habeant, ac pietatis opera à civibus excolantur. Ob ſubtilia controverſiarum, quæ ſæpe doctiſſimi non capiunt, aut vocabulorum magis lubricitate, quàm rerum ſoliditate innituntur, turbas dare, & odiis in Chriſtianos ſævire, indignum ea Religione habendum, quæ velut peculiarem notam à ſectatoribus ſuis exigit dilectionem.

Quòd ſi autem Ordines Evangelici id agant, ut qui hoc communi nomine cenſentur, deinceps hæreſim mutuò objectare deſiſtant, & ob articulos controverſos ſummam fidei Chriſtianæ non ſpectantes haut ulteriùs inimicitias exerceant, nec una pars alteram in ſua ditione perſequi velit, id inſtitutum ſibi valdè probari, ac omni

ſtudio incubiturum, ut inter Reformatos atque Lutheranos concordia, ſaltem mutua tolerantia, amicitiaque cultu conſtans, ineatur.

Idem Lib. XIX. §. 100. de ſupremis ſermonibus Magni illius Principis;

Inter quæ cumprimis Evangelicos fidei conſortes hinc inde perſecutionibus oppreſſos, tum & mutuam tolerantiam ipſos inter Evangelicos *magnoperè ſibi cordi eſſe oſtendebat; ſimul Principi refugos ob ſacra Gallos impensè commendabat.*

ORA-

Digitized by Google

ORATIO NONA

DE VARIIS

CHRISTIANÆ DOCTRINÆ FATIS.

Dicta eſt ſtatis ACADEMIÆ GENEVENSIS *Solennibus*, *die* XIV. *Maii*, *Anno* M. DCC. VIII. *cùm Auctor ſeptimum* ACADEMICI RECTORATUS *annum ageret.*

Digitized by Google

Hæc Oratio, Venerandi PASTORUM & PROFESSORUM *Cœtûs hortatu, in lucem mittitur.*

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMÆ

SOCIETATIS

QUÆ

AD PROPAGANDUM EVANGELIUM

SUB REGIIS AUSPICIIS

IN ANGLIA INSTITUTA EST

REVERENDISSIMO PRÆSIDI

THOMÆ

ARCHIEPISCOPO CANTUARIENSI

TOTIUS ANGLIÆ PRIMATI

ET METROPOLITANO

ADMODUM REVERENDIS VICEPRÆSIDIBUS

CÆTERISQUE NOBILISSIMIS ET

PRÆSTANTISSIMIS MEMBRIS

VIRIS DOCTRINA PIETATE VIRTUTE

AC ZELO CONSPICUIS

QUORUM

PIA SOLLICITUDINE

ET MUNIFICENTIA VERE CHRISTIANA

PLURIMÆ JAM

ECCLESIÆ ERECTÆ

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLÆ FUNDATÆ
EVANGELII PRÆCONES AD INFIDELES MISSI
ET STIPENDIIS AUCTI
LIBRI PII EDITI AC DISSEMINATI
SICQUE CHRISTI COGNITIO LONGE LATEQUE
PER ORBEM SPARSA

INDEFESSIS
REI CHRISTIANÆ PROMOTORIBUS
VERIS
TEMPORUM NOSTRORUM
APOSTOLIS

HANC
DE VARIIS
CHRISTIANISMI FATIS
ORATIONEM
IN
SUMMÆ VENERATIONIS
OBSERVANTIÆ PERPETUÆ
GRATISSIMIQUE AC DEVOTISSIMI
ANIMI SIGNUM
D. D. C.
JOH. ALPHONSUS TURRETTINUS
SOCIUS.

Digitized by Google

ORATIO IX.

DE VARIIS

CHRISTIANÆ

DOCTRINÆ

FATIS.

Viri Ampliſſimi, Patriæ Patres,

Comites Illuſtriſſimi,

Barones Generoſiſſimi,

Clariſſimi Collegæ, de Eccleſia & Academia, quibus præeſtis, optimè meriti,

Hoſpites, Cives, quotquot adeſtis, præſtantiſſimi, humaniſſimi,

Digitized by Google

Voſque, Academiæ & Scholæ noſtræ alumni dilectiſſimi,

De variis Chriſtianæ Doctrinæ fatis, qualis à Chriſto primùm Apoſtoliſque tradita ſit, qualis ſequentibus ævis propagata, quibus acceſſionibus aucta, quibus fraudibus adulterata, quibus auſpiciis, beatæ noſtræ Reformationis tempore, ab integro velut inſtaurata, quonam denique in ſtatu hodierno die verſetur, & ad ejus illuſtrationem quid maximè exoptandum ſit, breviter dicere in animo eſt. Cujus quidem conſilii rationes, ſi hîc in limine exponere, & apud vos aſſerere geſtiam, equidem actum agere, vobiſque injurius eſſe videar. Nec enim hîc res vulgaris agitur, aut ad nos parùm attinens, non humanum inſtitutum, non de trivio diſciplina, non terreſtris cujuſdam Reipublicæ vices ac fortuna, ſed ipſamet Dei oracula, ab unigenito Filio prodita, ſed ſapientia cœleſtis, ad nos beandos comparata, ſed eximiæ illius politiæ, quæ *Regnum Cœlorum* audit, incunabula, progreſſus, bella, pericula, hîc deſcribentur. Fateor equidem, AUDITORES, fateor divinis humana, genuinis adulterina, heu nimiùm hîc acceſſiſſe: Unde, qui rei Chriſtianæ fata oratione perſequi velit, humanorum ſimul errorum, figmentorum, lapſuum, odiorum, diſſidiorum, texere hiſtoriam neceſſe habeat. Verùm & hæc juvat dignoſcere, ut pretioſum à vili, ut veritas à mendacio, vel hoc ipſo quòd antiquior, & primævæ inſtitutionis retinentior, ſecernatur. Enimverò, AUDITORES, dum in hodiernum Eccleſiæ ſtatum oculos conjicimus, dum in eorum omnium, qui Chriſti nomine cenſeri volunt, placita, ritus, diſciplinam, totam denique vitæ rationem, attentiùs inquirimus, dum Ethniciſmum multis in partibus ſub Chriſtiana larva redivivum, dum miſeras Scholæ argutias Chriſtianæ veritatis nomen mentientes, dum luxatam & ſine nervis ubi-

Digitized by Google

ubique fermè Chriſti diſciplinam, dum humanam contrà tyrannidem pro Chriſti jugo falsò venditaram, dum internecina illorum odia, qui ſe Pacis filios nuncupant, dum Chriſti Eccleſiam, quà patet Orbis, ſciſſam in partes atque laceratam, dum denique Chriſtianorum mores, quos ſanctiſſimos eſſe decuerat, ita remiſſos, non dicam, ſed perditos, ut Ethnicis parùm ſint abſimiles, dum hæc, inquam, ſeriò perpendimus, profectò, ut quod res eſt dicam, turbatur animus, vacillat fides, de Evangelii divinitate non levia ſuboriuntur, mentemque trahunt, dubia; Donec ad originem ipſam adſcendentibus, &, juxta Vatis monitum, vias antiquas explorantibus, Servatoris illud ſuccurrat, *In principio ſic non fuiſſe*; Exindéque de ſæculo in ſæculum deſcendentes, quid quóque tempore mutatum fuerit, quid additum, quid detractum, quid, vel humana imbecillitate, vel nefario auſu, interpolatum, obſervemus. Christe, *cujus cauſſa hîc agitur, dicentis animum linguamque dirige; nobiſque omnibus ita adſpira, ut Evangelii tui puritatem, ab humanis ſecretam vindicatámque corruptelis, tantò impenſiùs colamus, tantò ſtudioſiùs cuſtodiamus, tantò diligentiùs factis impleamus, quantò diſtinctiùs perſpecta fuerit.* Vos verò, quotquot hîc adeſtis, Auditores Præstantissimi, de ampliſſimo argumento breviſſimè differentem, nec niſi ſumma faſtigia legentem, patientia, quæſo, veſtra, & adtentione, ſublevate.

Jerem. VI. 16. Matt. XIX. 8.

Mundum, ipſo ſtatim initio, purum ſceleris ac feliciſſimum, poſtmodùm in deterius per varios gradus collapſum, ſignificaturi Poëtæ, illum in varias ætates, ſuis ſignatas metallis, diſtribuerunt. Idem verò, Auditores, de re Chriſtiana, non ſemel, nec immeritò, proditum eſt. Fuêre variæ illius ætates, quæ, quò longiùs à primæva receſſerunt origine, eò plus fæcis ac ſordium contraxiſſe deprehenduntur. *Aurea prima ſata eſt*, Chriſtô Magiſtrô, præconibus Apoſtolis. Mox *argentea* ſucceſſit, per tria prima Eccleſiæ Sæcula. Hinc *ænea* paulatim facta eſt, humani ingenii audaciâ ſine mo-

Ovid. Metam. Lib. I.

Digitized by Google

modo laſciviente, & ſæculi pompâ, ſuperbiâ, æmulatione, diſſidiis, in Eccleſiam irrumpentibus. Exinde, tanta ſuperſtitio, tanta tyrannis, tanta barbaries, tanta, non dicam, morum depravatio, ſed in vitiis obduratio, Sæculô in primis X. & ſequentibus, in Eccleſiam invaſère, ut *ferrea* tempora fuiſſe, ipſi illi quorum minimè intererat, fateri cogantur. Dum verò hæc ita eſſent, en ſubitò purgata apparuit craſſioribus ſordibus fides, ferrumque ſæculi, felici Alchymiâ, ſi non in auri penitùs, in *argenti* certè ſpeciem, converſum. Hæc ſumma rerum: Verùm hæc omnia diſtinctius enarranda ſunt.

I. ÆTAS AUREA, *ſub Chriſto & Apoſtolis.*

AUREAM igitur, ſub Chriſto & Apoſtolis, rei Chriſtianæ ætatem fuiſſe, nullus, ut puto, inficias iverit: Non quòd auro, non quòd purpurâ, non quòd opibus ac dignitatibus, divinus ille chorus ſplendeſceret; Nec enim his eminuit Chriſtus; &, *Ecce reliquimus omnia*, Apoſtolorum ſymbolum fuit. (Matt. XIX. 27.) Verùm intùs, beatô illô Sæculô, filiæ Sionis fuit gloria; (Pſ. XLV. 14.) intemerata nimirùm Doctrinæ ſinceritas, puritas Cultûs, Diſciplinæ ſanctitas, vitæ innocentia; res auro quovis pretioſiores, & quibus felix hæc ætas reliquis omnibus ætatibus longo intervallo præcelluit. Ante actis temporibus, denſiſſima in caligine verſabatur humanum genus. Ethnici, relictô parente & conſtitutore omnium Deô, non Aſtra modò ſenſûs expertia, non homines modò defunctos, & plures quidem vitiis ac ſceleribus infames, ſed animantia bruta, ſed hortorum ſuorum plantas, ſed lignea & lapidea digitorum ſuorum figmenta, ſed viliſſimos affectus, ut venerem, pavorem, diſcordiam, impudentiam, ſed corporum morbos, ut febrim, ſed merum non ens, ut fortunam, ſed ineptiſſima Numina, vel minimis rebus præpoſita, ut Deam *Petam* rebus petendis, Deam *Patellam* & *Patellanam* rebus patefaciendis, Deam *Pelloniam* hoſtibus pellendis, Deam *Pandam* viæ pandendæ, Deam *Putam* putandis arboribus, Deum *Nodutim* rebus ſatis ad nodos perducendis, Deum *Terenſem* frugibus terendis, quin & *Lubentiam & Commoditatem*, *Ferculam* & *Saturitatem*, paraſitorum deas,

(Vid. Arnob. Lib. IV. & Auguſt. de Civ. D. Lib. III. IV. &c. Vid. Tan. Fabri)

deas, & quas non ineptias? venerabantur. Judæi, gens olim Epiſt. Lib.
Deo ſacra, in varias diviſi Sectas, errorum ac ſuperſtitionum I. Ep. 10.
non uno genere inquinabantur. Utriſque mores impuriſſimi, ac in omne projecti nefas, quos nec humanæ Leges, nec ſæculi Philoſophia, nec Moſaïca diſciplina, nec Propheticæ monitiones, emendare ſatis valuerant. Tu verò, Christe, ſplendor Patris, lux mundi, Sol juſtitiæ, Tu caliginem illam diſpuliſti. Tu, ab Idolis mortuis, ad verum nos Deum revocâſti. Tu Deum mentem eſſe, adeóque mente purâ ac ſincerâ colendum, apertiſſimè prodidiſti. Joh. IV. 24. Tu pietatis, juſtitiæ, benignitatis, manſuetudinis, patientiæ, modeſtiæ, omnium denique virtutum, & præceptor humano generi, & exemplar exſtitiſti. Tu erratorum omnium veniam à Numine impetraturus, Te hoſtiam piacularem loco noſtro obtuliſti; utque immortalitatis ſpem nobis ingenerares, ipſe, fractis mortis repagulis, Te redivivum, ac cœlo receptum, claris indiciis demonſtrâſti. Tu, in te recumbentes, tuúmque ad præſcriptum atque exemplum vitam emendantes, Deo propitio frui, & bono animo eſſe juſſiſti. Tu, æterna piis præmia, impiis ſupplicia, denuntiâſti. Tu, Deum nobis, nos Deo, efficaciſſimè conciliâſti. Tu denique cœleſtem ſapientiam verè in terras detuliſti; noſque, humano in corpore, verè cœleſtem, verè divinam, traducere vitam docuiſti; Donec, ſuperatis hujus exilii diebus, in meliorem tranſcribamur ſortem, & Dei ipſius conſortio ac deliciis æternùm fruamur.

Talis, Auditores, talis fuit primæva Chriſtianiſmi facies. Talia arcana illa cœleſtia, qnæ ex paterno ſinu unigenitus Filius produxit. Talis *ἐν τοῖς τελείοις σοφία*, quam Viri rudes I. Cor. II. 6.
atque ignobiles, piſcatores, artifices, nullo generis, nullo opum, nullo dignitatum præſidio, non carnalibus armis, non 2. Cor. X. 4.
ſuaſoriis humanæ ſapientiæ ſermonibus, nullóque non obſtaculo, periculo, ſupplicio preſſi, intra pauciſſimorum annorum 1. Cor. II. 4.
ſpatia, per totum Orbem terrarum diſſeminârunt. O reddite mihi illa tempora, quibus ipſamet Veritas, humanis induta pannis, nullis errorum, nullis affectuum nebulis viola-

 ta,

ta, ſeſe mortalium oculis conſpiciendam præbuit! Non multa tunc credendorum capita Chriſtianorum mentibus impoſita; ſed unius veri Dei, & ab eo miſſi Chriſti, cognitione, tota fidei ac ſalutis ſumma conſtabat. Non humanis tunc argutiis, non Metaphyſicis diſquiſitionibus, ex Zenonis, vel Platonis, vel Ariſtotelis ſchola depromptis, Chriſtiani exercebantur; Alia longè fuit, mihi credite, cœlo delapſa diſciplina; non ad ſcholam nata, ſed ad vitam; plana, facilis, ſimplex, omnium captui adtemperata. Non ſubtilis tunc arcanorum divinorum inveſtigatio, non temeraria rerum ſupra nos poſitarum determinatio, non iracunda de quæſtionibus etiam leviſſimis altercatio, ſed novus homo Dei verbo genitus, ſed fides per caritatem operans, ſed vera Religio in ſolandis miſeris, & vitandis Mundi ſordibus poſita, ſed, ut verbo omnia complectar, divinarum virtutum effigies in animis efformata, Chriſtianum conſtituebat. Tunc, non multiplices ritus, non operoſæ de rebus externis ab hominibus factæ præceptiones, Chriſtianorum cultum onerabant; ſed precibus, verbi præconio, unda ſalutari, panis fractione, tota Chriſtiani Sacri celebritas finiebatur. Tunc, fidei dominari, imperium in hæreditates Domini exercere, ipſimet Apoſtoli, divinitùs licèt adflati, nefas ducebant; ſed gregem ſibi concreditum paſcere, & fidelium gaudio famulari, unica ipſis erat gloria. Tunc, ſi quis frater appellatus, vel fornicator, vel maledicus, vel avarus, vel idololatra, vel ebrioſus, vel rapax eſſet, ne cum illo quidem cibos capere, ne illi quidem ſalutem dicere, Chriſtianis integrum erat. Tunc, Chriſtianis omnibus, unus animus, una mens fuit; neque ſua omnia in commune conferre, ſicubi opus eſſet, ipſos pigebat. Tunc, ſi qua fortè inter ipſos emergerent ſententiarum divortia, modò fidei ſumma ſalva eſſet, non ſtatim res in nervum erumpere, non ſtatim à ſe mutuò diſcedere, non ſtatim ſibi mutuò anathema dicere, ſed ſe invicem tolerare, ſed ingenio potiores debiliorum nævis parcere, ſed omnes in jam cognitis eâdem incedere regulâ, uſquedum ignota cœlitùs illuceſcerent, conſpiciebantur. Tunc deni-

Joh. XVII. 3.
Eph. IV. 24. Gal. VI. 15. Gal. V. 6. Jacob. I. 27.
Act. II. 41. 42.
2. Cor. I. 24. 1. Petr. V. 3.
1. Cor. V. 11. 2. Theſſ. III. 14.
2. Joh. 10.
Act. IV. 32.
Act. II. 44. 45.
Rom. XIV. 1. & ſeq. Phil. III. 15. 16.

denique, ne plura jam addamus, non tam Chriſti myſteria nôſſe, non tam illa profiteri, non tam de iis diſſerere, diſputare, altercari, quàm Chriſti vitâ vivere, quàm ejus Spiritu duci, quàm ad ejus exemplum componi, Chriſtianæ rei caput & complementum cenſebatur.

II. *Ætas Argentea, tribus primis Eccleſiæ Sæculis.*

Et ita quidem ſe ſe res habuit, beatô illô Sæculô, quod Chriſti Domini in terris præſentia, & Apoſtolorum præconium, illuſtravêre. Neque verò ſtatim ab Apoſtolis, imò neque per aliquot Sæcula, multùm de priſtino illo delibatum eſt Eccleſiæ ſplendore; dum ſcilicet *Domini noſtri adhuc calebat cruor, & fervebat recens in credentibus fides*, ut cum Hieronymo verba faciamus. (Hieron. ad Demetr.) Nec enim hîc fœdam illam moramur *Gnoſticorum* colluviem, cum ſuis illis *Æonum* conjugiis, abditâque, ſi Deo placet, & clàm ab Apoſtolis tradita ſapientia; uti nec *Cerdonis*, *Marcionis*, *Manetis*, aliorumque deliria: Eos quippe, præter nomen, Chriſtiani ferè nihil habuiſſe, quicquid de illis cognoſcitur, abundè probat. Verùm ad Eccleſiam ipſam quod attinet, ſumma rerum eadem manſit, fides eadem, idem cultus, eadem diſciplina, nec modica Chriſtiani ſpiritûs, Chriſtianarúmque virtutum, in Fidelibus menſura. Fuêre tantùm nævi quidam, ſi modò hîc ſubſtitiſſent, tolerabiles futuri; Unde ætas iſta *argentea*, auro quidem deterior, ſed pretioſior ære, à nobis appellata eſt.

Doctrina.

Fidem quæris? Non alia fuit, quàm quæ in vulgato Symbolo, *Apoſtolico* dicto, exhibetur; quemadmodum apud *Irenæum*, *Tertullianum*, *Novatianum*, alióſque, cernere eſt. Non alia tum vivebant fide, non aliam docebant Antiſtites, „nec tingendi, profitebantur. Hæc regula fidei una omninò „erat, ſola immobilis & irreformabilis: quam Eccleſia per „univerſum orbem uſque ad fines mundi ſeminata, ab Apoſ„tolis eorumque ſucceſſoribus acceperat, ac diligenter cuſto„diebat; adverſus quam nihil ſcire, omnia ſcire fuit, ut „ipſiſſima *Irenæi* & *Tertulliani* verba uſurpemus. Interim, non

(Iren. lib. I. cap. 2. Tertull. de Præſcript. cap. 13. Id. de virgin. vel. cap. 1. Novatian. de Trinit.)

non paucos hujus ævi Doctores ingenio nimis indulſiſſe, &, tum ob Philoſophiam Ethnicam, præſertim Platonicam, Chriſtianæ Doctrinæ admixtam, tum ob Linguarum originalium, in pleriſque, ignorationem, tum ob Allegoriarum ſtudium, quibus ad ineptiam uſque indulgebant, tum ob mirorum amorem immodicum, tum ob fervidum, præceps, ac modi neſcium ingenium, in variis ceſpitaſſe, adeò ut *ingenium ſuum Eccleſiæ ſacramenta facerent* (quod de *Origene* in primis notatum) nemo niſi immoderatus Veterum admirator poteſt negare.

Hieron. procœ. Lib. 5. Comm. in Eſa.

Cultus. Cultum poſtulas? Idem quoque fuit, ſaltem ſi ad rerum ſummam attendamus, quem tradiderant Apoſtoli, prout à *Juſtino* Martyre, *Tertulliano*, aliiſque, illum accuratè deſcribentibus, docetur: Preces nempe, gratiarum actiones, hymni Deo & Chriſto cantati, Scripturæ lectio, lectæ expoſitio, Baptiſmus, Euchariſtia. Additæ tantummodò Cæremoniæ nonnullæ, illo quidem tempore non malæ, imò piæ quædam ac utiles, ſed quas poſtmodùm in immenſum auxit, atque in deterius vertit, ſequioris ævi ſuperſtitio: velut *Martyrum Natalitia*, pio quidem fine, ſed infauſto ſucceſſu inducta: velut *Preces pro defunctis*, precariæ quidem illæ, & idoneo fundamento caſſæ, ſed diverſiſſimæ etiam ab iis quæ poſtmodùm uſurpatæ ſunt; ſiquidem fiebant pro omnibus, etiam Martyribus, etiam Apoſtolis, quos ſumma adeptos nemo ambigebat: velut *ſignaculum Crucis*, ad omnem progreſſum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum, ad calceatum, ad lavacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, & quando non? ſignari conſuetum: velut *Oſculum pacis*, poſt preces finitas apponi ſolitum: velut, in *Baptiſmo*, trina immerſio; ſolemnis atque iterata, de nuntio miſſo Diabolo, & pompæ, & angelis ejus, apud Antiſtitem facta conteſtatio; lactis & mellis prægustatio, quâ *infantari* dicebantur; unctio; manuum impoſitio; à communi lavacro per hebdomadem abſtinentia; veſtis candidæ illa hebdomade geſtatio, unde *candida cohors* apud *Cyprianum*, & *Dominica*

Juſt. M. Apol. 2. Tertull. Apologet. cap. 39.

Tertull. de coron. cap. 3.

ta in albis dicta: velut, in *Euchariſtia*, Symbolorum oblationes à fidelibus factæ; hinc preces pro omnibus; mox peculiares preces, & gratiarum actiones, ſuper elementa; dein, panis fractio & diſtributio; vini pariter aquâ diluti participatio; communio infantium; miſſio Euchariſtiæ ad ægrotos atque abſentes; panis nonnunquam intinctio, ſicubi ægris vel infantibus porrigeretur: velut eorum συσσίτια ſive *Agapæ*, quibus inopes ſublevati, quáſque tanta pietate ac modeſtia temperabant, primis ſaltem illis temporibus, ut *non tam cœnam* Tertull. *cœnare* viderentur *quàm diſciplinam:* velut *Stationes* atque *Je-* Apolog. *junia*, quorum varia admodum ac libera erat praxis: velut *pervigilia*, quibus concubia nocte ad Deum celebrandum excitabantur. Et hi quidem ritus horum temporum; Quibus, ſi dixero, neque cultos Angelos, neque Divos ad opem vocatos, neque reliquias eorum quæſitas, aut honore affectas, neque imagines adoratas, cùm & ipſa pingendi ars illicita haberetur, neque *Crucis ligna feralia Ceremonias noſtras*, mul- Minut. tò minùs ἀρτολάτρας ac θεοφάγους Chriſtianos fuiſſe, retorquendis Felix. facilè in Ipſos, ſi modò tales fuiſſent, quæ in Ethnicos vibrabant telis, nec alia denique innumera ſequiorum temporum adhuc uſurpata, equidem nihil aſſeram quod per ſeſe abundè non pateat, certiſſimiſque documentis non confirmetur.

Sciſcitaris de Regimine? Erat Προεστὼς ſive *Epiſcopus*, inde Regimen. à prima antiquitate, & ad *Synagogæ* exemplum hauddubiè, cui ſuus ראש הקהל fuerat. Erant *Presbyteri*, ſive Seniores, Juſtin. M. honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio, adepti, & quo- Tertull. Cyprian. rum ex conſilio præcipua quæque gerebantur. Accedebant *Diaconi*, à quibus, & Euchariſtia diſtributa, atque ad abſentes delata, & alia miniſteria minoris notæ exercita: Quibus etiam *Lectores*, *Acolythi*, *Exorciſtæ*, poſtmodùm acceſſêre. Cæterùm, nondum Orbis adorabat Romam; nondum Tiberinus ille Pontifex Eccleſiæ Monarcham agebat: Vel, ſi quando jura dare, atque à ſe diſſentientes inclementiùs damnare voluit, prout à *Victore* & *Stephano* factum, (jam tum 2. Theſſ. II. 7.

ἐνεργουμένῃ τῷ τῆς ἀνομίας μυστηρίῳ) neque id cæteri multùm curârunt; neque defuerunt qui audaciam illam acerrimè arguerent, prout *Irenæi* ad Victorem, & *Cypriani* ac *Firmiliani* ad Stephanum, Epiſtolæ abundè teſtantur.

Diſciplina. Percontaris de Diſciplina? Sanctiſſima illa fuit, & peccatis fugandis aptiſſima; nemine, niſi poſt idoneam explorationem, ſacris undis tincto; nemine ſacri cibi participe, niſi qui ad Chriſti normam ſe re verâ compoſuiſſet; & ſeveriſſimis, imò aliquando plus juſto ſeverioribus, in graviùs delinquentes, conſtitutis pœnis; *à commucatione* nempe *orationis, & conventûs, & omnis ſancti commercii, relegari*; quin &, ſi gravius delictum eſſet, *omni Eccleſiæ tecto ſubmoveri*: Neque modò ad breve tempus, ſed ad multos annos non rarò, aliquando ad mortem uſque, aliquando ne illis quidem, qui in extremis verſarentur, ad Eccleſiæ pacem admiſſis: Quæ quidem, ut in ſe ſanctiſſima, tamen nimia quandòque fuiſſe, & ab Evangelica manſuetudine aliquantulùm abhorrentia, negari nequit. Jam, ut Lapſis pax redderetur, quis neſcit quàm laborioſæ ſubjecti ſint Pœnitentiæ? *ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus dejicere, paſtum & potum pura noſſe, jejuniis preces alere, ingemiſcere, lacrymari, mugire dies noctéſque, presbyteris advolvi, caris Dei adgeniculari*, (unde forſan calumnia illa de *Sacerdotum genitalibus* à Chriſtianis cultis, cujus mentio apud *Minutium*) *presbyteris*, inquam, *advolvi*, *caris Dei* (hoc eſt, Martyribus) *adgeniculari*, *omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ injungere*: Quæ quidem *exomologeſis* (ſic Pœnitentiam publicam vocabant) cùm „provolvebat hominem, „magis relevabat; cùm ſqualidum faciebat, magis mundatum „reddebat; cùm condemnabat, abſolvebat, prout eleganter *Tertullianus.*

(Juſt. M. Apol. 2. — Tertull. Apolog. cap. 39. — Tertull. de Pudic. cap. 4. — Tertull. de Pœnit. cap. 9. — Tertull. ibid.)

Mores. Ac reverâ, his tyrociniis, iſtâ caſtrorum diſciplinâ, Chriſtianorum militum virtus, ſanctitas, pietas, juſtitia, ſobrietas, caſtitas, fortitudo, conſtantia, dici non poteſt quantùm promotæ ſint. Enimverò, illis adhuc Sæculis, vis Chriſ-

Chriſtiani nominis, non in dictis, ſed in factis, ſeſe exſeruit;
Οὐκ ἐν λόγοις, ἀλλ' ἐν ἔργοις τὰ τῆς ἡμετέρας θεοσεβείας πράγματα. *Non elo-* Juſtin. M.
quimur magna, ſed vivimus. Hinc, in Scriptis illis Apologeti- Minut. Fel.
cis, per ea tempora editis, non innocentia modò Chriſtia-
norum defenditur, & *neminem Chriſtianum malum, niſi qui* Athenag.
fidem ſimularet, apertè aſſeritur, ſed &, ad exquiſitam illo- Legat.
rum ſanctitatem, velut ad palmarium quoddam Evangelicæ
veritatis argumentum, provocatur. Dicamne, quanta ipſis
fuerit, & colendi Dei cura, & in orando aſſiduitas, & in
promovendo Dei Regno zelus, & in proximis diligendis ſin-
ceritas, & in ſublevandis pauperibus, captivis redimendis,
confeſſoribus, intra carcerum ſepta, inviſendis, ſuſtentandis,
erigendis, ſollicitudo, (miſsâ etiam non rarò, ad oras remo-
tiſſimas, eum in finem ingenti pecuniâ) & in domandis li-
bidinibus ſtudium, & in fugiendis Mundi illecebris diligen-
tia, & in graviſſimis perſecutionibus, exquiſitiſſimis ſuppliciis,
Evangelii cauſsâ perferendis, fortitudo, alacritas, & conſtan-
tia? Res in vulgus notiſſimæ, & ab ipſis etiam Chriſtiano-
rum hoſtibus non ſine ſtupore memoratæ.

SIC IGITUR illibata manſit, ad ſummam rerum quod attinet, III.
imò ſic per aliquot perſtitit Sæcula, profeſſio Chriſtianorum. *ÆTAS Æ-*
Verùm, tum maximè vitiari cœpit, cùm minimè debuerat; *NEA, inde*
Imperiô ad fidem adductô, ſed & Imperii pompâ Eccleſiam *à tempori-*
inficiente; Ethnicis ad Chriſtum converſis, ſed & Chriſti Re- *bus Con-*
ligione ad Ethnicæ formam depravatâ; aſſertâ Chriſtianis pa- *ſtantini M.*
ce, ſed & pacis malis irrumpentibus; Eccleſiâ divitiis & po-
tentia majore, ſed virtutibus minore; Antiſtitum honoribus,
reditibus, immunitatibus, munificentiâ Principum auctis,
ſed & eorum ſuperbiâ, æmulatione, rixis, diſſidiis, pari paſ-
ſu augeſcentibus; denique levibus illis nævis, quos ab initio
irrepſiſſe vidimus, ad cumulum ita perductis, ut, quæ ar-
gentea hactenus fuerat rei Chriſtianæ facies, in *æneam* poſt-
modùm, tandem *& ferream*, mutata fuerit. Ire per ſingula
non vacat; Præcipua quædam ſat erit notâſſe.

Fidei capita multiplicata.

Et una quidem ex primariis Apoſtolicæ Doctrinæ laudibus, fuit illa Fidei ſinceritas, fuit illa credendorum paucitas, quæ in eorum Scriptis obſervatur. At verò, illô, quo de agimus, tempore, Fidei capita in immenſum aucta, nova Symbola quotidie cuſa, novæ voces quotidie inductæ, Scriptis humanis atque Conventibus nova auctoritas quotidie adſcripta, ſubtiliorum de rebus divinis diſquiſitionum nullus finis, Chriſti Religio in artem converſa; τεχνολογῶσιν, οὐχὶ θεολογῶσιν οἱ ἄνθρωποι, inquiebat *Baſilius*; tot fides exiſtere cœperunt, quot voluntates; „erat fides temporum, potiùs quàm Evan„geliorum; ſecundùm annos ſcribebatur; dumque plures quo„tidie fierent, ad id cœperunt eſſe, ne ulla ſit, quemadmodum turbatô illô ævô, Nicænam Synodum ſecutô, & Arianis tumultibus deformi, querebatur *Hilarius*.

Baſil. M. apud Damaſc. Hilar. ad Conſtant. Aug.

Ceremoniæ in immenſum auctæ.

Alia genuini Chriſtianiſmi laus, fuit illa Cultûs ſimplicitas, quâ, tum ab Ethnicis ineptiis, tum à Judaïcorum rituum onere, Chriſtiani ſublevabantur. At illis Sæculis, quæ nos jam deſcribimus, ſive ex innata humano ingenio ad res ſenſibiles propenſione, ſive ad augendum Sacrorum decus, ſive præpoſterâ quâdam Ethnicorum æmulatione, ſive malè ſanis Oratorum ac Poëtarum figmentis, Religio, quam pau„ciſſimis & manifeſtiſſimis celebrationum ſacramentis miſeri„cordia Dei liberam eſſe voluerat, ſervilibus oneribus in„dies premi cœpit; ut tolerabiliorem Judæorum conditionem „fuiſſe, qui legalibus quidem ſarcinis, non humanis præſum„ptionibus ſubjiciebantur, *Auguſtinus* aſſerere & lamentari non vereatur.

Auguſt. Epiſt. 119. ad Januar.

Sancti.

Quòd Martyres, alióſque Sanctos, in Domino piè defunctos, ſummo in pretio haberent Chriſtiani, id laude quidem digniſſimum erat. Quòd memorias eorum ſtatis diebus celebrarent, id, ſi non præceptum à Deo, vix tamen culpari meruit, ſiquidem ad accendendam parem in vivis pietatem honos ille fuit comparatus. Quòd poſtmodùm in Concionibus aliquando compellati ſint, id oratorium initio, adeóque minimè urgendum; unde & hæc utplurimùm addi-

ta,

ta , ὅτι ἀληθῆ, εἴτε σοι τῶν ἐναντίων λόγος, εἰ μὴ ἰδιωτικὸν εἶναι ἐπαινεῖ. At verò, quòd figuræ illæ pòſt in literalem ſenſum detortæ ſint, quòd Martyrum animæ circa tumulos ipſorum vagari, ibique preces exaudire, & Miracula patrare creditæ, quòd eorum reliquiæ quæſitæ, & majori indies cultu exceptæ, quòd Baſilicæ, quòd Oratoria, in eorum honorem exſtructa, quòd Feſta ſolemnia ipſis dicata, quòd eorum denique patrocinium, & apud Deum deprecationes ſtudioſè ambitæ, illa degeneris Chriſtianiſmi, & revocati velut poſtliminio Ethniciſmi indicia fuêre.

Gregor. Nazianz. in Orationibus paſſim.

Sed &, ne quid Ethnicum deeſſet, illæ divinis præſcriptionibus ita expreſſè vetitæ, illæ à primis Chriſtianis tanto ſtudio proſcriptæ Imagines, poſtmodùm, tum ob ornatum, tum ad juvandam memoriam, & rudiorum inſtitutionem, tum ut plebs

aſſueta diu ſacris ſervire profanis,

advena Chriſto lubentiùs fieret, quemadmodum teſtis eſt *Paulinus*, ſenſim in Eccleſias illatæ, nec multò pòſt cultu affectæ ſunt. Diu obſiſtunt viri pii. Vetat Concilium *Eliberitanum*, picturas in Eccleſiis eſſe. Exardeſcit *Epiphanius*, velúmque effigie ſignatum ſcindit. Frangit *Serenus* imagines, & ab Eccleſiis projicit. *Carolus Magnus* cum ſuo illo *Francofurtenſi* Concilio, *Ludovicus Pius* cum *Pariſienſi*, Ethnicam praxim Decretis caſtigant. Imperator Orientis non unus Imaginibus adverſum ſe præbet. *Agobardus*, *Hincmarus*, *Claudius Taurinenſis*, alii benè multi, in Occidente obnituntur. Fruſtrà hæc omnia fuêre; Quippe, inter Imperii turbas, & mutuas Conciliorum ſecum invicem pugnantium diras, *ſuperſtitionis illius peſtis*, *partim ignorantia*, *partim peſſimæ conſuetudinis uſu*, (ſic loquuntur *Pariſienſes*) tandem prævaluit.

Imagines.

Paulin. Nat. 9. Felic.

Concil. Eliber. Can. 36.

Epiph. Epiſt. ad Joh. Hieroſol.

Gregor. M. Epiſt. Lib. IX. Epiſt. 9.

Synod. Pariſ. an. 824.

Jam, de Baptiſmi & Euchariſtiæ ſolemnibus, quid dicamus? Quos quidem ritus, in ſe ipſis planiſſimos, & intellectu obvios, non tam novos inſtituit, quàm, ex Judæorum uſibus deſumptos, ſuæ Diſciplinæ aptavit Chriſtus. Neque verò primi Chriſtiani ab horum rituum fine atque indole ſtatim aber-

Baptiſmus. Euchariſtia.

Juſtin. M. Apol. 2.

rârunt, utpote quos in Apologiis, ad Ethnicos ipſos datis, apertiſſimè ſimul & ſimpliciſſimè deſcribunt. Verùm ſorduit ſimplicitas illa apud ſequioris ævi Doctores. Majus quid ſuſpicati ſunt, & ad creandam apud Ethnicos reverentiam aptius. Fuerunt jam φρικτὰ μυστήρια, miri quidam ac tremendi ritus, de quibus, niſi apud initiatos, ne muſſitare quidem licuit; ἴσασιν οἱ μεμυημένοι. Hinc nova pompa quotidie Solemnibus illis addita, nova virtus iis adſcripta, novæ figuræ, novæ ὑπερβολαὶ, in extollendis illis uſurpatæ. Quod quidem, progreſſu temporis, in eam excrevit prodigiorum, imò abſurditatum molem, cujus, niſi certis nimiùm conſtaret documentis, fides eſſet laboratura.

Regiminis facies mutata.

Quemadmodum verò in Ritibus, ſic & in ipſo Eccleſiæ Regimine, à primæva inſtitutione non parùm aberratum eſt. Tota ejus facies mutata. Novorum Munerum nullus finis. Politia Eccleſiaſtica ad Imperii normam exacta. Miniſteria in Dignitates, docendi cura in ſocordiam, modeſtia in faſtum, pietas in factionem converſa. Synodi, ad Eccleſiæ bonum, & componenda diſſidia, natæ, ab illis finibus ita degeneres, partium ſtudiis ita violatæ, Principum arbitrio ita mancipatæ, ut nullam ſe vidiſſe, quæ *non magis ad augenda mala, quàm minuenda, contulerit*, teſtetur *Nazianzenus*; αἱ γὰρ φιλονεικίαι καὶ φιλαρχίαι λόγου κρείττονες, *nam*, addit, *litigandi & imperitandi cupido, plus quàm ratio, in illis valent*; Unde ſe φεύγειν πάντα σύλλογον ἐπισκόπων, *ſe omnem Epiſcoporum conventum fugere* atque averſari, apertè prodit. Quorum tamen Conventuum uſus, pro imperantium voluntate, & ſæpe quidem minimis de cauſſis, ita temporibus illis crebreſcebat, ut Ethnicis ludibrio eſſent, *catervisque illis Antiſtitum, jumentis publicis ultrò citróque diſcurrentibus, per Synodos, quas appellant, rei vehiculariæ nervos ſuccidos*, jocô-ne an ſeriò, notet *Ammianus*.

Gregor. Nazianz. Epiſt. LV. ad Procop.

Ammian. Marcell. Lib. XXI. cap. 16.

Diſſidia Eccleſiaſtica.

Et quis neſcit Antiſtitum iras, æmulationes, diſſidia, bella pluſquàm civilia, & nunquam intermoritura, utramque Annalium paginam implentia? Pugnas nempe de rebus leviſſimis,

ſimis, de meris vocibus utplurimùm, de ritibus adiaphoris, de myſteriis ἀκαταλήπτοις, de quæſtionibus quas neutri intelligerent, imò & à ſe non intelligi ipſi ſæpe confiterentur: Convitia ab Antiſtitibus, nullo pudore, nullo iræ modo, in ſe invicem conjecta; qualia, vel ab uno *Hieronymo*, mox in *Ruffinum*, mox in *Jovinianum*, mox in *Vigilantium*, mox in *Johannem Hieroſolymitanum*, fœda prorſùs, & ore Chriſtiano indigniſſima, proferuntur: Anathemata in mortuos, imò pluribus nonnunquam poſt obitum Sæculis, vibrata; velut in *Origenem* illum *Adamantium*, cujus pridem defuncti fama tot conviciis diſcerpta, ſed cujus tamen, *cum invidia nominis*, optâſſet Hieronymus *habere etiam ſcientiam Scripturarum*; velut in *Theodoreti*, *Theodori*, atque *Ibæ* Capitula, totô etiam poſt obitum Sæculô Eccleſiam in partes vocantia: de ſummis Sedibus certamina, non ambitu modò fœdiſſima, ſed & tumultibus ac ſtragibus non ſemel funeſtata, & ſapientum inter Ethnicos ſtomachum moventia; velut in *Damaſi* & *Urſicini*, Romanum Epiſcopatum ambientium, competitione, quâ *peremptorum uno die*, *in Baſilica Sicinini*, *centum triginta ſeptem reperta cadavera*, *efferatamque diu plebem ægrè delinitam*, non ſine indignatione & graviſſima cenſuræ nota, homo Ethnicus refert *Ammianus*; Qui & alibi, *nullas infeſtas hominibus beſtias*, *ut ſunt ſibi ferales plerique Chriſtianorum*, diſertè aſſerit. Quæ quidem Eccleſiæ probra ac dedecora, exemplô *Conſtantini M.*, pallio obvelare, eorumque monumenta in ignem conjicere mallem, quàm eorum memoriam recolere, niſi ex his documenta ducere, & alienarum culparum moneri exemplis, é re noſtra eſſet.

Hieron. proœ. Quæſt. Hebr. in Gen.

Ammian. Marcell. lib. XXVII. cap. 3.

Amm. Marcell. Lib. XXII. cap. 5.

Epiſcopi Romani faſtus.

Quid, quòd unus inter Epiſcopos, pari cum reliquis loco, ſi ad originem ipſam adſcenderis, nec majori poteſtate præditus, mox, ſuadente Urbis majeſtate, favente Chriſtianorum illuc undique ob varia negotia proficiſcentium concurſu, adjuvante Imperatorum, aliorumque Principum, in illam Sedem benevolentiâ, & collatis in eam honoribus, promoven-

vente Auguſtæ Sedis Conſtantinopolim tranſlatione, & Barbarorum irruptionibus, & fractis Imperii viribus, aliiſque circumſtantiis, impellente inter hunc Epiſcopum & Byzantinum æmulatione, accedentibus plurium ex iis, qui Sedem iſtam occupârunt, artibus, in illud tandem ſupercilium (ὀφρὺν δυτικὴ dicitur *Baſilio*; *fumoſum typhum* dicunt Africani) in illud, inquam, ſuperbiæ atque arrogantiæ culmen adſcendit, ut omnia ad ſe trahere, more dictatorio de omnibus pronuntiare, Epiſcopi *Oecumenici* titulum uſurpare, & cum titulo imperium re verâ in univerſam Eccleſiam aſſumere, Leges figere ac refigere, ſeſe ſupra Reges ipſos ac Imperatores extollere, illos pro lubitu exauctorare, ſubditos fidelitatis ſacramento exſolvere, alios in eorum locum ſufficere, denique Monarcham Eccleſiæ, Chriſti Vicarium, Deum in terris, ſeſe gerere non dubitaverit: Ut pateret, verè illum eſſe, qui, juxta Pauli vaticinium, in Templo Dei ſeſſurus, ſe pro Deo venditaturus, ſéque ipſum ὑπὲρ πᾶν σέβασμα, auſu ſacrilego, elaturus fuerat.

' Baſil. M. Ep. 10. Conc. Afric. Ep. ad Cæleſt.

2. Theſſ. II. 4.

Diſciplina collapſa.

Inter hæc verò, & aliud malum in Eccleſiam irrepſit; remiſſa nempe paulatim, tandémque exſtincta prorsùs Diſciplina. Enimverò, auctâ dignitatibus ac divitiis Eccleſiâ, aucta ſimul licentia eſt. Principes, aliíque Nobiles, dum in vitia præcipites ruerent, jugum Chriſti detrectare, omnem Eccleſiæ libertatem, jura omnia everſum ire; Epiſcopi, ſæcularibus impliciti negotiis, alia omnia quàm ſui gregis emendationem curare; diras omnes, non in vitia, ſed in hæreſes, vibrare; partium ſtudiis totos ſe tradere, reliqua omnia poſthabere; Eccleſias, non antiquo ritu, Presbyteris nimirùm in conſilium vocatis, ſed pro lubitu adminiſtrare, adeóque multa negligere, ad quæ attendi oportuit. Tandem publica Pœnitentia penitùs deſueſcere, nec niſi inanis quædam ejus umbra relinqui cœpit, quæ nec frænum vitiis injiceret, nec in aliis propemodùm quàm in nugis occuparetur.

Quibus omnibus, quàm corrupti fuerint, quantùm à primæva

mæva puritate devii, Chriſtianorum mores, me tacente, abundè perſpicitis. Ita profectò fuit, Auditores. Chriſtiani, nomine quidem plurimi, re pauciſſimi fuerunt. Pietatis forma ubique, vis nuſpiam. Religio, non ut antea, in mentis puritate, morúmque innocentia, tota in ritibus collocari cœpit. Principes bellis ſævire, in omnem effundi libidinem, nullo ab Ethnicis diſcrimine. Antiſtites ſuperbiâ tumeſcere, factionibus agitari, in res ſuas toti intendere. Plebs, cæcos illos Ductores ſecuta, iiſdem vitiis indulgere, idem in barathrum ſe conjicere. Adeò ut, præter pauciſſimos, qui vitia fugiebant, *nihil aliud cœtus omnes Chriſtianorum, quàm vitiorum ſentinam fuiſſe*, conqueratur *Salvianus*; Eccleſiámque, *navi putreſcenti*, ac præ vetuſtate naufragium minanti, *Gregorius* ille Magnus aſſimilare non vereatur: Heu! quid dicturus uterque, ſi ad illam temporum fæcem ac putredinem, quæ aliquot pòſt Sæculis conſpecta eſt, vitam protendiſſent?

Mores quotidie in pejus ruentes.

Salvian. de Guber. Dei. Lib. 3.

IV. Ætas Ferrea, *Sæculo X. & ſequentibus.*

Atque ita ſenſim ad infauſta illa delabimur tempora, quibus tetriora ac fœdiora ne fingi quidem poſſe, vel acerrimi cauſſæ Pontificiæ defenſores non inficiantur. Certè *Baronius* Sæculi X. primordia narraturus, dicit illud ſui aſperitate ac „boni ſterilitate ferreum, mali exundantis deformitate plumbeum, inopia Scriptorum obſcurum, appellari conſueviſſe. „Et mox; Deum oblitum Eccleſiæ ſuæ, cujus facies lurida ac fœdiſſimâ; Chriſtum alto ſopore in Eccleſiæ navi „dormiiſſe, neque quenquam, qui ipſum excitaret, repertum eſſe; abominationem deſolationis tunc in Eccleſia viſam; vix credi poſſe, quàm indigna, quàm turpia ac deformia, quàm execranda ac abominanda, in Apoſtolica ſede viſa ſint, expreſſis verbis docet Purpuratus. Referam-ne craſſiſſimam illorum temporum ignorantiam, exſtincta ſtudia, jacentes literas, incubantem Eccleſiæ barbariem, humanarum pariter ac divinarum rerum imperitiam, ſtuporem quendam animis inditum, eò uſque ut nemo ferè qui literas didiciſ-

Baron. ad An. 900. §. 1.
Id. ad An. 908. & 912.
Id. ad An. 900. §. 1. & 3.

ſet, Romæ exſtitiſſe perhibeatur? Dicam-ne effrænem prorſùs, quæ tum regnabat, morum licentiam? fidem defeciſſe; „timorem Domini de medio ſublatum; periiſſe de rebus juſtitiam; æquitatem ſubactam; violentiam atque fraudem latè „dominantes; continentiæ, parcimoniæ, ſobrietati, nullum locum; fornicationum genus quodlibet ſine rubore exercitum; „omne in præcipiti vitium ſtetiſſe; qualem populum, tales „Sacerdotes; Clericorum domos, in proſtibula meretricum, „& conciliabula hiſtrionum evaſiſſe; prout fide digniſſimi horum temporum Scriptores teſtantur. Narrem-ne proculcata jura, everſam Diſciplinam, Romanam Eccleſiam ab *improbis*, *ſceleratis*, *impudicis*, *prædonibus*, *invaſoribus*, *ſanguinariis*, *graſſatoribus*, teſte *Baronio*, occupatam; quorum 50. circiter, per annos ferè 150. *apotacticos & apoſtaticos*, non *Apoſtolicos* dicendos eſſe, fatetur *Genebrardus*; Pontificatum ex fœdiſſimarum meretricum arbitrio pendentem; puerum necdum quinquennem in Archiepiſcopum Rhemenſem electum; ac, ne quid Oriens Occidenti debeat, Conſtantinopolitanum Præſulem, vix annos ſexdecim natum, ipſo die Cœnæ Dominicæ, Magnæ Quintæ Antepaſcalis, in Pontificalibus Sacris operatum, ſolemnia abrumpentem Sacra, ut ad equæ partum accurreret; mox, conſpectô pullô, ad abſolvenda Sacra redeuntem? O digna tempora, quæ, & firmandæ Idolomaniæ, & Artolatriæ inducendæ, & propagandis erroribus, & pontificiæ tyrannidi ad cumulum perducendæ, & hirſutæ cuidam ac barbaræ Theologiæ in medium proferendæ, & putidiſſimis Legendis, Fabulis ſine fine ac modo, cudendis, & inſtaurando Bello ſacro (ſacro, dicam, imò ſacerrimo, ſed prout dicitur *auri ſacra fames*) iniquitatum, ſcelerum, nequitiarum, fonte uberrimo, & erigendo denique, ad vim conſcientiis inferendam, iniquiſſimo juxtà ac ſæviſſimo Tribunali, obſtetricarentur! Verùm tædet ſentinam illam ulteriùs movere; tempúſque eſt, ut ad purgatam tot ſordibus Eccleſiam oculorum aciem vertamus.

Guliel. Tyr. Hiſt. Lib. I. cap. 8.

Baron. ad An. 1000. §. 21.

Genebr. Chron. ad An. 901.

Hugonem Aquitaniæ Comitis filium.

Theophylactum filium *Romani* Imperat.

Magna

Digitized by Google

V. *Chriſtianiſmi inſtauratio per beatam* REFORMATIONEM.

Magna profectò, Auditores, imò maxima jam Dei fuerat in Eccleſiam indulgentia, quòd, ingruente illô errorum ac ſuperſtitionum diluviô, quandam ſemper Arcam ſervâſſet, quòd, obtenebratâ Ægyptô, aliquam ſemper Goſçen illuſtrâſſet, quòd ſiccatâ areâ, aliquod ſemper vellus irrigâſſet; ſive, ut planiùs mentem exponamus, quòd, in mediis Papatûs tenebris, inter *Waldenſes*, *Albigenſes*, *Wicleſitas*, *Huſſitas*, *Bohemos*, puræ ſuæ veritatis ſcintillas emicare ſemper voluiſſet. Verùm ulteriùs progreſſa eſt paterna Dei in Eccleſiam cura. Splendidiorem quippe accendi voluit facem, quâ, non obſcuri quidam anguli, non arctæ quædam convalles, ſed Europa, quanta quanta eſt, imò & totus Orbis illuſtraretur. O felicia tempora! O beatam rerum converſionem! cujus, quot ſunt circumſtantiæ, tot profectò miracula, tot divinæ miſericordiæ indicia deprehenduntur!

Enimverò, quis non obſervet, paratam veluti huic operi viam, per Literarum inſtaurationem, Sæculis XV. & XVI. in his occiduis partibus factam; Arte Typographicâ opportunè ad id repertâ, ut Bibliothecarum theſauri publici juris fierent; & doctâ illâ Græcorum manu, poſt captam à Turcis Conſtantinopolim, in Italiam delatâ, Græcáſque literas reſtituente, dum alii Latinas Hebraïcáſque inſtaurarent; quinimò viris præſtantiſſimis non ſine Numine excitatis, qui, velut aliud agentes, ad Sacra inſtauranda facem præferrent; Qualis præ cæteris fuit *Eraſmus*, qui, quanquam ad Reformatores ipſemet non acceſſerit, imò & iis nonnunquam ſe adverſum præbuerit, attamen, tum in ſacro Codice edendo atque illuſtrando, tum in Eccleſiæ Veteris Scriptoribus in lucem mittendis, tum in receptæ Religionis ineptiis arguendis, tum in veræ pietatis officiis exponendis & commendandis, ita utilem operam poſuit, ut dici nequeat, ad cauſſam Proteſtantium promovendam, quantùm contulerit.

Hæc præludia. Jam, ſi ad ipſum Reformationis opus accedamus, quis non miretur, velut ſignô datô, per totam paſſim Europam, apud *Germanos*, apud *Helvetios*, (Gentes re-

Digitized by Google

receptis uſibus mordicùs adhæreſcentes) apud *Gallos*, apud *Italos*, apud *Britannos*, apud *Batavos*, imò & ad ultimas uſque *Septentrionis* oras, ingenti numero Viros exortos, qui Veritatis illuſtrandæ, & Eccleſiæ ab errorum ſordibus expurgandæ, operam darent? Quis non ſuſpiciat, in Viris illis, miram ingenii felicitatem; eruditionem exquiſitam, longè ſupra captum temporum illorum; perpolitam dicendi ſcribendique rationem, à Scholæ barbarie planè alienam; facundiæ vim incomparabilem, quæ non moveret, ſed traheret; laboris patientiam penè incredibilem; mentem excelſam ac planè divinam; veri ſtudium indefeſſum; zelum domûs Dei ferventiſſimum; fortitudinem, conſtantiam, interritum animum, qui, nec præſentiſſimis periculis, nec minis inſtantis tyranni, nec ignibus ac ſuppliciis, à propoſito dimoveretur, res toto orbe notiſſimas, neque ſatis unquam prædicandas? Quis non miretur, tot circa capita, tum in Doctrina, tum in Cultu, tum in Diſciplina atque Regimine, eos ad verum perveniſſe; Cúmque tota Chriſti Religio, inde à pluribus *Sæculis*, caligine non dicam obducta, ſed penè obruta jaceret, eam ex tumulo velut excitaſſe, & nativo ſuo ſplendori, in pleriſque ſaltem, reddidiſſe? Quis non miretur incredibilem, quâ magnum illud opus promotum eſt, velocitatem; dementata Romæ conſilia; artes adverſantium Principum irritas; imò verò Principes illos, qui maximè adverſabantur, hujus operis miniſtros factos; Eccleſias noſtras, veteris more, ſuis ex cineribus non ſemel renatas; ſanguinem Proteſtantium, ſemen Eccleſiæ; exquiſitiorem crudelitatem Sectæ illecebram; ædificatam, cùm cæderetur: Ut inſtaurati Chriſtianiſmi, eadem quæ primævi, eſſet fortuna.

Equidem, AUDITORES, dum in illa tempora cogitatione me transfero, dum Heroas illos, quorum miniſterio Lux Eccleſiis noſtris reddita eſt, ob oculos mihi pono, dum eorum virtutes, dum eorum labores conſidero, dum, quid viderint, quid tentaverint, quid perfecerint, quid perpeſſi ſint, apud me ipſum expendo, ſanè his omnibus ita afficior, ita moveor,

vcor, ita extra me rapior, ut majora ab hominibus vix perfici poſſe videantur. Quòd ſi verò illos interim non omnia vidiſſe, in quibuſdam cæſpitaſſe, humani quid paſſos eſſe, quibuſdam caruiſſe ſubſidiis, quæ, noviſſimi temporis induſtriâ, dicam an felicitate, reperta ſunt, ob res leviuſculas nimis quandóque exarſiſſe, Cultui fortè atque Diſciplinæ ultimas nondum curas adjeciſſe, imò & per temporum infelicitatem, quæcunque animo volvebant, perficere non valuiſſe, denique, inter immenſos ſuos & ſumma laude digniſſimos labores, aliquid nihilominùs poſterorum diligentiæ reliquiſſe confiteamur, id profectò eorum gloriæ & laudibus non magis detrahit, quàm ſi homines, non Dii, fuiſſe perhibeantur.

De ſtatu Doctrinæ Evangelicæ poſt Reformationem.

Ab illo verò tempore, ſi quis poſtulet, quænam fuerit inſtaurati Chriſtianiſmi, in Eccleſiis noſtris, fortuna, reſponſum ferat, non parùm lucis, quibuſdam ſaltem in regionibus, & per quoſdam verè doctos viros, Doctrinæ ſacræ commodatum eſſe; tum ex Linguarum originalium notitia uberiore; tum ex veræ Critices regulis accuratiùs perſpectis, meliúſque in praxim redactis; tum ex rectiori, quàm quæ antea fuerat, philoſophandi ratione; tum denique ex Antiquitatis, cùm profanæ, tum ſacræ, ſtudio, magnâ induſtriâ paſſim exculto: Quæ quidem ſubſidia, quàm doctos pepererint in Codicem Sacrum commentarios, quàm eximios, tum de Dogmatibus, tum de Officiis, tractatus, quàm ſolidas de capitibus inter Chriſtianos controverſis diſputationes, prædicari ſatis non poteſt. Interim, quòd lumen illud latiùs diffuſum non ſit, & tot adhuc nebulis tegatur, cauſſæ plures poſſunt aſſignari: Non jam rogos, non jam carnifices, non jam exilia, carceréſque, accuſo. Non hi præcipui, mihi credite, rei Evangelicæ hoſtes fuerunt. Contrà, *plures efficimur, dum metimur*; aurúmque fidei ex ignibus purius exit. Sed paci potiùs & pacis vitiis, ſed Mundi contagio, ſed remiſſo Noſtrorum zelo, ſed Scholæ barbariei multis in locis adhuc regnanti, ſed inanibus Myſtarum rixis, precariis hypotheſibus, expoſitionibus Scripturæ vanis, & nullo tibicine nixis, ſed pertinaciæ, ſuperbiæ, dominandi cupidi-

 ni,

ni, ſed in primis infauſtis illis, & ſanguineis lacrymis deflendis, Eccleſiarum noſtrarum ſciſſuris, quæ, tum in *Germania*, tum in *Britannia*, tum in *Belgio*, viſæ ſunt, hodiéque, non ſine maximo bonorum luctu, ibidem cernuntur, his, inquam, his propriè debetur, quòd uſque adhuc ſtet Antichriſtus, quódque Lux Evangelica, inde à tempore Reformationis, non majora incrementa ceperit.

VI. CONCLUSIO. *Quid facto opus ſit, ad ampliorem Doctrinæ Chriſtianæ illuſtrationem.*

NOS quod attinet, AUDITORES, ut de nobis tandem dicamus, noſtrum eſt hac luce frui, imò & illam, ſi fieri poſſit, ulteriùs indies proferre. Noſtrum eſt, magnorum illorum, ſive primævi, ſive renaſcentis Chriſtianiſmi Antiſtitum, veſtigiis inſiſtere. Noſtrum eſt, illorum exemplò, præjudicatis opinionibus depoſitis, excuſſâ ſuperbiâ, affectibus omnibus valere juſſis, ad veritatis inveſtigationem generoſo impetu ferri, inveſtigatam admittere, admiſſam profiteri, profeſſos retinere, & factis implere. Noſtrum eſt, humanâ omni auctoritate poſthabitâ, Scriptis omnibus humanis, quantumcunque conſpicuis, ad Sanctuarii lancem appenſis, ab ore Dei unicè pendere, in Dei unius verba jurare, neque quidquam in Sacris admittere quod illo ex fonte non derivetur. Noſtrum eſt, ſcholaſticis argutiis, vanis quæſtionibus, pugnis de vocibus, prout à Reformatoribus noſtris magna ex parte jam factum fuerat, Theologiam noſtram purgare. Noſtrum eſt, infauſta illa, *Lutheranorum*, *Calvinianorum*, *Epiſcopalium*, *Presbyterianorum*, aliáque partium nomina, utinam nunquam nata, exſtinguere, unóque omnes ac eodem Chriſtianorum nomine cenſeri; Illud *Hilarii* menti infigentes; *Dum in verbis pugna eſt, dum de novitatibus quæſtio eſt, dum de ambiguis occaſio eſt, dum de auctoribus querela eſt, dum de ſtudiis certamen eſt, dum in conſenſu difficultas eſt, dum alter alteri anathema eſſe cœpit, propè jam nemo Chriſti eſt.* Noſtrum eſt, pacis conſilia, διὰ δόξης καὶ ἀτιμίας, διὰ δυσφημίας καὶ εὐφημίας, per gloriam & ignominiam, per convitia & laudes, proponere, urgere, iterare: dum infamamur, precari; dum convitiis afficimur, benedicere;

Hilar. lib. ad Conſtant. Aug.

2. Cor. VI. 8.

Digitized by Google

re; neque aliis magis armis, quàm patientiâ multâ, quàm puritate, quàm ſcientiâ, quàm lenitate, quàm bonitate, quàm 2. Cor. caritate non ſimulatâ, renitentes ad nos adducere; *Nazianzeni* illud uſurpantes, VI. 4. 6. Συγχωρήσωμέν τι μικρὸν, ἵνα μεῖζον ἀντιλάβωμεν τὴν Gregor. ὁμόνοιαν, *Exiguum quiddam concedamus, ut, quod majus eſt, con-* Nazianz. *cordiam lucrifaciamus.* Orat. 14. Noſtrum eſt, poſitis inimicitiis, datis Reipublicæ Chriſtianæ ſimultatibus noſtris, pro communi cauſſa decertare, communis Domini regnum promovere, communem hoſtem profligare, ad communem palmam tendere. Noſtrum eſt, Cultum atque Diſciplinam, ſicubi fortè minùs perfecta ſunt, ad Apoſtolicæ inſtitutionis, & primitivæ Eccleſiæ modulum, quantùm fieri poteſt, adducere. Noſtrum eſt, mutuam inter Eccleſias, quoties ſeſe dederit occaſio, communicationem inſtaurare, inſtauratam colere, atque officiis omnibus fovere; quod ſolemne in Eccleſia Veteri, nec non & tempore Reformationis; & ex quo quidem fructus uberrimus ſingulas ad Eccleſias redundare poſſet. Sed noſtrum eſt in primis, recordari Doctrinam noſtram *Doctrinam Pietatis* eſſe, adeóque in promovenda atque inſtillanda Pietate laborum omnium ſummam collocare. Noſtrum denique, à ſcholis ad vitam, à theoria ad praxim, à profeſſione ad mores, diſciplinam Chriſtianam transferre; quô ſine, nonniſi evanida, coloribus omnibus ac lineamentis deſtituta, rei Chriſtianæ umbra futura eſt.

Fallit-ne animus? Jam ſpes aliqua meliorum temporum affulget. Jam novus ordo Sæculorum, nova progenies oriri videtur. Jam ingenia ad veritatis inquiſitionem aſſurgere; Jam pietatis ſtudia apud multos in pretio eſſe; Jam Scripturæ lectio crebreſcere, etiam apud illos qui eam attingere nefas ducebant; Jam ſcholaſticæ quiſquiliæ ſordere; Jam ſolida Sacrorum notitia plurimorum mentes imbui; Jam Chriſtiana moderatio ſeſe animis inſinuare; Jam Principes, Eccleſiæ favere, zelo Dei ſuccendi, pietatis exemplis præire; Jam Sodalitia, ad rem Chriſtianam promovendam inſtituta, ad finem illum nihil prætermittere, utróque in Orbe Eccleſias erigere, Scholas funda-

Digitized by Google

dare, Libros emittere, Proſelytos ſuſtentare, perituræ pecuniæ non parcere, ut æterna bona propagentur; Cujus quidem beneficentiæ ſplendidiſſima non ita pridem viſa ſunt inter nos exempla: Jam Viri multi doctrina pariter ac zelo conſpicui, id ſibi penſi datum arbitrari, in id totis incumbere viribus, ut greges ſibi commiſſos Chriſto ſiſtant quàm puriſſimos; jámque Deus eorum laboribus non obſcurè benedicere. Quæ quidem auguria ne fallant, ſed ut contrà Chriſti Regnum magis magiſque promoveatur, ſplendeat fides, floreat pietas, virtutum omnium chorus excitetur, ſtudiis, conatibus, votis, quódque omnium potentius, exemplis, nobis omnibus allaborandum eſt. DIXI.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO X.

DE

AFFECTIBUS
A VERI STUDIO
ABDUCENTIBUS.

Dicta eſt Statis ACADEMIÆ GENEVENSIS *Solennibus*, XIII. *Maii* M. DCC. IX. *cùm Auctor octavum* ACADEMICI RECTORATUS *annum ageret.*

Pp

Digitized by Google

Digitized by Google

REGIÆ

SCIENTIARUM

SOCIETATI

BRANDENBURGICÆ

A

SERENISSIMO PRINCIPE

FRIDERICO I.

BORUSSIÆ REGE

FUNDATÆ

ET SUB EJUS AUSPICIIS

FLORENTISSIMÆ

VIRIS IN OMNI DISCIPLINARUM

GENERE VERSATISSIMIS

HAS

DE MAXIMO

PROMOVENDARUM SCIENTIARUM

IMPEDIMENTO COGITATIONES

IN PUBLICUM

OBSERVANTIÆ ET GRATI ANIMI

SIGNUM OFFEREBAT

JOH. ALPHONSUS TURRETTINUS

SOCIUS.

Digitized by Google

CÆSAR apud *Salluſtium* de Bello Catilinario.

Omnes homines, qui de rebus dubiis conſultant, ab odio, amicitia, ira, atque miſericordia vacuos eſſe decet: Haud facilè animus verum providet, ubi illa officiunt.

Digitized by Google

ORATIO X.

DE

AFFECTIBUS
A VERI STUDIO
ABDUCENTIBUS.

Viri Ampliſſimi, Patres Patriæ,

Illuſtriſſimi Comites atque Barones,

Plurimùm Reverendi & Celeberrimi Paſtores & Profeſſores,

Hoſpites, Cives, quotquot adeſtis, Præſtantiſſimi, Humaniſſimi,

Juvenes Ornatiſſimi,

Digitized by Google

FACTURUS-ne ſim operæ pretium, ſi, poſt multa de re literaria, Veri ſtudio excitando, excolendis Diſciplinis, Chriſtianæ veritatis, pietatis, pacis promotione, ſuperioribus annis, in hoc ampliſſimo Conſeſſu propoſita, aliquid jam de graviſſimo horum omnium impedimento, de maximo bonæ mentis obice, AFFECTIBUS nimirùm A VERI STUDIO ABDUCENTIBUS, in præſentia commemorem, haud equidem anceps hæreo, neque puto quemquam ambigere. Cùm enim hæc ſit prima mali labes, maxima fundi noſtri calamitas, cùm hac peſte, plus quàm alia ulla, hominis animus, *pars divinæ mentis, & hauſtus ætherius*, nativa veluti luce orbetur, veri lumen obnubiletur, Diſciplinæ inficiantur, Religio ipſa corrumpatur, errores denique omnis generis, velut ex perenni fonte deriventur, omninò æquum eſt, eos qui Literis atque Sacris benè eſſe optant, morbi intra venas ſerpentis, ipſaque adeò depaſcentis præcordia, virus arcanum retegere, eique, in ſe ipſis primùm, deinde verò & in aliis, quantùm quidem licet, medelam afferre. Quod dum ago, ampli nimis mali deſcriptionem in pauca contraham; miſſiſque ambagibus omnibus, digitôque ſolùm ad fontes intentô, operam dabo, ut vos plura, quàm à me dicta ſint, intelligatis.

Virg. Georg. Lib. IV.

VERITATIS præſtantia, & amor innatus. Plutarch.

Sacerdotes Ægyptios, anniverſarium agentes convivium, dum mella ficúſque guſtarent, in memorabilia hæc verba, ΓΛΥΚΥ ΑΛΗΘΕΙΑ, DULCE VERITAS, erupiſſe, memoriæ proditum eſt. Non jam quæro, quænam fuerit Myſtagogis illis Veritas; quænam, arcanis Sacerdotum literis, & Hieroglyphicis ſymbolis expreſſa, Vulgo recondita atque *ἀπόῤῥητος*, ſoliſque nota initiatis, Ægyptiorum ſapientia. At quidquid fuerit, dictum ſcitiſſimè; *Suave* profectò *Veritas*, imò melle quovis ſuavior cibus. Nam Veri ſtudio naturâ ducimur; Veri perceptione recreamur. Quod lux oculo, id Veritas menti; Eâ illuſtramur, eâ dirigimur; Eâ, quæcunque nos circumſtant, imò quæcunque Orbem conſtituunt, ſumma, ima, divina, humana, cum ſuis

ſuis omnibus qualitatibus atque effectis, cognoſcimus; Eâ, æqua ab iniquis, honeſta à turpibus, utilia à noxiis, Lydio veluti lapide, ſecernimus; Eâ, per dubia ac incerta vitæ, Ariadneo veluti filo deducimur. Ex Veri ignoratione, culpæ penè omnes, ac miſeriæ; Ex Veri cognitione, ad bona omnia aditus patet. Denique tanta Veri cum mente intercedit cognatio, atque, ut ita dicam, proportio, ut quidquid falſi menti illabitur, id Veri colorem aſſumere, ſpeciem quodammodo mentiri oporteat.

Variæ Errorum cauſæ, præcipua in Affectibus.

Quæ cùm ita ſint, mirari ſubit, unde tanta mentibus caligo; unde, Veri cupidis, ad Verum natis, tam pronus ſit in errores lapſus; imò unde, in maximis etiam ac ſummi momenti rebus, ſæpe verum neutiquam curare, ſæpe à vero abhorrere, ſæpe ad falſa propendere, falſis delectari, falſis adhæreſcere, adeóque nos ipſos quodammodo decipere, deprehendamur. Et horum quidem, Auditores, cauſſa non una adſignari poteſt; Hebes ingenium, fugax memoria, præceps ad temerè judicandum impetus; neſcio quid, ſive corpori, ſive animo adhærens, quô fit ut *læva in parte mamillæ nil ſaliat*; prava inſtitutio, pravi doctores; hauſtæ ab infantia opiniones, aut temerè deinceps arreptæ; otii, opportunitatum, commodorum, ad veri notitiam comparandam, abſentia. Verùm alia longè gravior, alia potentior ac generalior, errorum plerorumque exiſtit cauſſa; Affectuum impotentiam dico; qui, quantoperè à vero abducant, quantas menti nebulas offundant, quicunque in res humanas curioſiùs introſpexerit facilè dignoſcet.

Juven. Satyr. VII.

Affectus naturales, & in ſe non mali; ſed iis abutimur.

Fateor equidem, Auditores, eas commotiones, quas Affectus dicunt, generaliores ſaltem, atque in ſe ipſis ſpectatas, velut noſtrî ipſorum amorem, felicitatis deſiderium, deſiderium adprobationis, amorem eorum quæ ut bona, odium eorum quæ ut mala à nobis conſiderantur, iram, ſpem, metum, gaudium, triſtitiam, & ſi quæ ſunt ejuſdem generis, optimo nobis conſilio à natura inditas eſſe; ut ea quæramus atque amplectamur, quæ naturæ noſtræ conveniunt; ut ea vitemus

mus atque averſemur, quæ ad nocendum ſunt apta; imò ut his velut adminiculis vividiùs ad officia exſequenda excitemur. Unde Stoïci, qui Affectus omnes ex Sapientis animo avulſos exſtirpatóſque voluêre, paria cum eo feciſſe non immeritò inſimulati ſunt, qui, in putandis arboribus, non ligna modò luxuriantia, ſed & lætiſſimas comas ſuccideret; qui, ad vitandam diſſonantiam, omnes lyræ chordas ſcinderet; qui, ad ſanandos corporis morbos, humores omnes ejiceret, totam ſanguinis maſſam effunderet; denique, qui naturam ipſam evertere, hominem homini eripere, vellet: In eo quadantenùs tamen excuſandi, (ſi modò hæc ſit juſta excuſatio) quòd verba tantùm dederint, eámque Affectuum vacuitatem, quam jactabant, nunquam perfecerint. At, ſi in ſe non mali Affectus, ſi à natura inſiti, ſi ad noſtri conſervationem noſtráque commoda comparati ſint, nos miſerè iis abutimur, ſtultè iis nos mancipamus; Cúmque ipſos, juxta Veri leges, temperari oporteat, ipſas Veri & æqui leges eorum arbitrio immutandas, obſcurandas, delendas, permittimus.

Vid. A. Gell. Noct. Att. Lib. XIX. cap. 12.

Scilicèt, Veri ſtudio trahimur; ſed & ſua quemque voluptas trahit;

Sua cuique Deus fit dira cupido.

Unde fiat ut Affectus à Vero abducant. Virg.

Verum amamus; ſed & noſtra quiſque commoda, noſtra ſtudia, noſtra idola deperimus. Verum placet; ſed & placet gloria, placet fama, placet quies, placet rei familiaris conſervatio atque augmentum; placent partium ſtudia; placet amori, odio, iræ, ſpei, timori, indulgere. Quinimò vividior longè horum affectuum eſt impetus; ſiquidem Veri amor ipſam tantùm mentem afficit, eſtque à ſenſibus planè remotus; Affectus circa res ſenſibiles utplurimùm verſantur, ipſúmque cerebrum, cor, nervos, ſanguinem, & vitales ſpiritus, grato quodam modo commovent. Itaque his indulgemus, his ſervimus, his credimus; horum ad vota, horum ad præſcriptum, judicia noſtra componimus. Hinc *plura multò homines judicant* (verba ſunt *Ciceronis*) *odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut ſpe, aut timore, aut aliqua permotione mentis, quàm*

Cicer. de Oratore Lib. 2.

Digitized by Google

quàm veritate, aut juris norma aliqua, ac legibus. Talibus magiſtris, quid mirum, ſi malè inſtituamur? Talibus ducibus, quid mirum, ſi per avia deducamur? Tam fallaci judicandi norma, quis miretur, tot abnormia, tot obſtipa judicia eſſe? Vincti compedibus ambulare nequeunt; Ita nec Affectuum vinculis adſtricti, libero greſſu ad verum procedere. Ægro oculo ac lippienti, ne objecta quidem lucidiſſima apprehendere licet; Ita nec menti ægræ, & Affectuum morbis inquinatæ, aciem ad Veri lumen intendere. *Lurida fiunt, quæcunque tuentur Arquati*; Sic, mirum quomodo Affectuum contagia, morbi cujuſdam regii adinſtar, veros rerum colores mutent, falſâ ſpecie animos deludant. Lucret. Lib. IV.

Nubibus atris
Condita nullum
Fundere poſſunt
Sidera lumen.
Si mare volvens
Turbidus Auſter
Miſceat æſtum,
Vitrea dudùm,
Parque ſerenis
Unda diebus,
Mox, reſoluto
Sordida cæno,
Viſibus obſtat.
Quique vagatur
Montibus altis
Defluus amnis,
Sæpe reſiſtit
Rupe ſoluti
Objice ſaxi.
Tu quoque, ſi vis
Lumine claro
Cernere verum;
Tramite recto

Boëth. 1 Conſ. Phil. Lib. I. fin.

Carpere callem;
Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spémque fugato,
Nec dolor adſit:
Nubila mens eſt,
Vinctaque frænis,
Hæc ubi regnant.

Varii modi, quibus Affectus a Vero abducunt.

Quis verò hic varios modos, quis fraudes innumerabiles, quibus Affectus Veritati nocent, quibus eam intercipiunt, obſcurant, adulterant, oratione perſequi poſſit? Perſæpe obſtant Affectus, ne de Vero ſolùm cogitemus, ne ad illud indagandum nos accingamus. Cùm judicamus de rebus, nos à Vero tranſverſos agunt: Quippe utplurimùm, non ut res ſuadet, ſed ut quiſque eſt affectus, judicat; Quæ affectibus conveniunt, quæ affectibus adblandiuntur, ea veriſſima exiſtimantur. Denique, ſi quaodo verum illuxerit, illud repellunt, illud præfocant; neque, à vero ſemel averſos, perſuaderi, niſi ſumma, ac penè inſuperabili, cum difficultate, patiuntur. Cernuntur hæc in communi vita; Cernuntur & in Diſciplinis; In Philoſophicis, in Hiſtoricis, in Jure, in Sacris potiſſimùm: Quibus omnibus, quantam caliginem, quantas tenebras inferant Affectus, prædicari ſatis non poteſt. Iis indocti obnoxii ſunt; iis Docti præpediuntur. Nulla ætas, nullum vitæ genus, nulla Diſciplina, iis vacat. Ubique regnant Affectus; Ubique Vero bellum indicunt. Verùm hæc diſtinctiùs ſunt enarranda.

I.

Ne Verum quæratur, obſtant

I. DESIDIA.

Et primò quidem, quòd pars longè maxima ne de Vero quidem cogitet, quíque ad illud adſpirant, non eo tamen animo, non ea diligentia, non ea conſtantia, qua par eſt, ferantur, facit ille, ſpecie quidem debilis, ſed potentiſſimus re verâ, & latè dominans affectus, *improba Siren* DESIDIA, laboris impatientia, torpor ille ingeniorum, quô Mortales penè omnes, etiam Literati, velut ferreis quibuſdam vinculis conſtringuntur.

guntur. Enimverò magnum laborem plerumque poſtulat Veri indagatio. Multa inquirenda, multa tentanda, multa é tenebris eruenda ſunt. Modò longa ratiociniorum deductione ac ſerie, modò aſſiduis experimentis, modò ſedula Veterum lectione, modò operoſa monumentorum Hiſtoricorum collatione, rerum latebræ dimovendæ, atque ad Veri fontes penetrandum. Terrent illa deſides animos, qui dant nomen Literis, ſed nomen tantùm. Malunt otio turpi ſegneſcere, malunt quod primum cunque occurrerit ſine examine admittere, malunt in temerè ſuſceptis ſecurè acquieſcere, quàm laborioſo illi Veri ſcrutinio operam dare.

II. Plerque Affectus, AVARITIA, AMBITIO, &c. ſatis otii non concedunt ut Verum quæratur.

Verùm non inertia ſolùm, ſed & alii paſſim Affectus, præſcriptaque ab illis negotia, ſatis otii, ſatis libertatis, non concedunt, ut Verum quæratur. Alium inſatiabilis tenet avaritia. Alium defatigat ex alienis judiciis ſuſpenſa ſemper ambitio. Sunt quos voluptatum illecebræ capiunt. Penè omnes habet in ſupervacuis operoſa ſedulitas. Circumſtant vitia undique; totum hominem ſibi vendicant; cupiditatibus infixum, ac veluti immerſum tenent; neque in diſpectum Veri attollere oculos ſinunt. Magna & ſpatioſa res eſt Sapientia; vacuo illi homine opus eſt. De divinis humaniſque, de præteritis, de futuris, de caducis, de æternis, agitur; ad quæ, tam multa, tam magna, homini Affectuum curis diſtracto ac defatigato ſatis non vacat.

Senec. de brev. vitæ, cap. 2.
Senec. Ep. 88.

III. Qui Affectibus ſerviunt, ſunt ingenio & moribus, à Veri ſtudio alienis.

Quid, quòd Affectus aliam planè mentem, aliud ingenium, alios mores indunt, quàm quæ ad Veri ſtudium indaginémque requiruntur. Etenim, qui ſerviunt Affectibus, extra ſe veluti habitant, vagi huc illuc circumferuntur, nonniſi rebus corporeis ac ſenſibilibus afficiuntur; adeóque in ſe deſcendere, mentem à ſenſibus avocare, ſeriò de rebus meditari, ſeriò ad res attendere, neſciunt. Obſtrepunt Affectuum tumultus; quos inter, vox Veritatis, quæ placidam & attentam mentem poſtulat, vix ac ne vix quidem audiri poteſt. His adde quòd, ad opes dignitateſque comparandas, plerumque nihil juvat, ſæpe etiam plurimùm obeſt, Veri ſtudium atque notitia. Adhæc, quis

Vid. Recherche de la Verite Liv. IV. ch. 9.

quis neſcit, celſo loco poſitis, vel ad alta adſpirantibus, hoc inter alia mali ineſſe, quòd ſibi placeant, ſibi plaudant, ſcire omnia ſibi videantur, neque à vilioris ſortis hominibus ſe quidquam accipere poſſe exiſtiment. Accedit & alia peſtis, iſtis hominibus adhærere ſolita, & Vero etiam inimiciſſima; Adulantium turbam intelligo, qui; ut Gnatho ille apud Comicum, *eis ultrò arrident*, eorum *ingenia admirantur*; *quicquid dicunt*, *laudant*; *ſi negent*, *laudant id quoque*; qui eorum *iterant voces*, & *verba cadentia tollunt*. Verbô, nihil eſt iſtis in hominibus, quod non eos à Vero abducat; Ingenium aliò planè verſum; conatus omnes aliò tendentes; colloquia, laudes, vituperia, quibus eorum aures perſonant, aliorsùm ſpectantia: Ut Veri cupidinem, imò & Veri ſenſum, penè extinctum in illis eſſe, nullatenùs mirum videatur.

Terent. in Eunuch.

II. Inter eos verò Affectus, qui in judiciis plurimùm obſunt, qui Veri aditum maximè occludunt, numeranda eſt nimia eorum, quos, vel duces nacti ſumus, vel elegimus, ADMIRATIO; nimia, ſive Majorum, ſive Doctorum ac Præceptorum quorumvis, REVERENTIA; Etenim, ut ſcitè Tullius, *obeſt plerumque iis qui diſcere volunt*, *auctoritas eorum qui ſe docere profitentur*; *Deſinunt enim ſuum judicium adhibere*; *Id habent ratum*, *quod ab eo quem probant judicatum vident*. Non aliunde quàm ex cæca illa Majorum reverentia, tanta Ethnicorum Sacris dignatio, tam diuturnus honos conſtitit; apud quos, Majoribus credere, etiam nullâ ratione redditâ, rationis eſſe credebatur; ſcelus verò, in religiones à parentibus traditas inquirere.

In judiciis obſunt I. Nimia quorundam Doctorum ADMIRATIO *ac* REVERENTIA. Cicer. de Natur. Deor. Lib. I. init.

Sic obſervatio crevit,
Ex atavis quondam malè cœpta, deinde ſecutis
Tradita temporibus, ſeriſque nepotibus aucta;
Traxerunt longam corda inconſulta catenam;
Móſque tenebroſus vitioſa in Sæcula fluxit.

Prudent. in Symm. Lib. I.

De *Pythagoræ* diſcipulis proditum, tantùm apud eos præjudicatam

Cicer. de Nat. Deor. Lib. I.

catam opinionem potuiſſe, ut etiam ſine ratione valeret auctoritas; Cúmque ab ipſis quæreretur, cur aliquid affirmarent, nil aliud quàm αὐτὸς ἔφα, *Ipſe dixit*, reſpondiſſe. Et quis neſcit quàm immodica, tum *Platoni*, tum *Ariſtoteli*, habita ſit reverentia? *Platonem*, non hominis ingenio, ſed quodam veluti oraculo inſtinctum dixêre; Aiebant, ſe cum eo errare malle, quàm cum aliis bene ſentire; utque rationem afferret nullam (videte quid homini tribuerent) vel ſola ejus auctoritate frangebantur. *Ariſtotelem* naturæ genium, notarium naturæ vocârunt, cui natura ipſa ſcribenda dictaverit; cujus inventis ne ipſa quidem diſſentiat natura; Chriſti præcurſorem in naturalibus, quod Johannes Baptiſta fuit in gratuitis; finem humani intellectûs; ultimæ perfectionis humanæ exemplar; datum divinâ providentiâ, ut ſciretur quicquid poteſt ſciri. Sed in primis Chriſti Diſciplinæ, quis ignorat quantùm nocuerit, tum Philoſophorum illorum, tum Chriſtianorum quorundam Doctorum, *Origenis* v. g., aliorumque quorum ſileo nomen, immodica admiratio, malè ſana reverentia? quorum ſomnia propagata, errores conſecrati, placita quodammodo in legem verſa. Hinc illi tituli, *Veteres Patres*, *Eccleſiæ lumina*, *os aureum Antiquitatis*, *ſummus Hipponenſium Præſul*, *Magnus Gregorius*, *Magnus Baſilius*, non ſine oris ac pulmonum inflatione unquam prolata. Exin illi de Schola Doctores, cum ſuis illis ſplendidis nominibus; *Magiſtri Sententiarum*, *Doctores Angelici*, *Seraphici*, *Subtiles*, *Acuti*, *Reſoluti*, *ſolidi*, *copioſi*, *authorati*, *fundatiſſimi*, & quid non ejuſdem furfuris? quorum reverentia immane quantam, túm Chriſtianæ rei, tum bonæ menti, perniciem attulit. Quibus exemplis utinam tandem ſapientiores facti, non plus hodie quàm par eſt hominibus tribueremus; nemo *Lutheri*, nemo *Calvini*, nemo *Molinæ*, nemo *Janſenii*, nemo *Carteſii*, nemo *Cocceïi*, nemo cujuſcunque humani Doctoris, nomine & familia cenſeri vellet; ſed omnes *Chriſti Diſcipuli*, *Veri aſſeclæ*, nuncuparemur!

Quint. Inſt. Lib. X. cap. 1.

Cicer. Tuſcul. Lib. I.

Suid. in *Ariſtot.*

Macrob.

Agrip. de vanit. Scient.

II. Superbia.

Quòd ſi verò aliis nimiùm credere, ita & de ſe ipſo magnificè nimis ſentire, (quem affectum Superbiam vocant) dici

dici non poteſt, Vero indagando atque eruendo quantoperè noceat. Hinc non quæritur à pleriſque, in ſe ipſo quid veriſſimum, ſed, quid philautiæ demulcendæ, quid nomini propagando, quid inani gloriæ aucupandæ, aptiſſimum. Hinc, capita partium fieri, alios de nomine ſuo appellare, tot viris, doctis pariter atque indoctis, ſuave viſum: velut *Antiocho* illi, de quo Tullius, qui à veteribus Academicis hac ſpe ferebatur deſciviſſe, *fore ut ii qui ſe ſequerentur*, *Antiochii vocarentur*; Quæ quidem inanis jactantia, quanta, non dicam inter Literatos, atque in Reipublicæ adminiſtratione, ſed & in Eccleſia, mala pepererit, & quot viros, aliàs non illaudatos, à Veri ſemita abduxerit, ſatis pro merito defleri non poteſt. Hinc audax ille ac ſuperbiſſimus Religionis omnis contemptus, quô tantoperè ſibi placent, de quo tantoperè ſibi gratulantur, illi verè inſanientis ſapientiæ conſulti; Quô

Cicer. Acad. Quæſt. Lib. II.

Relligio pedibus ſubjecta viciſſim
Obteritur;

Lucret. Lib. II.

eóſque, ſi modò fides ipſis habeatur,

exæquat victoria cœlo;

Quô, *fortia* illa (ſic ſe ipſi dicunt) ſed re verâ impotentiſſima ſtupidiſſimáque *ingenia*, ſe in arce quadam veluti collocant,

Ibid.

Deſpicere unde queant alios, paſſimque videre
Errare, atque viam palantes quærere vitæ.

Hinc in omni rerum genere, univerſiſque Diſciplinis, pudor neſciendi, famæ aviditas, eruditionis affectatio, de rebus nondum ſatis perſpectis, tot præpropera, falſa, incerta, temeraria, parit judicia: Plurimi quippe, antequam ſint, eruditi videri volunt; Doctores eſſe ambiunt, antequam fuerint diſcipuli; *cruda ſtudia*, in Eccleſias, in Academias, *in forum*, *propellunt*; Cúmque *vera indagare pigeat*, *ignorantiæ pudore mentiri non piget*, prout eleganter Plinius. Hinc, in excolendis Scientiis, longè plurimi, non vera, non utilia, non ad vitam comparata, quærunt, ſed mira, ſed ſplendida, ſed extra ordinem poſita, quibus *commendationem parent*, *& lectores aliud acturos*,

Petron. Satyr.

Plin. Hiſt. Nat. Lib. V. cap. 1.

Sen. Nat. Quæſt. Lib. VII. cap. 16.

ſi

ſi per quotidiana ducerentur, miraculo excitent, quod de Hiſtoricis ſpeciatim Seneca; πολλῶν γραμμάτων τιμῶντες καπνούς, *literarum æſtimantes fumos*: Diſciplinas ſuas, *non vitæ legem*, non veritatis cynoſuram, *ſed oſtentationem ſcientiæ reputantes*, quod Philoſophis ſui temporis exprobrabat Tullius. Hinc *Dogmatiſtarum* illa turba, qui omnia nôrunt ſcilicet, de omnibus pronuntiant; quibus nihil obſcurum, nihil clauſum, nihil impervium; qui nihil tam verentur, quàm ne dubitare aliqua de re videantur; quibus magis cordi eſt, non dubitare, quàm non errare; Quô quidem hominum genere nihil inter Literatos crebrius. Atque hinc etiam Sophiſtica illa, non jam dicam diſputandi, ſed mentiendi, cavillandi, vero illudendi, Diſciplina; quâ non veritas, ſed victoria quæritur; quæ facit ut quis habeat, quod pronuntiet, non quod ſentiat, & quomodo ſe expedire affirmando, aut negando, non quomodò ſibi aut aliis ſatisfacere poſſit; quæ, loco rerum ac rationum, inania vocum portenta ſubjicit; quæ, nunquam confidentiùs, nunquam efferatiùs clamare docet, quàm ubi ratio maximè deficit; quæ, ſi quando premat Adverſarius, fucos facit, caliginem excitat, cujus ope ſe poſſit eripere;

Eurip. in Hippol. Cicer. Tuſc. 2. Cicer. de Nat. Deor. Lib. I. Baco de Verul.

Faucibus ingentem fumum, mirabile dictu,
Evomit, invo'vítque domum caligine cæca,
Proſpectum eripiens oculis.

Virg. Æneid. Lib. 8. de Caco.

Denique, ſi dixero, errorum, hæreſium, diſputationum, Schiſmatum, Anathematum, Perſecutionum, quibus Veritas oppugnata, imò ſæpiſſimè penè oppreſſa eſt, matrem fœcundam Superbiam fuiſſe, equidem non verear, apud æquos judices, ne in falſi notam incurram. Cenſetis fortè, de hoc vel illo eruditionis apice, de hoc vel illo Scripturæ textu, de hoc vel illo Religionis capite, de his vel illis ritibus, de hoc vel illo Eccleſiæ regimine, denique de Sacrorum juribus, de Dei gloria, de ſalute hominum, tanto æſtu diſputatum, tantas tragœdias excitatas eſſe. Erratis; non hic erat, qui videbatur, quæſtionis ſtatus. Actum inter Doctores illos, uter doctior, uter acutior, uter diſertior, uter celebrior, uter gratia apud Prin-

Principem, apud plebem auctoritate, diſcipulis, clientibus, fautoribus, alteri præſtaret. Quæſtio inter Eccleſias illas, utra in conflictu vinceret, utra leges alteri ferret, utra, ſua placita, ſuos ritus, ſuum regimen, alteri imponeret: Ut pateat, uni ſuperbiæ, (ſi ad veram rerum cauſſam adſurgamus) non veritati, non juſtitiæ, non Dei gloriæ, litatum eſſe.

III. PRIVATUM COMMODUM.

Quid verò dicam, AUDITORES, de malè ſano, ſed vulgatiſſimo, imò penè univerſali, ad *privata commoda* reſpectu; quô, ut fides violatur, juſtitia poſthabetur, virtus omnis pedibus ſubjicitur, ita & veritati immane quantùm nocumenti affertur. Nec enim id lubenter admittitur, quod commodis adverſatur;

Ovid. Ep. Phill. ad Dem.

tardè, quæ credita lædunt,
Credimus.

Contrà, id facilè perſuadetur, quô ad opes, ad dignitates, ad alia utilia, aditus patet. Agitur-ne de rebus Politicis, prælíis, obſidionibus, unius partis cladibus, alterius victoriis; quis ignorat de his unumquemque, prout ſua refert, judicare? Si quis rumor diſſeminetur, ii quorum intereſt, puerili propè credulitate, eum arripiunt; ſi negaveris, excandeſcunt; quinimò ingentes deponunt pecunias, amiſſuri, niſi certô tempore, hic vel ille, ſibi utilis, ſibi gratus eventus contigerit. *Impellit alios avaritia, alios iracundia, & temeritas, ut levem auditionem habeant pro re comperta*, quemadmodum de Æduis falſo nuntio deceptis Cæſar. Forum petite; litigantes cernite: Mirum quomodo unaquæque pars proprias rationes invictas exiſtimet, adverſæ partis firmamenta ſibilo excipiat atque aſpernetur; contraria ſenſuris utriſque (quod & nonnunquam videre eſt) ſi perſonas commutaverint. Verùm, AUDITORES, ſi morbus ille ad res hujus vitæ tantùm ſpectaret, ridendus, noxius eſſet profectò, at non ita exitialis: Sed, quod peſſimum, ad Sacra pertingit; quorum lumen obſcuratum, veritas in dubium vocata, ſinceritas adulterata, dum de illis, non ex veritate, ſed ex privatis cujuſque rationibus, judicatur. Enimverò,

Cæſ. de Bel. Gall. Lib. VII. cap. 42.

Digitized by Google

verò, ſi ad ipſa ſurgimus Chriſtianæ rei primordia, rejecti Chriſti à multis, impugnatæ ejus doctrinæ, inter tot támque illuſtria, quibus firmabatur, argumenta, quam cenſetis cauſſam fuiſſe? Cauſſa præcipua, mihi credite, fuit quòd nollent ei doctrinæ fidem accommodare, quæ cum privatis eorum commodis, opibus, dignitatibus, adverſa veluti fronte pugnabat, quæ ipſorum vitiis, avaritiæ, libidini, ambitioni adverſabatur. Id Chriſtus, id Apoſtoli, Sacris in literis paſſim teſtantur; ſed & audiatur hac de re Lactantius: *Hæc noſtra*, inquit, *quæ* Lactant.
tradimus, pravæ vitioſæque mentes, aut omninò non intelligent, Inſt. Lib. VII. cap.
(hebetatur enim acies eorum terrenis cupiditatibus, quæ ſenſus 1.
omnes gravant, imbecilléſque reddunt) aut etiam ſi intelligent, diſſimulabunt tamen, & hæc vera eſſe nolent, quia trahuntur à vitiis, & ſcientes malis ſuis favent, quorum ſuavitate capiuntur, & virtutis viam deſerunt, cujus acerbitate offenduntur. Nam, addit, *qui avaritia & opum inexplebili quadam ſiti flagrant, quia non poſſunt, venditis aut dilargitis quæ amant, tenui cultu vitam degere, ſine dubio malunt id eſſe fictum, quo deſideriis ſuis renuntiare coguntur. Item, qui libidinum ſtimulis incitati (ut ait poëta) in furias ignemque ruunt, utique incredibilia nos afferre dicunt, quia vulnerant aures eorum præcepta continentiæ, quæ illos à voluptatibus ſuis prohibent, quibus animam ſuam cum corpore adjudicaverunt. Qui verò ambitione inflati, aut amore potentiæ inflammati, omne ſtudium ſuum ad honores acquirendos contulerunt, nec ſi Solem quidem ipſum geſtemus in manibus, fidem commodabunt ei doctrinæ, quæ illos jubet, omni potentia & honore contempto, humiles vivere, atque ita humiles, ut & accipere injuriam poſſint, & referre nolint, ſi acceperint. Ii ſunt homines, qui contra veritatem clauſis oculis quoquo modo latrant.* Hæc Lactantius, quæ ut in illorum, ſic & in omnium temporum incredulos pariter cadunt.

Jam, ſi in adulterati Chriſtianiſmi cauſſas inquirimus, quanta labes, ex turpi lucro, ex privati commodi ratione, fluxiſſe deprehenditur? Quot Doctores, ut jam Pauli tempore, 1. Tim.
pietatem quæſtum ducentes, ſua quærentes non quæ ſunt Chriſti? VI. 5. Philip. II. 21.

Digitized by Google

Naziani. Carm. de vita ſua. verè χριστέμποροι, *Chriſti Mercatores*, quod de multis ſuo ævo Nazianzenus. Quot, de igne purgatorio, redeuntibus defunctorum animis, reliquiis, imaginibus, factis ad certa loca Miraculis, Pontificum juribus, Eccleſiarum dignitatibus, Cœnobiorum privilegiis, cuſæ fabulæ ac venditatæ? cur? quòd hæc ſcilicet πρὸς τὰ ἄλφιτα, quòd Pontificio decori & culinæ famularentur.

IV. AMOR, ODIUM, FAVOR, IRA, INVIDIA, ZELOTYPIA. AMORE, ODIO, FAVORE, IRA, INVIDIA, ZELOTYPIA, ſæpiſſimè judicare homines, illáque judicia utplurimùm quammaximè à vero abludere, notius eſt quàm ut operoſa confirmatione indigeat. Etenim, quem amant, cui favent, vulgò eum in pretio habent, eum rectè ſentire exiſtimant, ab eo facilè perſuadentur; ſi quid labis, ſi quid erroris, ſi quid vitii, ipſi adhæſerit, aut non vident, aut diſſimulant. Contrà, quem oderunt, cui irati ſunt, quem invidis oculis adſpiciunt, ei plerumque iniquos ſe præbent, ab ejus placitis abhorrent, eum damnant & inauditum, rationes ejus nullatenùs expendunt, vel, ſi expendant, parùm æqua lance utuntur; optant eum errare, eum in culpa eſſe, adeóque facilè ſibi perſuadent. Quos ames, ii ſancti, pii, orthodoxi, imò infallibiles. Quos averſeris, hæretici, ſchiſmatici, blaſphemi, athei, pronuntiantur; prout Chriſtus, & primi Chriſtiani, & viri pii omnium temporum, nimio plus experti ſunt. Προσπάθεια μὲν οὐκ ὀξυδερκεῖ, ἀντιπάθεια δὲ ὅλως οὐκ ὁρᾷ. *Favor præpoſterus acutum non cernit;*
Iſid. Pelus. Lib. I. Epiſt. 310. ad Cyril. *odium nihil prorsùs videt*; prout ad *Cyrillum* Alexandrinum, iræ aliquantò vividioris hominem, ut vel ex Concilio Epheſino patuit, ſcribebat *Iſidorus*.

Replicate memoriam Annalium; Hæreſes, Schiſmata celeberrima, ab origine uſque repetite. Multa, ex privatis odiis, ex privata inter Antiſtites æmulatione, invidia, vindictæ cupi-
Tertul. adv. Valentin. cap. 4. dine, nata cernetis. Sic *Valentinus*, ob alium ſibi, *ex Martyrii prærogativa*, in Epiſcopatu prælatum, non ab Eccleſia modò ſeceſſiſſe, ſed & Martyrii neceſſitatem impugnaſſe per-
Epiphan. in hær. Marcion. hibetur. Sic *Marcion* à patre Epiſcopo, ob illatum virgini ſtuprum, ab Eccleſia ejectus, atque à Clero Romano, dum recipi

Digitized by Google

cipi vellet, repulſam paſſus, irâ percitus, unà cum *Cerdone*, hæreſeos caput exſtitit. Sic Schiſma *Donatiſticum*, quô tam diu diſtracta Eccleſia, quod tot rixis, tot tumultibus, tot cædibus, anſam præbuit, unde, niſi ex privatis in *Cæcilianum* odiis, tum *Botri* & *Cæleſii*, quibus ille fuerat prælatus, tum *Seniorum* quorundam, à quibus repetierat vaſa Eccleſiæ, tum *Lucillæ* potentis, dicam, an impotentis fœminæ, quæ ſe ab illo reprehenſam ægrè ferebat? Sic longa illa diſſidia, de *Origene* pridem mortuo, & *tribus Capitulis*, quibus tota Sæculi VI. Eccleſia tantoperè conturbata eſt, unde, niſi ex æmulatione, inter *Pelagium* Diaconum Romanum, & *Theodorum* Epiſcopum Cæſareenſem? Pelagiô, in Theodori odium, Origenis placita damnari curante; Theodorô vice verſâ. ut de Pelagio ultionem ſumeret, tribus Capitulis dicam ſcribente: Unde ingenuè Theodorus, *ſe & Pelagium vivos incendendos, per quos hoc ſcandalum in mundum introivit, clamitaſſe* fertur.

Optat. de Schiſm. Donat. Lib. I.

Liberat. Breviar. cap. 24. Tom. V. Concil. col. 779.

Et quis neſcit, Imperatores, prout ipſis, vel grati erant, vel exoſi Doctores quidam, illicò eorum placita, vel probâſſe, vel rejeciſſe; eos, orthodoxiæ titulo, vel hæreſeos nota, ſignâſſe; adeóque, ut illorum partes, vel prævalerent in Eccleſia, vel deprimerentur, operam dediſſe? Cujus rei exempla innumera, tum in Eccleſiæ Veteris Annalibus, tum in recentis memoriæ rebus geſtis, paſſim videre eſt. Denique, quoties contigit, ut, irâ quâdam ac indignatione, vel minimis ex cauſſis conceptâ, quædam in Sacris partes deſertæ, contrariæ verò electæ ſint? Velut ab illo *Hoquincurtio*, (quidni enim ſeria jocis miſceamus?) qui cùm unum ex familiaribus, ignobili tabeſcentem febre, digniori fato extinctum vellet, ſcloperô cum in finem ejus capiti admotô, ictum verò maleferiatus quidam Jeſuïta avertiſſet, indignabundus in *Janſeniſtarum* caſtra conceſſit; Pòſt, cùm delicatulum quendam é Janſeniſtis Abbatem, ad amaſiæ ſuæ limina importunè adſiduum ſæpiuſculè offenderet, à Janſeniſtis ad *Jeſuïtarum* partes deflexit.

S. Evrem. Converſ. du Marec. d'Hoquin. avec le P. Canaye.

Verùm, Auditores, ſi privatus amor, ſi privata odia à vero abducunt, quantò magis, ubi illa publica, & publicæ cauſ-

V. Partium Studia.

cauſſæ famulantia, quæ PARTIUM STUDIA vocantur? quibus addicti, neque verum curant; nec ſi curent, facilè dignoſcunt; neque ſi fortè illuxerit, ſatis liberi ſunt ut amplectantur. Scilicet, ſtatim ac aliquis, cuidam Sectæ, cuidam ordini, cuidam ſodalitio nomen dedit, ei protinùs ſeſe mancipat; omnia ejus placita adoptat; omnia ejus commoda, ſtudia, cogitata, ſua facit. In ea quam tuetur parte, nullus eſt error, nulla injuſtitia; nulla opinio præjudicata, nullum partium ſtudium; rectè omnia, atque ut decet, ibi peraguntur: Ab adverſa parte, nil niſi errores, nil niſi præjudicia, nil niſi cæcum partium ſtudium.

Horat. Epiſt. Lib. II. Ep. 1.

Nil intra eſt oleam, nil extra eſt in nuce duri.

Sic vivitur, ſic ſcribitur, ſic judicatur ab omnibus: Quíque ab hoc morbo ſit liber, inter Literatos, Myſtas cumprimis, is profectò rara avis alboque ſimillima corvo videatur. Ac re verâ, unde fit, quæſo, ut, de certis doctrinæ capitibus, omnes unìus partis Doctores certo modo ſentiant, omnes alterìus partis contrarium tueantur? ut, una in regione, aliquid pro veriſſimo; ſi cœlum tantiſper mutaveris, idem pro falſiſſimo, ab omnibus habeatur? ut in una inſtituti Academia aut Societate, aliter ſentiant quàm omnes in alia educati? ut res etiam abſurdiſſimæ, res evidentem ac palpabilem involventes repugnantiam, ab integris cœtibus, à Gentibus plurimis, à viris doctis, acutis, omni literarum genere excultis, non ſemel atque iterùm, ſed per plura Sæcula, non uno tantùm in loco, ſed per totam propè Europam, aſſerantur ac propugnentur? Dicat aliquis, unde hæc procedant? an ex naturali mentium diſcrimine? an ex corporum temperamento? an ex cerebro? an ex ſanguine? an ex Sole? an ex cibis? an ex varia aëris temperie? Nihil horum, AUDITORES; Una cauſſa mirorum illorum, ſed frequentiſſimorum tamen Phænomenon, in partium ſtudiis quærenda.

Hiſtoriam, veritatis lucem, facem temporum, Veteres dixêre. At quàm ſæpe, per partium ſtudia, meras in tenebras lux illa verſa eſt? Rari Hiſtorici, qui ſe *ſine ira & ſtudio* ſcripſiſſe, cum *Tacito* profiteri queânt. Rari *Ammiani*, de quibus dubium, quas in Sacris partes ſecuti ſint. Rari *Thuani*, qui, ſuo-

Tacit. Annal. Lib. I.

rum

rum temporum poſthabitis factionibus, veritati unicè litaverint, poſteritati unicè ſcripſerint. Pleríque, ſive patriæ, ſive familiæ, ſive amicis, ſive Principibus atque Magnatibus, ſive propriæ in Sacris ſectæ, ita favent, ita addicti ſunt, ut ad hanc regulam omnia componant. Quo quidem vitio Eccleſiæ Annales potiſſimùm laborare, cæcus eſt qui non videat; in quibus, pro cujuſque ſtudiis, Grot. de Exercit. Caſaub. in Baron.

Alma, licèt nolit, teſtis tamen eſſe Vetuſtas
Cogitur, & contra ſe facit ipſa fidem.

Sic purpuratum illum Annaliſtam, res Eccleſiæ conſcribere viſum, *Commentarios* potiùs *de poteſtate Papæ* ſcripſiſſe, haud immeritò aïebat *Pithœus*; adeò omnia ſervire nata, & Tiberini Pontificis arbitrio famulantia: Grot. ibid.

Annales docti nimiùm ſervire Baronî
Qui legis, & Romæ quale probatur opus;
Credere ne propera; multo vigilata labore
Pagina; ſed nutu ſub dominantis erat.
Auctoramentum non eſt leve Purpura: pridem
Pontifices verum non didicêre pati.

Quinimò eò uſque valent apud illos Partium ſtudia, ut quantâcunque ferantur in Concilia veneratione, *ea demùm Concilia & Edicta* pro veris agnoſcere velint, *quæ in rem ſuam faciunt*; *reliqua non pluris æſtiment, quàm conventus mulierculurum in textrina vel thermis*; prout vir illius Eccleſiæ doctiſſimus, ſed & candidiſſimus, *Ludovicus Vives* teſtatur. Lud. Vives in Auguſt. de Civ. Dei Lib. XX. cap. 26.

O partium ſtudia, hoſtes veritatis, Diſciplinarum corruptela, Hiſtoriæ tenebræ, Sacrorum peſtis, inimici Juſtitiæ, Pacis turbatores; irarum, æmulationum, convitiorum, rixarum, parentes; Hæreſium, Schiſmatum, Perſecutionum omnis generis, fomites ac inſtigatores; quibus debetur quicquid caliginis, quicquid tumultuum, Eccleſia unquam experta eſt; quibus vos diris devovebimus? quibus vos piaculis ab oris noſtris avertemus? imò quibus votis, quibus ſuſpiriis, à Cœlo impetrabimus, ut à tota Chriſti Eccleſia, quam vos fœdè contaminatis, quam vos miſerè diſcerpitis, atque in propria viſcera armatis, exſulare tandem cogamini?

Digitized by Google

VI. CONTENDENDI LIBIDO.

Et quis neſcit, CONTENDENDI ANIMO, *ἀμετρίᾳ τῆς ἀνθολκῆς*, (qui eſt ſtudii partium ramus) quàm graviter ſæpe erratum ſit? dum id unum in votis fuit, ut adverſarii carperentur, ut iis invidia conflaretur, ut ab eorum placitis quàm longiſſimè recederetur; dum ea negata inter diſputandum, quæ negari nullatenùs decuit, quæque nunquam negata eſſent, niſi ab Adverſario eſſent prolata; dum denique, non quid verum eſſet, ſed quid cauſſæ ſerviret, quæſitum: Quo quidem ex fonte, Controverſiæ Sacræ quantoperè auctæ ſint, quot adventitiæ quæſtiones natæ, quot logomachiæ creatæ, quot errores erroribus additi, nôrunt quicunque in Theologicis, & Eccleſiæ Antiquitatibus, non omninò ſunt peregrini. Unum exemplum, ſed in paucis nobile, in præſentia referre juvat. Scilicèt, cum de Imaginibus, mediô Sæculô VIII., inter Græcam Eccleſiam & Romanam, diſceptaretur, Synodus Conſtantinopolitana an. 754. habita, inter alia adverſus Imagines, dixerat Chriſtum Servatorem unam nobis ſui imaginem, in Euchariſtia nempe, reliquiſſe. Quid verò ad hæc Nicæni Patres? Negant quod nunquam negatum fuerat; Negant, Euchariſtiam corporis Chriſti *imaginem* eſſe, ſed *ipſum corpus & ipſum ſanguinem.* Sic abyſſus abyſſum vocat; Sic error errorem trahit; cæterùm, apta ſatis compage, neque aliis convenientioribus abſurdiſſimi dogmatis cunis, quàm ſi in ſubſidium ineptiſſimæ devotionis procuderetur.

Tom. VII. Concil. Gen. col. 445. 446.

Ibid. col. 447. 448.

VII. DESIDERIUM, SPES, TIMOR, GAUDIUM, TRISTITIA.

Porrò & aliis quoque Affectibus, DESIDERIO, SPEI, TIMORI, GAUDIO, TRISTITIÆ, non una decipula ineſt, non una in his omnibus errandi anſa. Alii, quod optant, quô gaudent, adducuntur facilè ut credant. *Quæ volumus, & credimus libenter*, ait Cæſar; *& quæ ſentimus ipſi, reliquos ſentire ſperamus.*

Quodque cupit, ſperat; ſuaque illum oracula fallunt,

inquit de Apolline ipſo Ovidius. Alii dejecto magis animo, ea quæ timent credendo anticipant, iiſque temerè ſæpe cruciantur.

Peſſimus in dubiis augur timor, ait Statius.

Quod nimis miſeri volunt,

Hoc facilè credunt, inquit Seneca. *Imò quod metuunt nimis*,

Cæſar de Bel. Civ. Lib. II. cap. 27.

Ovid. Metam. Lib. I.

Stat. Theb. 3.

Senec. in Herc. fur.

Nun-

Nunquam amoveri poſſe, nec tolli putant.

Prona eſt timori ſemper in pejus fides.

Atque hinc in publicis calamitatibus, bellis, obſidionibus, cladibus omnibus atque periculis, tot vel leviſſimi rumores arrepti, tanta credulitas circa Prodigia. *Plura & majora*, ait Cicero, *videntur timentibus; eadem non tam animadvertuntur in pace: In metu & periculo, cùm creduntur faciliùs, tum finguntur impuniùs. Alios*, ait Seneca Philoſophus, *citò timor ſibi reddit; alios vehementiùs perturbat, & in dementiam transfert. Inde inter bella erravêre lymphatici: nec uſquam plura exempla vaticinantium invenies, quàm ubi formido mentes religione mixta percuſſit.* Cujus rei, cùm aliàs ſæpe, tum in *Cebennatum* montibus ac ſylvis, non ita pridem viſa ſunt exempla.

Cicer. de Divin. Lib. II.

Sen Nat. Quæſt. Lib. VI. cap. 29.

VIII. Veri amor præpoſterus.

Addo mirum, addo incredibile, cui vereor ut fidem impetrem. Inter affectus qui Vero nocent, nullus fortaſſe magis nocet quàm Veri amor, ſed Veri amor præpoſterus, ſed Veri amor quô propria placita ita cum Vero confunduntur, ut, Verum amare, illa amare ſit; ipſique adeò Veritas, utut certiſſimis ac evidentiſſimis ſeſe demonſtrans argumentis, ſi à ſuſceptis opinionibus diſſentiat, rejiciatur. Sic eſt profectò, Auditores; *Sic* vulgò *amatur Veritas, ut quicunque aliud amant, hoc quod amant velint eſſe veritatem; & quia falli nolunt, nolunt convinci quòd falſi ſint; Itaque propter eam rem oderunt veritatem, quam pro veritate amant*, prout ſcitiſſimè Auguſtinus. Ac ſanè, quid genuino Veri ſtudio magis contrarium, quàm ille Veri amor *cæcus*, quô vel ſtolidiſſima placita nullo examine admittuntur; ſemel ſuſcepta, in ſacratiſſima Veritatis jura involant, certiſſimæ Veritatis in modum coluntur? quàm ille Veri amor *mendax*, ex quo tot piæ fraudes (impias lubentiùs dixerim) tot Libri ſuppoſititii, vel datâ operâ adulterati, tot fabulæ omnis generis, ad Veri (ſic illi putant) firmamentum comparatæ? quaſi ſcilicet Veritas mendacii fulcris indigeret: quàm ille Veri amor *varius*, pro temporum ac locorum varietate? nam aliud Verum hoc loco & tempore, aliud illo habetur & colitur; cùm tamen Veri amor idem ubique eſſe debeat, conſtans nempe voluntas, quodcunque

August. Confeſſ. Lib. X. cap. 23.

Digitized by Google

cunque verum demonſtrabitur apparebitque, amplectendi: quàm ille Veri amor *tumidus*, quô qui aguntur, *nil rectum*, *niſi quod placuit ſibi*, *ducunt?* quàm ille Veri amor *indocilis*, & monitorum impatiens, quô malunt eam ſententiam, quam ſemel adamaverunt, pugnaciſſimè defendere, quàm, quid conſtantiſſimè dicatur, exquirere; quæque *imberbes didicêre*, nolunt *ſenes perdenda fateri?* quàm ille Veri amor *ferox*, *tyrannicus*, *inhumanus*, quô non errores modò, ſed & errantes odio habentur; quô vel leviſſimè à receptis placitis diſſentientes Orco addicuntur; quô in hominum cogitata imperium uſurpatur; quô conſcientiis ab uno Deo pendentibus vis infertur; quô, non monendo, non docendo, (quæ tamen unica eſt Veritatis tradendæ ratio) ſed odiis, ſuſpicionibus, carceribus, exſiliis, ſuppliciis, diſſentientibus bellum indicitur? Quo quidem præpoſtero zelo (licèt Veri ſtudium præ ſe ferat) haud ſcio equidem an quidquam iniquius, ipsique Vero exitialius, vel fingendo concipi poſſit.

Horat. Epiſt. I. Lib. II.

Cicer. Acad. Quæſt. Lib. 2.

Horat. ubi ſuprà.

III. *Poſtquam erratum eſt, Affectus Veritatem oblatam rejiciunt.*

Errare humanum eſt, AUDITORES PRÆSTANTISSIMI. At hoc habent peſſimum Affectus (prout ultimo loco notavimus) quòd, ſi ſemel erraveris, Veritatem accedentem fugiunt, ſe ingerentem repellunt, illuceſcentem præfocant, coruſcantem etiam exſtinguunt; Vel, ſi illa prævaleat, ſi aſſenſum invitis extorqueat, eam captivæ in modum detinent, eam indigno premunt ſilentio, mendaciûmque profitentur. *Amant lucentem*, *oderunt redarguentem*; *amant eam*, *cùm ſe ipſa indicat*; *oderunt*, *cùm eos ipſos indicat*, cùm eorum vitia aut errores carpit. Si premat illa, ſi urgeat, ſi in conſcientiæ latebras penetret, *Nunc quidem abi*, inquiunt; *cùm opportunitas fuerit*, *accerſéris*; prout Paulo, de juſtitia, de continentia, de futuro judicio, vera quidem locóque aptiſſima, ſed moleſta affectibus, differenti, Felix. Cujus quidem rei exemplum, in *Poſſiacenſi* Colloquio, notabile viſum eſt: Cùm enim gravi, ſolida, nervoſa oratione, Evangelicæ Veritatis cauſſam, coram Rege totáque Aula, *Beza* noſter egiſſet, rationibus ejus perculſus, ſed nolens tamen Veritati cedere, deſumptis ex Comico vocibus, *Utinam ille mutus*, *aut nos ſurdi*, Cardinalis Lotharingus dixiſſe perhibetur.

Auguſtin. ubi ſup.

Act. XXIV. 25.

Hiſt. Eccleſ. de Beze Liv. IV.

hibetur. Quid multis? Affectibus dediti, illi fatuo haud ſunt abſimiles, cujus feſtivam amentiam deſcribit Horatius; qui ſcilicèt dies totos *in vacuo ſeſſor plauſorque theatro* agebat, viſus ſibi *miros audire tragœdos*. At cùm, amicorum operâ, ſanæ menti redditus eſſet,

Pol, me occidiſtis, amici,
Non ſervâſtis, ait; cui ſic extorta voluptas,
Et demptus per vim mentis gratiſſimus error.

Horat. Epiſt. II. Lib. II.

Haud aliter hic ſe res habet. Qui affectuum morbis laborant, ſua delectantur amentia; ſalutem refugiunt; imò & iis, qui ſibi pharmaca propinant, iraſcuntur: Raris oppidò, imò rariſſimis, qui, monſtratâ ſibi Veritate, ei lubentes colla ſubdant, dicantque cum ſapiente illo Cæcilio apud Minutium; *Uſurpabo victoriam; nam ut ille mei victor eſt, ita ego triumphator erroris.*

Minut. Fel. in Octav.

Conclusio.

Et hactenus quidem, Auditores, quanta ſit vis Affectuum, quàm multiplex, in obſcurando Veri lumine, eorum fallacia, ſatis ſupérque oſtenſum eſt. Quæ cùm ita ſint, mirum eſſe deſinit, circa omnia rerum genera, circa ſacra, circa profana, in tota denique vitæ ratione, tot tantóſque errores vigere; ſiquidem homines plerumque totos ſeſe Affectibus tradunt, eorúmque ex præſcripto potiùs, quàm ex clara rerum perceptione, de rebus pronuntiant.

I. *Non mirum eſt tot eſſe errores, cùm tanta ſit vis Affectuum.*

Atque hinc etiam colligere licet, quinam ſint peſſimi Veri interpretes, quibuſnam minimè confidendum ſit; Illi nempe quos credibile eſt maximis abripi Affectibus; Illi quos patet ſuperbia tumeſcere, inani gloriæ litare, propriis ſervire commodis, partium ſtudiis duci, iræ indulgere, invidia marceſcere, zelotypia diſrumpi; Illi, illi, mihi credite, omnium ſunt peſſimi Doctores, Vero indagando, Vero monſtrando, omnium ineptiſſimi, quibus minimè credendum, à quibus maximè ſibi cavendum eſt; tantùm abeſt ut cæca fides (qualem iſti homines plerumque requirunt) eorum placitis ſit adjungenda.

II. *Peſſimi Doctores, qui ab Affectibus maximè ducuntur.*

Verùm, Auditores, ſi ab aliorum Affectibus nobis cavere, utique noſtris frænum injicere, noſtris potiſſimùm mederi decet: Hæc ſiquidem unica eſt, declinandorum errorum, quibus nihil fœdius, triſtius, miſerius; & perveniendi ad Verum, quô nihil melius utiliúſve hominibus datum

III. *Affectus deponendi.*

 eſt,

eſt, ratio. Non id ignotum Platonis Scholæ, cujus tot præcepta περὶ καθάρσεως, de mentium purgatione, de emerſione ex luto, de ſeparatione à corpore (ſic enim Affectuum depoſitionem vocabant) tanquam unica πρὸς τὴν θεωρίαν, ad Veri contemplationem, via. Ut multiplici rerum cognitione animos diſcendi avidos paſcamus, quos non labores ſuſcipimus? quas non moleſtias devoramus? Linguas addiſcimus; Hiſtorias verſamus; Philoſophiæ abdita petimus; Nullis non artibus, Scientiis, diſciplinis, operam damus. Fruſtrà hæc omnia, dum Affectibus præpediri mentem ſinemus; Fruſtrà hæc omnia, dum ſuperbia, invidia, æmulatio, privata commoda, ſtudia partium,

ſpes, ira, cupido,
Turba, metus,

judicia moderabuntur: Quod dum erit, vix quicquam boni ex Scientiis ſperari poteſt; Illæ non animo illuſtrando, ornando, perficiendo, ſed obſcurando, pervertendo, inficiendo, aptæ futuræ ſunt; prout triſti experimento utplurimùm contingere cernimus. At verò, ſi, poſitis affectibus, excuſſâ ſuperbiâ, ſtudiis partium valere juſſis, attenta, placida, modeſta, Veri indagatio inſtituatur, dici non poteſt quantùm lucis, quantùm commodi, quantùm pretii, cùm ad Diſciplinas omnes, tum ad Sacra, perventurum ſit. Sed quid dico, ponendos Affectus? Imò Affectibus hìc opus eſt; non iis certè quos hactenus diximus; ſed Affectibus puris, æquis, rationi conſentaneis: Opus hìc recto Veri ſtudio; Opus, vivido atque indefeſſo ad illud ſcrutandum ardore; Opus hìc, Dei gloriam, humani generis commoda, propriæ mentis perfectionem, veram noſtram felicitatem, non caſſis, non languidis, ſed igneis appeti conatibus; Opus hìc pietate, juſtitia, fortitudine, manſuetudine, modeſtia, omnium denique virtutum choro; Quibus ducibus, ſi Verum quæratur, ſe profectò menti ingeret; Luminum parens cœptis favebit; ſicque

IV. *Quibus Affectibus hìc opus ſit.*

Dudùm quod atra texit erroris nubes,
Lucebit ipſo perſpicaciùs Phœbo.

Boët. de Conſ. Philoſ. Lib. 3.

DIXI.

ORATIO

ORATIO XI.

SEU

VOTUM

PRO

PACE

EUROPÆ.

Fuſum ſtatis ACADEMIÆ GENEVENSIS *Solennibus*, XII. *Maii* M. DCC. X. *cùm Auctor nonum* ACADEMICI RECTORATUS *annum ageret.*

Sſ 2

Digitized by Google

TERTULLIAN. Apologet. Cap. 39.

Oramus pro ſtatu ſeculi, pro rerum quiete.

Digitized by Google

ORATIO XI.

SEU

VOTUM

PRO

PACE

EUROPÆ.

NUnquamne igitur ſat bellorum erit? Nunquámne ſat Chriſtiani ſanguinis fuſum? Quouſque, ô Mortales, in mutuam ruetis perniciem? Quouſque *toto ſæviet Mars impius Orbe?*

Πάντων μὲν κόρος ἐστὶ, καὶ ὕπνου, καὶ φιλότητος, Hom.
Μολπῆς τε γλυκερῆς, καὶ ἀμύμονος ὀρχηθμοῖο, Iliad. N.
Τῶν πέρ τις καὶ μᾶλλον ἐέλδεται ἐξ ἔρον εἶναι ℣. 635.
Η πολέμου. ΘΝΗΤΟΙ δὲ μάχης ἀκόρητοι ἔασιν.

A Gadibus, ad ultimos uſque Septentrionum atque Indorum fines, imò verò ad remotiſſimas Oceani ac Novi Orbis plagas, belli furoribus omnia plena ſunt. Ardet *Heſperia*, caput belli

ac præmium; armiſque decernere nititur, quem dominum ſit habitura. *Europam* reliquam, in magna hac lite, variis huc illuc ſtudiis tractam, inde ab octennio flammæ populantur. Bella gerit nullos habitura triumphos, *Hungaria*. Exultant *Sarmatæ*, & pompas ducunt, ob potentiſſimi Dynaſtæ cladem; cujus caſus, ſi quidquam aliud, ancipites belli eventus, & quàm in lubrico ſtet fortuna, abundè docet. Hinc nova rursùs *Poloniæ* facies, novæ turbæ, nova incendia; quorum favillæ in *Scaniam* delatæ, in altas jam eruperunt flammas. Mitto fraternas *Indorum* pugnas, regióque ſanguine Indum rubentem. Quid jam dicam, bello adjunctas, ac veluti ſuccenturiatas, noviſſimis annis, miſerias, cœlum ferreum, tellurem colonorum vota fallentem, annonam multis in locis non caram, ſed nullam? Quid morbos, quid peſtilentiam, variis etiam in locis graſſantes? ut ne ſcilicet ulla Dei virga, ullo mali genere Orbis vacaret. Verùm hæc quidem tantiſper miteſcunt: Mars horridus nihil miteſcit. Fruſtrà Pallas non ita pridem *paciferæ ramum prætendit olivæ*. Evanuit ſpes illa Pacis, tam diu exoptatæ, tam diu exſpectatæ, ſed incaſſum. Terris tantùm oſtenſa eſt, caput ſtatim nubibus recondidit; novóque *furit Bellona flagello*. O te mortalibus iratum, Deus! O gravia, quibus iram tuam laceſſiverunt, delicta, quæ tot annorum bello, tot ſtragibus, tot incendiis, tot Provinciarum vaſtatione, tot Populorum infortuniis, tot omnis generis calamitatibus, nondum placatur!

Sed quò feror? quis me æſtus abripit? Ignoſcite, PROCERES AMPLISSIMI, COLLEGÆ VENERANDI, HOSPITES NOBILISSIMI, AUDITORES PRÆSTANTISSIMI, ignoſcite, ſi, mei oblitus, neque ubi ſim ſatis attendens, in abruptas has eruperim querelas; Vobiſque nondum, ut par erat, ſalutatis, dicere occœperim. Leges neſcit affectus vehemens; Orationis cultum reſpuit; totus in ſuſpiria ac vota effunditur. Ecquis verò æquior affectus, ecquis humanior, ecquis, ſi non laude, certè venia, dignior, quàm iis affici calamitatibus, quæ humani generis magnam partem premunt; quibus totus,

quantus

quantus quantus eſt, Chriſtianus Orbis concutitur; quibus innumerorum hominum, ejuſdem nobiſcum naturæ, ejuſdem ſortis, ejuſdem fidei, vita, ſecuritas, fortuna verſatur? Liceat igitur, AUDITORES, liceat huic nos affectui permittere. Liceat exſulantis toto Orbe Pacis, neque alibi ferè quàm in hoc terrarum angulo deliteſcentis, patrocinium ſuſcipere, ejus cauſſam agere, ejus laudes dicere, ejus commoda incommodis belli opponere. Liceat illam fugientem perſequi, ſe ſubducentem morari, ut illa denique ad homines redeat, ſed redeat quàm citiſſimè, ſed redeat fauſta & felix, ſed Eccleſiæ redeat, non minùs quàm Orbi, ſed redeat, non ad breve tempus, ſed in multos annos duratura, à ſummo Pacis Arbitro contendere. Quod dum ago, haud equidem vereor, ne, apud æquos Judices, & publicæ Pacis amantiſſimos, conſilii mei ratio improbetur. Quòd ſi enim de re dicendum pia ac honeſta, quid ſanctius? ſi de re utili, quid ſalutarius? ſi de re grata, quid omnibus acceptius? ſi de re quæ tempori conveniat, quid opportunius? ſi de re loco apta, quid Templo, non jam dicam Pacis, ſed Dei Pacis accommodatius? ſi de re quæ dicentem deceat, quid Miniſtro Pacis decentius? ſi de re denique Muſis, quarum feſtum agimus, amica, quid ad earum dignitatem & commoda promovenda aptius? Neque profectò, vel ſi maximè velim, à deſideratiſſima illa Pace cogitationes veſtras abducere, illáſque aliò transferre poſſim; adeò illa omnium animos ſollicitos habet, omnium vota precéſque exercet, omnium ſermonibus, in Curia, in foro, in plateis atque compitis, in privatis cujuſque ædibus fociſque, celebratur.

Te dicam igitur, ô Pax rerum optima, quas homini noviſſe datum eſt. Te dicam, Pax una innumeris potior triumphis. Te dicam, quam natura ſuadet, quam religio imperat; quæ publicæ ſaluti conſulis, quæ privatorum commodis fortuniſque famularis. Te dicam, quâ ſublatâ, boni nullius tuta poſſeſſio eſt; quâ redditâ, tuta omnia atque tranquilla: quâ ſublatâ, jus datur ſceleri; quâ redditâ, ſuus juſtitiæ honos redditur: quâ ſublatâ, luctus ubique, & plurima mortis imago; quâ

quâ redditâ, reviviſcere ac recreari omnes videntur. Te dicam, quæ, cæteris veluti poſthabitis Gentibus, nos, nos Populorum omnium penè ſolos, tibi addixiſti; quæ, cæteris derelictis, certam hic veluti ſedem fixiſti; quæ, non à brevi tempore, non paucorum ſpatio annorum, ſed & his jam ſupra centum annis (ô raram felicitatem! ô prædicandum Dei munus!) inter medias Bellorum faces, in mediis cæterorum cladibus, ſuaviſſima nobis otia feciſti. Te dicam, cujus beneficio miraculum ſumus, quam omnes nobis invident, quam nos cæteris omnibus optamus, quam denique qui non amet, qui non quærat, qui non deſideret, is profectò ex humanæ naturæ finibus eſt ejiciendus.

Sic eſt, AUDITORES; Quiſquis vel in ipſam Hominis naturam oculos conjecerit, facilè intelliget, non bello, ſed paci, non exitio, ſed ſaluti, non ad nocendum, ſed ad juvandum, eum à natura comparatum eſſe. Quid enim, obſecro, quid aliud docet naturalis hominum inter ſe cognatio? quid, tot animi corporiſque dotes, non nobis ipſis tantummodò, ſed & aliis juvandis aptæ? quid ipſe loquelæ uſus? quid tanta ad amicitiam & miſerationem propenſio? quid mutuæ neceſſitates non aliter quàm mutuis officiis ac beneficiis ſupplendæ? quid benefaciendi voluptas, vivida oppidò & exquiſita? quid grati animi ſenſus? quid alia innumera clamant, niſi homines ad ineundam colendámque ſocietatem, adeóque ad pacem, non ad (Th. Hobbes.) bellum, procreatos eſſe? Unde ille noviſſimi Sæculi Politicus, dicam, an Atheus, qui homines naturâ hoſtes, voluntatem lædendi primam, ſtatum naturæ ſtatum belli, dixit, homines in belluas mutâſſe, ſtatúmque naturæ, non humanum, ſed ferinum propoſuiſſe, haud immeritò inſimulatus eſt: Meliora longè ac humaniora prodentibus Ethnicis Philoſophis, qui hominem (Ariſt. Cic. Sen. Plutarch. M. Anton.) ζῶον ἥμερον φύσει, animal naturâ manſuetum, εὐεργετικὸν πεφυκότα, ad benefaciendum natum, Societatis appetentem, proindéque ad illa omnia, non quibus violatur, ſed quibus colitur Societas, propenſum dixêre.

Neque verò deſunt in ipſo habitu figuráque humani corporis,

ris, propenſæ, non ad bellum, ſed ad pacem, naturæ indicia. Nam cæterorum quidem animantium (quod & pridem obſervatum eſt) armis pleraque inſtructa naſcuntur.

> Φύσις κέρατα ταύροις,
> Οπλὰς δ'ἔδωκεν ἵπποις,
> Ποδωκίην λαγωοῖς,
> Λέουσι χάσμ' ὀδόντων.

Anacreon. Od. 2.

Tauros natura cornibus inſtruxit. Ferire calce equos docuit. Leonum rabiem dentibus unguibúſque armavit. Apris fulmineos affixit dentes. Alia teſtis, alia corio, alia roſtro, munita cernuntur. Sunt & quorum incolumitati pernicitate proſpectum eſt. Solus homo inermis veluti, imbecillis, imparatus, molli carne, cute levi, blando vultu, amica voce, riſu ad ſuas cum aliis communicandas voluptates, lacrymis ad aliorum commovendam miſericordiam, brachiis ad complexum veluti diſpoſitis, in hanc vitæ lucem protruditur: Ut pateat, ſalutem ejus, non armis, non iræ, non bello, ſed amori, ſed benevolentiæ, ſed pacis ſtudiis, commiſſam eſſe.

Obſervat Sextius apud *Senecam*, profuiſſe iratis quibuſdam ſpeculum adſpexiſſe; perturbatos illos tantâ mutatione ſui, tantâ repercuſſæ imaginis deformitate, ſeipſos non agnoviſſe, ſicque ad ſe ſtatim rediiſſe. Quid, ſi bellum gerentes ſe adſpiciant, tum, exempli cauſſâ, cùm, vel arx invaditur, vel ſigna conferuntur, vel aliud quid hoſtile committitur; ſi minaces vultus, torvos oculos, rabidam vocem, feros inceſſus, curſitationes bacchantum in morem, per medios enſes, per medias flammas, manus ad urendum, ſecandum, vulnerandum, confodiendum, vaſtitatem quacúmque licuerit inferendam, nunquam ſatis promptas; ſi hæc, inquam, ſedati adſpicerent, haud ſcio equidem, AUDITORES, annon ſui ipſos puderet, & annon hinc ad Pacis ſtudia, hoc eſt, ad ſeipſos reverterentur.

Sen. de Ira Lib. II. cap. 36.

Enimverò, quis niſi ferreus, quis niſi poſitâ humanitate, moribuſque pluſquàm ferinis, iis quæ bello inſunt lamentabilia non moveatur? Quis, ſiccis oculis, vaſtatos agros, populatas Provincias, Urbes incenſas, expilatas Gentes, atque ad ſum-

mum inopiæ redactas; florentiſſimos exercitus, intra paucarum horarum ſpatium, in horrendam cadaverum ſtruem converſos; funeſtas domos, ſubverſa Regna; conjuges conjugum, patres liberorum, amicos familiarium jacturam deflentes; omnia, quacúmque oculos dederis, nil niſi mortem, pavorem, vaſtitatem, ſpirantia; quis hæc, inquam, quis hæc, ſiccis oculis, non jam dicam præſentia intueri, ſed & abſentia cogitare queat? His adde morum licentiam, proculcatas leges, fas verſum atque nefas; fidem, æquitatem, pudicitiam, contemptui habitas, ne dicam probro; ſcelerum facies omnes, nullo metu in lucem productas. Adjunge & neglectas artes, omiſſa ſtudia, barbariem inductam; infelices belli propagines, triſti Sæculorum omnium experimento plus ſatis notas. Quibus ſi jam Pacem opponamus, ô quàm lætam, quàm amabilem, quàm omnium ſtudiis atque votis dignam ſe prodet! Illâ quippe, omnia vigent, omnia florent, omnia recreantur atque ornantur. Illâ, nemo habet quidquam quod metuat; Vita omnium ac fortunæ in tuto verſantur. Illâ, *bos tutus agros perambulat,*

Horat. Carm. Lib. IV. Od. 5.

Nutrit rura Ceres, almaque fauſtitas,
Pacatum volitant per mare navitæ,
Culpari metuit fides.

Illâ, conduntur oppida, exſtruuntur villæ, collapſa reſtituuntur, exſtructa ampliantur atque ornantur. Illâ, floret mercatura, vigent artes opificum, diſciplinis omnibus ac Scientiis novus quotidie ſplendor accedit. Illâ, ſuus Legibus conſtat honos, valet æquitas, ſervet diſciplina; *Culpam pœna premit comes.* Quid multis? Bello regnante, atra quædam nox inducitur; Pace amœniſſimus dies illuceſcit, & *Soles meliùs nitent.* Bello, turbata & confuſa omnia; dicas, antiquum chaos rediiſſe; Pace, omnia in ordinem coacta, & ſuo quæque loco repoſita. Bello, pavor; Pace, ſecuritas: Bello, planctus; Pace, lætitia: Bello, exitium, Pace, vita: Ita ut, qui Paci Bellum præferat, is malorum omnium lernam, bonorum omnium parenti & cuſtodi, anteponere planè dicendus ſit.

Verùm,

Verùm, AUDITORES, ſi natura ipſa, ſi æquitas, ſi humanitas, ſi publica privatáque commoda, à Bello deterreant, Pacis ſtudium animis inſtillent, quantò magis Chriſti diſciplina, quæ, vel teſte homine Ethnico, *nil niſi juſtum ſuadet & lene*, à Bello abducere, Pacem ſuadere exiſtimanda eſt? Ecquid enim aliud quàm Pacem attulit, ecquid aliud quàm Pacem commendat, ecquid aliud quàm Pacem urget, ille Pacis auctor & princeps Chriſtus? Age, prodeat Sinenſis aliquis, aut, ſi mavultis, quidam ex illis Lunaris Orbis incolis, qui de Chriſtianorum rebus ne fando quidem quidquam audiverit. Dentur illi Novi Fœderis Tabulæ. Monſtretur ei, quid mandet Chriſtus, quid vetet, quid præcipiat; quantâ curâ, non vim modò, non cædes, non latrocinia, ſed & iram ipſam prohibeat; quantô ſtudiô, amorem mutuum, benevolentiam, manſuetudinem, pacem, concordiam, ſuis commendet; quàm ſollicitè, non alios quàm lenes, non alios quàm miſericordes, non alios quàm pacis amantes, beatos pronuntiet; quô pactô, à ſuis diſcedens, non aliud eis donum, non aliud pignus, quàm pacem relinquat; quomodo hâc unâ notâ ſuos in poſterùm dignoſci velit; quomodo hoc uno in capite proram ac puppim ſui ritûs collocet. Moneatur, his vivere Legibus, in eas juraſſe, ex eis probari, quicunque Chriſti nomine cenſentur; neque dubium apud illos fieri, quin hæc ſervantibus æterna præmia, hæc infringentibus æterna ſupplicia poſt hanc lucem exſpectanda ſint. His acceptis, ducatur ille in militantium caſtra. Videat bellicum omnem apparatum. Videat tot hominum centena millia, non ſubitô quôdam iræ æſtu, non extemporaneô quôdam furore, ſed placidè, ordinatè, probè ſubductis rationibus, in id unum ut ſe mutuò lædant, ut ſe ſpolient, ut ſe confodiant, ut ſibi vitam eripiant, intenta. Videat tot armorum genera, tot belli machinas atque inſtrumenta, mille mortibus creandis apta. Videat ſpeciatim *tormenta* illa, verè torquendis hominibus nata, ante trecentos quinquaginta annos, à Monacho quodam Germano (ô piam Monachi ſolertiam!) *Bertholdo Schvarzio*, no-

Amm. Marcell. Lib. XXII. cap. 11.

mine & re verè *nigro*, inventa; fulminum fragorem imitantia, ſed quovis fulmine nocentiora; quæ iterùm noviſſimis Sæculis, novis indies nocendi artibus, novis globis, novis machinis, infernalium flammarum æmulis, perfectiora, dicam, an peſtilentiora effecta ſunt. Cernat inprimis is quem circumducimus, diem pugnæ decretorium. Spectet è tumulo adverſas acies, & pila pilis minantia. Obſervet quanto impetu, cum exercitu exercitus, gens cum gente congrediatur, atque in mutua ruant viſcera; dum *latè vagatur enſis, & à nullo revocatur pectore ferrum*; dum cruoris rivi paſſim effunduntur, *multâque rubentia cæde lubrica ſaxa madent*; aliáque quæ memorare horret animus. Amabo vos, quibus hæc oculis Lunaris ille advena conſpiciet? quanto ſtupore percelletur? Næ ille animo revolvens quæ de Chriſti Legibus audierat, *Quid mihi tam diu illuditis?* inquiet; *Eos qui ſic agunt, Chriſtianos eſſe, in animum nunquam inducam*; *In illam, in illam tandem, quam Chriſtiani incolunt, regionem me deducite:* Quæ vox fanaticæ inter Belgas fœminæ, at dum hæc diceret minimè fanaticæ, *Antoniæ Borignoniæ*, vulgò adſcribitur.

Eſai. II. & XI. Meſſiæ diebus, Pacem altam fore; gladios in ligones, lanceas in falces curvatum iri; lupum cum agno, pardum cum hœdo, vitulum cum leone recubituros, antiquis Prophetarum vaticiniis prædictum fuerat. Verùm quid hæc ad vos attinent? Chriſtianis objicit pertinax Judæus. Ubi pax illa inter vos viget, qui internecina exercetis odia, qui perpetuis bellis diſcerpimini? An gladii in ligones verſi, ubi é contrario *curvæ rigidum falces conflantur in enſem*? An lupus cum agno, pardus cum hœdo, vitulus cum leone apud vos recumbunt, cùm vos ipſi potiùs in lupos, in pardos, in leones, & ſi quid feris illis immitius, commutati videamini? Scio equidem, AUDITORES, quæ reponantur hic non deeſſe. Scio diſcipulorum culpas, falſò ſibi blandientium nomine, mitiſſimæ ac ſaluberrimæ Diſciplinæ non imputandas. Verùm illud interim fatendum, Chriſtianorum bellis ac odiis non levem Chriſti doctrinæ injuriam fieri, ejus præſtantiam obſcurari, vim infringi,

Digitized by Google

ſringi, fructus impediri, Oraculorum implementis quodammodo obicem poni, denique infirmis ſcandalum, incredulis atque impiis cavillandi anſam præberi.

Proh Dei atque hominum fidem! Itáne homines communis naturæ, itáne Chriſtianos communis Domini, itáne mortales communis fati, itáne æternitatis candidatos communis exſpectationis, itáne omnes communis ſalutis, communis felicitatis immemores eſſe, ut, ſæpe nulla, ſæpe levi, ſæpe iniquis etiam de cauſſis, diras illas tragœdias agant! ut, cùm vitam agere quietam liceret, turbulentam atque aleæ plenam eligant! ut, cùm ſe mutuò juvare, ſuis mutuò commodis promovendis inſervire poſſent, ſe invicem diſcerpere, ſibi necem parare ſtudeant! ut, cùm poſſint eſſe Dei ſimiles, bonitate, manſuetudine, beneficentiâ, concordiæ ſtudiô, malint ferarum naturam induere! (ſed quid feras dicimus? cùm illa in proprium genus rabies ne in ipſas quidem cadat feras; nam

Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus
Unquam, niſi in diſpar, feris:)

ut, cùm pacatiſſimam illam Beatorum in Cœlis vitam quodammodo jam, ſi libeat, hic in terris poſſint effingere, immortalia Damnatorum odia, furorem, rabiem, æmulari malint!

O cæcitatem, ô amentiam, pluſquàm ſanguineis lacrymis deflendam? De vitæ brevitate ac ærumnis querimur mortales, quòd in exiguum ævi gignimur, quòd hæc, tam velociter, tam rapidè, dati nobis temporis ſpatia decurrant, quòd morbis innumeris atque doloribus, vexetur, atteratur, conſumatur, hoc quicquid eſt vitæ. Sed quid de rerum natura querimur, cùm præter illas calamitates, quæ à natura ortum ducunt, graviores longè nobis accerſimus? quid vitam brevem dicimus, cùm in mutua ruentes præcordia, noſtram pariter & aliorum mortem, quaſi tardam nimis, acceleremus? quid morbos incuſamûs, cùm teterrimam omnium peſtem, quâ plures longè homines quàm reliquis omnibus caſibus delentur, belli furorem, ipſi foveamus? quid, tot eſſe caſus, tot rerum diſcri-

Senec. de brevit. vitæ cap. 1.

diſcrimina, tot, ad diſſolvendam corporis compagem, inſtrumenta, lamentamur, cùm tot alia cudamus ipſi, ipſamque, ut nimis benignam, adversùm nos naturam armemus? quid denique nihil quietum, nihil tutum eſſe indignamur, cùm parentem quietis omnis ac ſalutis Pacem averſemur?

Quæ tamen eò non dico, AUDITORES, quaſi bella omnia damnatum irem, vel quaſi Pacem quamlibet, utut iniquam, utut parùm tutam, belli curis præponendam ducerem. Sunt ſanè æqua, honeſta, neceſſaria nonnunquam bella. Breviùs dicam; æqua illa quæ neceſſaria; ea nempe quibus vis propellitur, & legitima Populorum jura aſſeruntur ac vindicantur. „Quis enim neſcit, hanc eſſe non ſcriptam, ſed na„tam legem, quam non didicimus, accepimus, legimus, ve„rùm ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus, ad „quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſu„mus; quâ vim vi repellere, armáque in armatos ſumere jure licet? Neque verò his naturæ juribus Revelatio quicquam detrahit. Contrà, gladium ad iram & vindictam, (ſi adversùs privata ſcelera, quantò magis adversùs publica? ſi adversùs privatos latrones, quantò magis adversùs illos qui communi inſidiantur paci?) Princeps à Deo accepiſſe fertur. Et profectò, malè ageretur cum rebus humanis, ſi, improbis bello graſſantibus, nihilque non ſibi licere putantibus, pii gladio cervices ſupponere, atque, innocentum pecudum in morem, ſceleratiſſimi cujuſque auſis vitam ſuam ac fortunas omnes permittere tenerentur. Sed neque hìc Pacem ſubdolam, Pacem fuco faciendo natam, Pacem quæ ſub blando nomine nihil aliud quàm inſidias paret, Pacem quæ incautis arma eripiat, ut certiùs mox opprimantur, Pacem quâ *fiſtula dulce canat, dum volucrem auceps decipit*, non illam, non illam, inquam, Pacem commendamus, quæ profectò tali nomine prorsùs indigna eſt. Laudamus Pacem, ſed Pacem veram, Pacem æquam, Pacem tutam, Pacem ſine inimicitiis, Pacem in qua non ſit involutum bellum, Pacem quæ cum veritate & juſtitia oſcula miſceat, quemadmodum à Pſalte deſcribitur: Cujuſ-

Cicer. Orat. pro Milone.

Rom. XIII.

Pſ. LXXXV.

Cujuſmodi Pacem ſi hoc rerum ſtatu, ſi hoc æſtu Belli, Europæ optamus, rem profectò nemini injuriam, contrà verò & humanitati, & pietati convenientiſſimam, nos facturos exiſtimamus.

Ades igitur, ô Cœli filia, ô bonorum omnium parens ac nutrix. Polo deſcende, quô diu nimis incluſa manſiſti; Terráſque, tanto jam tempore à te deſertas, te ſitientes, te anhelantes, tandem reviſe. Tui deſiderio, tui cupidine univerſi flagrant: Te Nobilis, te plebleïus, te mercator, te agricola, te artifex, te Literatus, te Veſper, te Oriens, te Meridies, te Arctus, requirunt. Quid ceſſas? Nihil-ne te tot vota excitant? Quid publica tam diu moraris gaudia?

Alma redi Virgo; tecum unà Aſtræa redibit;
Dulciáque inter ſe traducent otia Gentes.
Claudentur Belli portæ; furor impius intùs,
Sæva ſedens ſuper arma, & centum vinctus ahenis
Poſt tergum nodis, fremet horridus ore cruento.
Per populos Tu jura dabis; bona cuncta reduces;
Placabis Cœlum; Tellus quoque divite dextrâ
Læta ſuas effundet opes; Dubiúmque manebit,
Cœlum-ne in terris, terræ an ſuper æthera latæ.

Virg. Æneid. Lib. I.

Verùm, AUDITORES, quid Pacem alloquimur? quid, cum inſana Antiquitate, illam velut Numen quoddam compellamus, rem inanimam atque audire neſciam, nullis proinde ſuſpiriis movendam? Quin ad illum potiùs, qui Paci præeſt, qui Pacem creat, vota dirigimus; ab eóque fauſtum ac felicem, qualem publica commoda requirunt, qualem Eccleſiæ rationes poſtulant, hodierni Belli finem imploramus?

Ad Te igitur, SUMME RERUM ARBITER, BELLI PACISQUE MODERATOR, *noſtra ſe convertit Oratio; Utque feſſis Europæ rebus medicam tandem manum admoveas, ejus tumultus compeſcas, ejus incendiis modum ponas, eâ quâ poſſumus animi devotione à Te flagitamus. Tu Regum animos in*

manu

manu geris, neque aliô inflectis modô, quàm quô aquarum rivulus in hanc vel illam partem inflectitur. Tu motus animorum, atque hæc certamina tanta, *non jam* pulveris exigui jactu, *ſed vel ſolo verbo, ſolo nutu, potes compeſcere. Eos igitur qui rebus præſunt, tuo numine ita adſla, ſtudio Pacis ita imbue, ut, iris poſitis, diſcordiis ſepultis, in fœdera tandem coëant; illámque gloriam verè regiam, quæ in beandis ſubditis, & tranquillandis regnis ſita eſt, cæteris omnibus potiorem ducant.*

Verùm, quam nos vovemus Pacem, tuo peculio, ô Deus; *Eccleſiæ tuæ præſertim vovemus. Ejus nos princeps cura tangit; Ejus*

Ps. CII. Disjectos lapides, ſparsáque rudera
Servi reſpiciunt tui.

Si quid igitur vota noſtra valent, ſi quid preces, ſi quid ſuſpiria, cedo laboranti Eccleſiæ pacem. Tot jactatæ procellis, tot ærumnis preſſæ, aliquam tandem requiem concede. Oſſibus aridis, & vitâ caſſis, vivificos ſpiritus immitte. Quin & illa adducito tempora, quibus Eccleſiam tuam læta capturam incrementa, & doctrinæ tuæ jubare Orbis univerſi fines colluſtrandos prænuntiâſti.

Quoniam verò in iis operibus, quæ deſtinas, perficiendis, hominum operâ plurimùm uteris, Te rogamus ſupplices, ô Deus, *ut qui ad clavum rerum ſedent, tuæque Eccleſiæ commodis invigilant, eos tanto incendas zelo, tam exquiſita ornes prudentia, tam invicta cingas fortitudine, tantis denique mactes ſucceſſibus, ut, hoc decretorio rerum tranſitu, hac magnorum eventuum parturiente tempeſtate, tuam illuſtrari gloriam, tuum promoveri regnum cernamus.*

Sed hæc dum petimus, ô Numen optimum, *nos parietum amor non capit. Non externam tantùm Pacem, externa Templa, externas aras, Eccleſiæ tuæ adjungi volumus. Quanquam o! ſed hac de re fiat, Tibi quidquid viſum fuerit. Eam præ cæteris Pacem intelligimus, quâ Chriſtianorum animi coëant, quâ diſſidia componantur, quâ ſimultates exſtinguantur, quâ omnes*

nes unô animô atque unô ore gloriæ Tibi tribuendæ incumbant. Doce nos tandem, ô LUMINUM PATER, *quid nos Tibi maximè commendet, quid Tibi ſit maximè gratum; Non inania opinionum, non quæſtionum tricas, non argutandi libidinem, non temerarias rerum ſupra nos poſitarum definitiones, non iram in diſſentientes, non acerbam in iis damnandis, anathemate feriendis, ac perſequendis, promptitudinem, ſed* compoſitum jus fáſque animi, ſanctóſque receſſus mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto, *ſed infucatam in Te pietatem, in nos invicem benevolentiam, in benefaciendo alacritatem, in aliorum nævis ac erratis tolerandis manſuetudinem, denique concordiæ & pacis ſtudium, veras eſſe hoſtias, vera Sacra, quibus delectaris.*

Pacis artes promove, ô DEUS. *Qui eas exercent, docent, aut diſcunt, Providentiæ tuæ auxiliis juva; Eorúmque labores omnes ad publica commoda dirigito.*

Quid verò nobis, ô GENEVÆ CUSTOS, *quid Reipublicæ, quid Eccleſiæ, quid Academiæ noſtræ, precabimur? Nova precari, tua in nos munificentia vix patitur. Precamur munerum tuorum conſtantiam. Precamur illius Pacis, quâ nos jam fruimur, perpetuitatem; Quæ quidem votorum omnium caput ac ſumma eſt.*

Denique, ô DEUS, *collapſa erige, depravata emenda, infirma corrobora, turbulenta compone: Donec ex hoc terreſtri ſtadio, in quo perpetua nobis atque omnis generis incumbunt bella, in beatam ac æternam illam Pacis immotæ ſedem transferamur.*

DIXI.

Digitized by Google

ORATIO

Digitized by Google

ORATIO XII.

DE

ADULTERATI

CHRISTIANISMI

CAUSSIS ET REMEDIIS.

Dicta eſt ſtatis ACADEMIÆ GENEVENSIS *Solennibus*, XVIII. *Maii* M. DCC. XI. *cùm Auctor decimum* RECTORATUS ACADEMICI *annum ageret.*

Accedit Laus duorum eximiorum Reipublicæ Genevenſis Civium, putà, Viri Ampliſſimi JOANNIS DE NORMANDIE, Primarii Reip. Genev. Conſulis, defuncti 19. Mart. MDCCXI. nec non Viri Illuſtriſſimi, EZECHIELIS SPANHEMII, Lib. Baronis, Sereniſſimi Boruſſiæ Regis Miniſtri Statûs, Ejúſque nuper ad Potentiſſimam Magnæ Britanniæ Reginam Legati Extraordinarii, defuncti $\frac{14}{25}$ Novemb. MDCCX.

Digitized by Google

Hæc Oratio, jubente Venerando PASTORUM *&* PROFESSORUM *Cœtu, typis mandatur.*

Digitized by Google

S. Theologiæ & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Studioſis, Diſcipulis ſuis cariſſimis,

JOH. ALPHONSUS TURRETTINUS

S. P. D.

QUOD hîc habetis, LECTISSIMI JUVENES, ejus quam meditabar Orationis nihil eſt aliud quàm breve compendium. Plura longè, tum dies ac locus, tum argumenti dignitas atque amplitudo requirebant. Verùm plura dicere, ut vos nôſtis, per morbum non licuit. Interim, in hoc qualicumque compendio, verba quidem pauca, at res multas eſſe, affirmare auſim. Summa capita hîc notavi, ſed notavi tantùm; digitúmque, ſi non ad omnes, certè ad præcipuos atque uberrimos errorum fontes intendi. Exempla verò à me omiſſa, quæ non ſine prolixitate, immò & aliqua fortè invidia, proferri potuiſſent, veſtræ erit induſtriæ ſupplere, quæ quidem, tum in Eccleſiæ Veteris annalibus, tum in recentis memoriæ geſtis, & quotidiana experientia, plenâ, quod aiunt, manu, offendetis. Certè ad iſta advertere, eos præſertim qui Sacra tractant, aut qui Sacris ſeſe addicunt, maximi momenti eſt; tum ut de præteritis rectiùs judicent, tum ut ab his paribúſque vitiis in futurum ſibi caveant. Quòd enim Doctores Pontificii, quíque illorum adorant veſtigia, ex longo uſu magniſque nominibus auctoritatem ſuis placitis accedere volunt, id profectò æquiſſimum eſſet, ſi longus uſus nunquam à vero ſejungeretur; ſi magni illi Viri, quibus nos tantùm tribuere volunt, recto ſemper greſſu pro-

ceſſiſſent; ſi neceſſariis omnibus, ad Veri inveſtigationem, inſtructi fuiſſent ſubſidiis, iiſque ſubſidiis quæ tum ſuppetebant, rectè ſemper uſi eſſent; ſi, neque præconceptis opinionibus, neque affectibus, & partium ſtudiis, ſe abripi unquam paſſi eſſent; ſi nunquam niſi animô piô, æquô, modeſtô, veri cupidô, ad tractanda Sacra acceſſiſſent; ſi denique, nulla in iis, nec humanæ imbecillitatis, nec humanæ fraudis ac malitiæ, veſtigia deprehenderentur. At, quàm ſe res aliter habuerint, vel ex noſtra hac diſſertatiuncula abundè liquet. Quamobrem, ne ſinite, Optimi Juvenes, ſplendidis nominibus fucum vobis fieri. Doctoribus, cùm antiquis, tum recentibus, reverentiam præſtate, non tamen cæcam. Eorum premite veſtigia, ſed ubi recto tramite præcedunt. Omnia probate: quod bonum eſt, retinete. *Cùm verò hic cernatis, quid monſtri pepererit, tum Linguarum ignoratio, tum prava Philoſophia, tum malè ſana Eloquentia, tum Allegoriarum ſtudium, tum immodica ſciendi ac definiendi cupido, tum aliæ cauſſæ à nobis allatæ, ne committite, per Deum vos oro, ut in ſcopulos illos impingatis. Veterum culpæ atque lapſus facite ut vobis documento ſint. Hiſce valete, dilectiſſima capita; Méque veſtrî amantiſſimum, ut confirmatâ valetudine citò vobis reddar, precibus veſtris juvate. Dabam in villa mea, Idibus Jun. An. Æræ Chriſtianæ Vulg. MDCCXI.*

ORATIO

ORATIO XII.
DE
ADULTERATI
CHRISTIANISMI
CAUSSIS ET REMEDIIS.

Ampliſſimi Proceres, Patriæ Patres,

Illuſtriſſimi Comites atque Barones,

Venerandi & Celeberrimi Paſtores & Profeſſores,

Auditores omnium ordinum præſtantiſſimi, humaniſſimi,

QUID

Digitized by Google

Hebraïca prorsùs ignoràſſe, Græca vix primoribus labiis deguſtàſſe, in confeſſo ſit. Hinc tot putidæ vocum origines, ab ipſis hodie elementariis ſibilo excipiendæ. Hinc tot locorum interpretationes, non violentæ, dicam, ac precariæ, ſed & magnam partem ridiculæ. Exempla ſileo, cùm res ſit notiſſima, & ne ab ipſis quidem Veterum admiratoribus in dubium vocari queat. Quantus porrò imperitiæ illi, procedente tempore, cumulus acceſſerit, Eccleſiæ pariter & Sæculi monumenta docent; *Gothis*, *Vandalis*, *Hunnis*, aliiſque, barbariem latè ferentibus; omnibus bonarum rerum ſtudiis, per plura Sæcula, prorsùs extinctis; & eò denique perductis rebus, ut quiſquis ſupra vulgus tantillùm ſciret, non jam dicam hæreſeos, ſed & magiæ inſimularetur.

II. *Philoſophiæ Ethnicæ copulatio cum Chriſtianiſmo.* Tertull. de Præſcript. cap. 7.

Quòd ſi verò inſcitia illa Chriſtianæ rei non parùm nocuit, nocuit viciſſim ψευδώνυμος γνῶσις, *falsò ſic dicta ſcientia.* Nocuit Ethnicæ Philoſophiæ cum Chriſtianis Sacris copulatio: Quâ factum, ut alii *Stoïcum*, alii *Platonicum*, alii *Dialecticum Chriſtianiſmum protulerint*, quemadmodum ſuô jam ævô querebatur *Tertullianus.* Scilicèt, boni illi Patres, priuſquàm Chriſto nomen darent, Græcæ Philoſophiæ imbuti principiis, noluerunt, Chriſtiani facti, tot ſtudiorum fructum ſibi perire. Noluerunt, quæ juvenes didicerant, ſenes perdenda agnoſcere. Quinimò de re Chriſtiana ſe optimè meritos putàrunt, ſi divinum illum *Platonem*, vel illud naturæ portentum *Ariſtotelem*, quodammodo Chriſtianos facerent, eorúmque ex auctoritate Chriſtianis placitis lucem pondúſque adjungerent. Neque verò alio ex fonte, tum *Valentinianæ* Scholæ *Æones*, tum *Marcionis* & *Manetis* ſomnia, tum *Origenis* προϋπάρξεις, tum alia benè multa nomine tenus Chriſtiana dogmata, quàm ex impuris Ethnicæ Philoſophiæ laticibus prodierunt. O vos rudes Chriſti Diſcipulos, quibus, ut hæc cerneretis, non licuerat eſſe tam ſagacibus! O jejunam veſtram diſciplinam, plurimiſque mutilam capitibus, niſi utiliſſimis illis ſupplementis, ex *Ariſtotele* vel *Platone* ductis, eam quâ caruit vobis Magiſtris perfectionem adepta eſſet!

III. *Malè ſana Veterum Chriſtianorum Eloquentia.*

Ut verò prava Philoſophia, ſic & malè ſana Eloquentia, temporibus illis recepta, Chriſtianiſmi ſinceritatem dici non poteſt quantùm corruperit. Erat nempe dicendi ars magno apud Veteres in pretio. Sed quænam fuit ars illa? Ars ornandi, non verum dicendi; Ars omnia in majus augendi; adverſarios, non rationum pondere, ſed oratoriis pigmentis, vincendi; quicquid cauſſam juvaret, quicquid in rem præſentem faceret, nullô veri ſtudiô, proponendi; Ars fallendi, cavillandi, ſibimet contradicendi. Quis neget? confitentem habemus reum, *Hieronymum* videlicet, qui cùm aliquando ſtylo illi rhetorico, quô adſiduè utebatur, nimio plus indulſiſſet, *Rhetoricati ſumus*, inquit, *& in morem declamatorum paululùm luſimus.* Cùmque ipſi lis de quibuſdam minùs accuratè dictis moveretur, hâc utitur excuſatione, ingenuâ illâ quidem, verùm haud ſcio an ſatis legitimâ, licuiſſe in Libris gymnaſticis, *aliud loqui*, *aliud agere*; *panem*, *ut dicitur*, *oſtendere*, *lapidem tenere.* Quô quidem ſtylô, Veteribus ſolemni, in Diſputationibus præſertim, & Sermonibus ad Populum, quot Chriſtiana dogmata immutata, depravatáque fuerint, non unô prolatô exemplô, ſi ferret brevitas, probatum daremus.

Hieron. Lib. adv. Helvidium.

Hieron. Apol. pro Libr. adv. Jovinian.

IV. *Allegoriarum Studium.*

Inter varia autem Doctorum, in interpretandis Scripturis, vitia, unum præ cæteris notari meretur, utpote quod pluribus commune, maximéque noxium fuit; quod Ἀλληγορομανίαν *Allegoriarum furorem*, cum Veterum nonnemine vocare liceat. Dici non poteſt quantùm detrimenti Theologorum cerebris morbus iſte attulerit; quot precariis expoſitionibus, quot frigidis allegoriis, quot inanibus argutiis, quot putidis myſteriis, ortum dederit. Malè audiit hoc nomine *Origenes.* Sed & alios longè plurimos, quorum nomen veneratur Eccleſia, huic Allegorizandi ſtudio ad ineptiam uſque indulſiſſe, hôcque pactô Chriſtianam Doctrinam non parùm infeciſſe, plus ſatis conſtat.

V. *Figuratæ locutiones ad literam intellectæ.*

Quemadmodum verò figuras, ubi nullæ exſtant, quærere, contrà verè figuratas dictiones ad literam nimis intelligere, fons errorum uberrimus fuit. Notum quippe eſt, tropis omnis generis, metaphoris, hyperbolis, Orientales vulgò abundare,

re, maximéque Scriptores ſacros: Quæ cùm Interpretes parùm prudentes, importunéque accurati, ulteriùs quàm par eſt urgerent, atque ad vivum reſecarent, hinc nulla non abſurda atque inſulſa, nulla non, ipſis ſenſibus, ipſi naturæ lumini adverſa, opinionum monſtra exorta ſunt.

VI. Ingenia fervida & modi neſcia.

Ingenia fervida & modi neſcia, vero indagando atque retinendo parùm idonea eſſe, eáſque quas tractant Scientias utplurimùm vitiare, notius eſt quàm ut operoſa confirmatione indigeat. Id experta eſt Chriſtiana Religio. Ingeniis Orientali vel Africano Sole calentibus, inde ab ipſis fermè primordiis, in prædam quaſi data eſt; æſtûſque illius immodici, in pleriſque ſive Doctrinæ, ſive Diſciplinæ capitibus, non unum impetum ſenſit. Laudanda fuit caſtitas? Non id pro voto ſuccedebat, niſi nuptiæ vituperarentur. Sobrietas commendanda? Inde infinitæ Jejuniorum conſtitutiones inventæ ſunt. Diſciplina exercenda? Ad eum id modum proceſſit, ut Evangelicæ manſuetudinis penè obliti viderentur.

VII. Cupido ſciendi quæ ſciri nequeunt.

Pulchrum eſt ſcire, res divinas potiſſimùm; laudéque digniſſima, hac in parte, diſcendi cupido. Verùm tamen, ſi limites excedat, ſi ad illa extendatur, quæ captum noſtrum ſuperent, quæ ſciri prorsùs nequeant, quæ nos ſcire Deus noluerit, ſine dubio culpâ non vacat. Hæc verò culpa inter Antiſtites Chriſtianorum nimio plus frequens, illos in avia ſæpe deduxit; malorúmque innumerorum, tum ipſis cauſſa fuit, tum toti Eccleſiæ.

VIII. Vanæ quæſtiones.

Res ſecundæ, ait nonnemo, *delicatos faciunt*; *res adverſæ*, *ſobrios.* Dum ſub onere Perſecutionum gemerent Chriſtiani, ad inanes quæſtionum tricas agitandas, iis non vacabat. At, redditâ Eccleſiæ pace, præſertímque Imperiô ad Chriſti fidem adductô, illicò laſcivire ingenia, negotioſis ineptiis ſe dare, inanibus rixis indulgere, eas movere quæſtiones, „quas nullius „legis neceſſitas præſcribebat, ſed inutilis otii altercatio pro„ponebat; de quibus nec interrogare initio decebat, nec inter„rogatos reſpondere;„ Fidei denique ſimplicitatem, vanis neſcio quot argutiis temerare auſa ſunt. Exemplorum tanta eſt

Xx 2 ſeges,

ſeges, tanta celebritas, tam funeſti exitus, ut, ſilere hoc de negotio, quàm pauca dicere, præſtet.

IX. *Rixæ, diſſidia.* Tritum illud, ſed & veriſſimum, quòd ſcilicèt *altercando veritas amittitur*. Nuſquam id clariùs, nuſquam frequentiùs, quàm in rebus Chriſtianis viſum eſt. Quot rixis, quot diſſidiis, quantis iræ, vindictæ, ſuperbiæ, zelotypiæ, paroxyſmis, cœleſtis veritas obſcurata, imò aliquando penè oppreſſa eſt? Nec enim illi qui contendebant, multùm erant de vero ſolliciti: Modò vincerent, juréne an injuriâ, ſat ipſis erat. Hinc nulli fuco, nulli fraudi, inter diſputandum parcebatur. Hinc logomachiæ creatæ. Hinc errores erroribus additi. Hinc, contradicendi ſtudiô, evidentiſſima quæque negata, ſtultiſſima quæque defenſa ſunt: Sicque *ſuperna* illa *ſapientia*, quæ *pacifica eſt ac mitis*, quæque non artibus malis, ſed *bonis fructibus* delectatur, à rixoſorum hominum animis oculiſque ſeſe ſubduxit. Jacob. III. 17.

X. *Nimia Doctorum auctoritas.* Fuiſſent verò cujuſque Doctoris quodammodo ferendi errores, ſi ſibi ipſis duntaxat erraſſent. Verùm, ſtatim ac aliquis eruditione, facundiâ, ingeniô, tantiſper valebat; dicam ampliùs, ſtatim ac aliquis ſuperbiâ, calliditate, pravis artibus reliquos vincebat, hinc maxima evadebat illius auctoritas; in ejus verba jurabatur; majúſque tandem, ab ejus placitis, quàm ab Evangelii ipſius ſtatutis recedere, piaculum erat.

XI. *Leges de credendis; anathemata.* Quid, quòd, mancipandis animis, atque ad aſſenſum invitis trahendis, novæ fiebant de credendis Leges, nova Symbola Fidei, novæ ſanctiones, nova anathemata, in eos qui, vel latum unguem, circa res ſæpe obſcuriſſimas, neque in Scriptura definitas, à receptis placitis vocibúſque diſcederent. Sic homines, ſe homines obliti, Dei propria ſibi ſumpſerunt. Sic, jugo à Deo impoſito, aliud atque aliud jugum addidêre. Sic fides imperata, quæ ſuaderi potiùs debuit: Quæque ſoli Deo ſuberat, humanis placitis atque imperiis ſubjecta eſt Conſcientia; Planè contra exemplum Apoſtoli, qui non *fidei dominari*, ſed *Fidelium gaudio ſervire*, ſui muneris eſſe cenſebat. 2. Cor. I. 24.

XII. *Pœnæ in diſſen-* Nec diris modò, ſed mulctis, exſiliis, carceribus, gladiis, rogis,

rogis, exquiſitiſſimis denique ſuppliciis, in aliter ſentientes ſævitum. In quo quidem ne quid æquitatis aut humanitatis reſidui eſſet, fecit illud humanæ naturæ Chriſtianique nominis probrum, *ſanctæ*, imò barbaræ atque exſecrandæ, ipſiſque Pontificiorum moderatioribus deteſtatæ, *Officium Inquiſitionis.* Quâ ſævitiâ non mirum ſi errores, etiam fœdiſſimi, firmati fuerint; neque auſa ſit Veritas, per plura Sæcula, caput exſerere.

tientes. *Supplicia.* Inquiſitio.

XIII. *Pietas in externis poſita.*

Pietatem, ab externis ritibus, ad internam animi morúmque innocentiam, Chriſtus Dominus noſter revocaverat. Aſt homines, ſenſibus immerſi, à defæcato illo Pietatis genere abhorruerunt. Semper pueri, ad crepundia brevi redière; Eóque id lubentioribus animis, quòd, abſque ulla vitæ mutatione, abſque ullo affectuum diſpendio, externarum cærimoniarum Solemnibus vacare liceat.

XIV. *Ethnicismi imitatio.*

Sed & aliud huc quoque contulit, Ethniciſmi nempe imitatio, ejuſdem in Sacris pompæ, ejuſdem ſplendoris æmulatio; ſive ut Ethnici tanto faciliùs ad Chriſtum adducerentur; ſive quòd Ethnici ad Fidem adducti, ſuas ſecum nugas Eccleſiæ inferrent. Hinc *arcani* illa *Diſciplina*, primis quidem temporibus ignota, quemadmodum ex *Juſtino Martyre* & *Tertulliano* liquet, poſtea verò ad Ethnicorum Myſteriorum exemplum inducta. Hinc *Baſilicarum* ſplendor. Hinc *Altarium* apparatus. Hinc cultus omnis *Divorum*, *Imaginum*, *Reliquiarum.* Hinc *Feſta*, *Peregrinationes*, *Proceſſiones*, *Lectiſternia*, *Aqua luſtralis*, aliáque innumera, quorum originem planè Ethnicam quicumque negare velit, næ ille in clara luce cæcutiat.

XV. *Opes & dignitates, vitiorum & faſtûs magiſtræ.*

Opibus ac dignitatibus corrumpi mores; iis ſuperbiam, arrogantiam, mollitiem, luxum, plerúmque adhæreſcere, omnes ab ævo Gentes expertæ ſunt. Quid mirum igitur, ſi Gens Chriſtiana hujus quoque peſtis contagia ſenſit? Quid mirum, ſi *potentiâ & divitiis major*, *virtutibus minor facta ſit*, ut verbis utar *Hieronymi?* Quid mirum, ſi, loco veterum illorum *Antiſtitum*, *quos tenuitas edendi potandique parciſſimè*, *vilitas etiam indumentorum*, *& ſupercilia humum ſpectantia*, *perpetuo Numini*, *veriſque ejus cultoribus*, *ut puros commendabant &* vere-

Hieron. in vita Malchi.

Amm. Marcell. Lib. XXVII. cap. 3.

verecundos, (ſic loquitur *Ammianus Marcellinus*) alii opibus aucti, ínque Principum aulas admiſſi, aulæ mores ſimul imbiberint; nil niſi dignitates ac potentiam anhelârint; omnia factionibus, partiúmque ſtudiis, impleverint; nova Munera, novos titulos quotidie affectârint; novum regimen, novam Monarchiam, quæ in ipſa Dei jura invaderet, quæ ſupra *πᾶν σέβασμα* caput attolleret, in Eccleſia erexerint; totam denique Eccleſiæ Diſciplinam (ſolô ejus nomine, ſolâ ejus larvâ retentâ, imo & fœdâ nundinatione in ejus locum ſubrogatâ,) antiquari paulatim permiſerint.

XVI. *Principes in Eccleſiæ jura invadentes.*

Piorum Regum ac Magiſtratuum non eſſe nullas in Eccleſia partes, eorum qui in Scripturis memorantur exempla docent. Sed, quorum fuerat ædificare, illi deſtruendo potiùs operam ſuam ſæpe contulerunt. Illi, omnia ad ſe trahere, Electionum jura ſibi ſumere, Diſciplinæ nervos ſuccidere, factiones excitare, vel excitatis in rem ſuam uti; Epiſcoporum ſuperbiæ atque tyrannidi non rarò ſavere, ut Epiſcopi viciſſim eorum vitiis conniverent, eorum auſis famularentur; verbô, in lupos nonnunquam converti, vel lupis ſaltem auxilio eſſe, quos gregis dominici defenſores eſſe decuerat.

XVII. *Fraudes; Acta ſuppoſititia.*

Pias fraudes (imò potiùs impias) ſpurios fœtus, tum Apoſtolis, tum Apoſtolicis viris adſcriptos, Imperatorum donationes fictas, Pontificum pſeudo-Decretales, falſa miracula, Legendas putidas, aliáque idgenus commenta, adulterando Chriſtianiſmo, vel corruptelis ſaltem confirmandis, plurimùm inſerviiſſe, omninò peregrinus ſit in Eccleſiæ rebus qui neſciat: Ad eundem ferè modum, quô qui genuinis Nobilitatis inſtrumentis deſtituuntur, mendacia cudere non erubeſcunt.

XVIII. *Pauci cogitarunt, quid eſſet Chriſtianiſmus.*

Denique, AUDITORES, (nec enim licet tantillo in compendio ſingula congerere) una ex præcipuis adulterati Chriſtianiſmi cauſſis hæc fuit, quòd penè omnes ignorârint, certè obliti penitùs fuerint, quid eſſet Chriſtianiſmus. Theologis, mera Scientia; Populis, merus ritus; Politicis, mera larva: Paucis oppidò, immò pauciſſimis, id fuit quod re verâ eſt, Ars vivendi, Schola Pietatis.

Mirum

Digitized by Google

Mirum verò illud, Auditores, Divinæque Providentiæ curam ad oculum planè demonſtrans, quòd ſcilicèt, inter tot lapſus, tot errata, tot vitia, tot fraudes, ſumma interim Doctrinæ Chriſtianæ, ejúſque regula Scripturis contenta, illibata conſervata ſit; neque tam rejecta atque antiquata, etiam apud impuriſſimas Chriſtiani nominis Societates, quàm peregrinis pannis velata, quàm adjectô cœnô fœdata obſcurataque fuerit.

Dei Providentiâ factum eſt, ut, inter tot errores ac vitia, ſumma Chriſtianiſmi ſalva evaſerit.

Ad eam verò expurgandam, vel, ubi pura eſt, puram ſervandam, ſi quis quærat, quid facto ſit opus, cùm ex dictis abundè jam liqueat, hic nonniſi verbô monebimus. Verbo Dei adhærendum unicè. Nihil humanæ auctoritati, nihil humanæ Philoſophiæ, nihil humanæ Eloquentiæ, nihil privatis Doctoribus, nihil Doctorum conventibus, nihil pompæ, nihil ſplendori, in Religionis negotio, dandum. Linguæ, quibus Verbum Dei conſtat, quæque iſtis lucem miniſtrant, ſedulò addiſcendæ. Arti interpretandi, ſed veræ illi ac genuinæ, opera danda. Cavendum ab argutis nimiùm, ab allegoricis, à temerariis, rerum Sacrarum expoſitoribus. Cavendum ab ingeniis fervidis, mirorum ſine modo cupidis, quicquid tractant in majus augentibus. Cavendum præſertim ab affectibus, à Doctorum ſuperbia, invidia, odiis, rixis, factionibus, tyrannide; quæ quidem præcipuæ peſtes Chriſtiani nominis fuerunt. Neque Principes, neque Paſtores; neque Clericos, neque Laïcos, officii limites excedere, auctoritate abuti decet. Cavendum à dignitatibus, cavendum à divitiis, cavendum à Sæculi moribus, Eccleſiam infeſtantibus. Poſtremò, quod caput eſt, id animis altè infigendum, non ingenium, non acumen, non voces, non ſyllabas, non placita, non externos ritus, multò minùs *amarum zelum*, gloriæ Dei titulo velatum, ſed vitam piam, ſanctam, ad Numinis ipſius exemplum compoſitam, Chriſtianum efficere. O felicem Chriſti Eccleſiam, ô redivivam Apoſtolici Chriſtianiſmi ſinceritatem, ſi ad illa ſedulò attenderent, ſi ad illa præſertim ſe componerent Sacrorum Præpoſiti! DIXI.

Adulterati Chriſtianiſmi Remedia.

Poſt

Poſt acta diei Solemnia, antequàm ſingulis Ordinibus, more ſolitô, gratias agerem, ſequentia adjeci.

HIC finis eſſet hodierni Sacri, niſi duo recentia vulnera, duæ jacturæ acerbiſſimæ, quarum alterâ Reſpublica noſtra Capite ſuo orbata eſt, alterâ, tum Reſpublica noſtra, tum Reſpublica Literaria, ſplendidiſſimum lumen amiſit, æquas à nobis, hoc ſolemni die, ſuô quodam jure, depoſcerent querelas.

Encomium Viri Ampliſſimi, JOHANNIS DE NORMANDIE, *Primarii nuper Reip. Genevenſis Conſulis, defuncti 19. Mart. 1711.*

Enimverò, cùm Ampliſſimum Ordinem hîc loci ſedentem conſpicimus, non poteſt non mentem ſubire, Viri Ampliſſimi, Nobiliſſimi, Prudentiſſimi, Integerrimi, JOHANNIS DE NORMANDIE, Primarii ante paucas hebdomades Reipublicæ noſtræ Conſulis, dulciſſima quidem nobis omnibus, ſed & triſtiſſima nunc recordatio. Poſſem hîc excurrere in Familiæ laudes, quæ *Novioduno* Picardiæ oriunda, ſplendidiſque affinitatibus ornata, unà cum *Johanne Calvino* puriorum Sacrorum cauſsâ huc ſe recepit. Poſſem referre Majorum merita; putà *Johannis* avi, qui Juris utriuſque Doctor, Paci ad *D. Julianum* ſancitæ, Reipublicæ noſtræ Legatus interfuit; & *Johannis* patris, qui viginti annis Senator, quater verò Conſul, Reipublicæ magna cum laude præfuit; poſt cujus obitum Noſter, partus poſthumus, lucem accepit, annô labente ſuperioris Sæculi 46. Poſſem addere, inter ejus Majores fuiſſe *Gulielmum Budæum*, magnum illum Literaturæ renaſcentis in Gallia parentem. Poſſem & dicere, quâ celeritate Noſter ad ſumma Munia adſcenderit; Juris Doctoratum adeptus, an. 1668., ætatis 22.; CCviris allectus an. 1673. ineunte, ætatis 26.; Juris Aſſeſſor creatus an. 1676., ætatis 30; Senatoribus adſcriptus an. 1679. ineunte, cùm annum ageret 32.; Conſul renuntiatus an. 1683. ineunte, cùm annum ageret 36.; à quo tempore, octies Conſul, quater Prætor Urbanus, quater Primarius

marius Conſul exſtitit; quam ſupremam dignitatem dum hôc annô gereret, nobis eſt ereptus. Verùm, his miſſis, majora dicam, Noſtróque magis propria. Dicam virtutes, Homine, Chriſtiano, Magiſtratu, digniſſimas. Dicam infucatam pietatem, cujus ad extremum uſque ſpiritum, nobis teſtibus atque opem ferentibus, non obſcura dedit ſpecimina. Dicam accuratam juſtitiam, probitatem intemeratam, ne leviſſimæ quidem ſuſpicioni obnoxiam. Dicam animum à turpi lucro, à privati commodi ratione, ita abhorrentem, ut nemo magis. Dicam pectus candidum, generoſum, beneficum, ab omni malignitatis atque invidiæ labe alienum. Dicam exquiſitam prudentiam, in ponderandis Reipublicæ momentis verſatiſſimam. Dicam ſummam atque indefeſſam in obeundis muneribus diligentiam. Dicam animi firmitatem, quam civium ardor prava jubentium nunquam dimovit. Dicam denique, quod Muſas tangat, hujúſque ſit loci proprium, in Literas & Literatos propenſiſſimam ſemper voluntatem, atque ad illos tutandos, ornandos, adjuvandos, nunquam non paratiſſimam: Quo nomine ut Muſæ noſtræ ejus memoriæ plurimùm debent, ita non poſſunt non, ereptô illô, bonorum omnium lacrymis ſuas quoque admiſcere, ejúſque tumulum floribus ſaltem quibuſdam conſpergere.

Encomium Viri Illuſtriſſimi & Celeberrimi Ezechielis Spanhemii, *Lib. Baronis, Sereniſſ. Boruſſiæ Regis Miniſtri Status, &c. defuncti* $\frac{14}{25}$ *Novemb.* 1710.

Sed neque hîc ſileri par eſt, Civis alterìus verè eximii, maximíque nominis, jacturam; cum eo quem modò diximus, cognatione quadam conjuncti; ex poſteris etiam magni *Budæi*, ejúſque eruditionis atque famæ ex aſſe hæredis; Viri nempe Illuſtriſſimi, Nobiliſſimi, Erudtiſſimi, toto Orbe Celeberrimi, Ezechielis Spanhemii, Liberi Baronis, Sereniſſimi Boruſſiæ Regis Miniſtri Status, ejúſque nuper ad Potentiſſimam Magnæ Britanniæ Reginam Legati Extraordinarii: De cujus nomine atque Familia, Parente in primis & Fratre, Theologis conſummatiſſimis, præclara multa dicenda eſſent, niſi ipſe propriis meritis laudes illas omnes ſuperâſſet; Quo Cive atque alumno, immò & aliquandiu hîc Eloquentiæ Profeſſore, demùm Senatûs noſtri CCvirûm Membro, Geneva noſtra poteſt

 gloriari;

gloriari; Qui, & ornamento Patriæ, & adjumento non ſemel fuit; Qui Viris Principibus, ſive iis pro quibus agebat, PALATINIS & BRANDENBURGICIS Heroïbus, ſive iis ad quos mittebatur, (miſſus autem eſt ad omnes propemodùm Europæ Reges atque Dynaſtas) acceptiſſimus ſemper fuit; Quem quanti faceret ANNA Auguſta, Reginarum maxima, Populorum deliciæ, ſeu dum viveret, ſeu poſt ejus obitum, non obſcurè ſignificavit: Quem Sereniſſima SOPHIA, Hanoverienſis Princeps, Eruditi Orbis amor ac decus, literarum commercio dignata eſt; Qui, inter ſeria Legationum, Muſarum amœnitates, rem Nummariam, Antiquitates omnis generis, mirè ſemper excoluit, illuſtravit, locupletavit; cujus rei teſtes reliquit, non unius generis, nec exiguo numero, Lucubrationes cedro digniſſimas; Qui Virum eruditiſſimum, Politicúmque abſolutiſſimum, cum Viro pio & probo, rarâ concordiâ, copulavit; Qui, candore, generoſitate, beneficentiâ in egenos, patrociniô eorum omnium quos juvare poterat, nullum unquam officii genus, deſiderari à ſe paſſus eſt; Qui conſummatiſſimam ſuam doctrinam, eâ humanitate, morum facilitate, colloquii ſuavitate, temperabat atque ornabat, ut omnium animos ad ſe traheret; Qui cùm omnes Doctorum virtutes atque laudes in ſe comprehenderet, à vitiis huic hominum ordini ſolemnibus ac velut innatis, ira nempe, ſuperbia, invidia, altercandi & convitiandi libidine, rarô exemplô, utinam ſequendô! ſemper ſe immunem præſtitit; Qui à ſciolo non uno iniquiſſimè provocatus, ictus illos vel prorsùs deſpexit, vel moderatiſſimis verbis, ac citra ullum convitium, repulit; Qui denique, cùm Libros omnis generis, cùm Græcos, tum Latinos, cùm veteres, tum recentiores, adſiduè verſaret, tamen caſtas ſuas delicias Scripturas ſanctas ſemper fecit; cujus rei non unum indicium, quoad vixit ignoratum, in Defuncti chartis repertum eſt. Quibus quidem omnibus de cauſſis, illum, licèt annis gravem, majorémque octogenario, non poſſunt non Muſæ Genevenſes, tanquam dulce decus ſuum, flere; eíque, ſi non pro merito, ſaltem exiguô & inconditô hôc Encomiô, parentare.

Verùm

Verùm benè eſt, Viri Amplissimi, quòd neque eximiorum Magiſtratuum, neque Virorum eximiè doctorum, dum vivitis, dum valetis, ulla apud nos timenda eſt penuria; quemadmodum, vel ex illius, qui primas jam inter Vos occupat *, quique utrâque laude præcellit, exemplo conſtare poteſt. Vivat ille, vivatis omnes, ad ultimos uſque ſenectutis terminos; Vobiſque ducibus atque præſidibus, Reſpublica, Eccleſia, Academia, ſemper floreant.

Ad Ampliſſimos Reip. Proceres.

Viri Reverendi et Celeberrimi, Eccleſiæ & Academiæ ſplendidiſſima Lumina; Decimùm (ſic Vos juſſiſtis) atque ultimùm tandem hinc Vos compello. Ob creditos mihi tam diu, immerito licèt ac reluctanti, Academicos faſces, me Vobis plurimùm debere agnoſco. Ob errata verò non pauca, in hujus Muneris adminiſtratione admiſſa, non ex ullâ tamen oſcitantiâ, aut zeli remiſſione, (id quod ſanctè profiteri poſſum) ſed ex merâ tum animi tum corporis imbecillitate profecta, veniam humillimè à Vobis peto. Faxit Deus Optimus Maximus, ut, veſtris ſtudiis atque laboribus, Eccleſia noſtra & Academia bonæ mentis Scholæ eſſe pergant; ut ab iis exulent humana figmenta, tot in locis tradi ſolita; purúſque ac genuinus doceatur Chriſtianiſmus; útque, colluſtratô dudùm veſtris documentis infimô hôc Orbe, in Cœleſtis Domini Regno æternùm ſplendeatis.

Ad Clariſſimos Eccleſ. & Acad. Pastores & Professores.

* Vir Ampliſſimus Joh. Robertus Chouet, Primarius nunc Reip. Genev. Conſul.

F I N I S.

005658981

Digitized by Google